VALERII MAXIMI
EXEMPLORUM
MEMORABILIUM
LIBRI NOVEM.


INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

PETRUS JOSEPHUS CANTEL,
è Societate JESU.

JUSSU CHRISTIANISSIMI
REGIS,
IN USUM SERENISSIMI
DELPHINI.

PARISIIS,
Apud Viduam CLAUDII THIBOUST,
ET
PETRUM ESCLASSAN, Iurat. Bibliop. Universitat. ordin. viâ D Ioan. Lateran. è regione Collegii Regii.

M. DC. LXXIX.
CUM PRIVILEGIO REGIS.



SERENISSIMO DELPHINO.

PETRUS JOSEPHUS CANTEL, SOC. JESU.

T*ENVE quidem, & mole ſua exiguum,* SERENISSIME DELPHINE, *ſed Principi tamen erudito non aſpernandum munus, tibi offero Va-*

lerij Maximi Exempla memorabilia: quorum apud te gratia, nisi eam culpa nostra deterat, eo major esse debet; quod ad eas potissimum artes, quæ Reges maxime decent, pertineant, scientiam militarem & historiam. Habent affatim, unde rerum utilitate, copia, varietate, magnitudine animum in legendo tuum non immerito retineant. Iuvabit interdum, si quid otij ad hæc studia recolenda nactus fueris, in iis expressam cernere summorum Imperatorum naturam & indolem, variam singulorum fortunam, ancipitesque casus, imperia, honores, prælia, victorias, triumphos; & quod cujusque fuerit in providendo consilium, quæ industria in agendo, quæ in conficiendo celeritas. Dumque in eorum, aut virtutes, aut vitia intueberis; erit, unde, & vinci à te illos gau-

deas, si deteriores videris; vel æmulari cupias, si qua in laude singulares. Sunt sane quidem, quos abs te amari, si te amas, necesse est: quì enim non amares adolescentes tui quondam simillimos, Alexandrum Magnum, Africanum Minorem, Iulium Cæsarem: in quibus, dum erant ea, qua nunc es, ætate, eadem, quæ nunc in te, enitebant ornamenta; idem, cum literarum, tum scientiæ militaris amor; idem animi ad gloriam impetus; Iisdemque, quibus tu fuisti, artibus eruditi; & ut tua, ita eorum adolescentia tam eleganter descripta; ut semper, aut corpus militiæ laboribus, aut animum literarum studio excolerent. Cumque in iis exemplis occurrent multa, quæ ocium oblectent tuum; tum nihil erit eo jucundius; quam quod virtutes LUDO-

VICI MAGNI *in illis quoquomodo adumbratas recognosces: habebis certe, quod Galliæ universæ, quod tu tibi, quod Parenti tuo invictissimo graluleris; cùm iis omnibus, qui imperatoriis olim laudibus floruerunt, illum longe præstare intelliges. Permulta quidem ad veram gloriam insignia habuerunt heroës antiqui: fuerunt tamen ut plurimum hujusmodi, ut non omnia decora in omnibus, sed in singulis singula præcipue elucerent; in Alexandro fortitudo, in Pyrrho audacia, prudentia in Scipionibus, in Sylla felicitas, magnanimitas in Cæsare. Sed illud erit præ cæteris* LUDOVICO MAGNO *gloriosum, quod singulis defuit, in se uno ita expressisse; ut alij in alia virtute, ipse in omnibus excellat. Si quando mihi Valerij Maximi exemplo, re-*

rum memorabilium libros ſcribere liceat; neque ego equidem ex veteri annalium memoria, neque ex gentium exterarum monimentis heroas arceſſam: ſed in uno LUDOVICO MAGNO *tota, quantulacunque eſt, mea verſabitur induſtria: ille mihi Alexandri, ille Scipionum, ille Cæſarum omnium inſtar erit. Quam multa inde in omni genere laudis petere fas erit exempla, quæ tu imiteris, quæ mirentur alii, quæ vix credant poſteri. Quot & quanta ſuppeditabit ſingularis illa in rebus ordinandis prudentia; quot ſumma in jure dicendo æquitas; quot regia in publicis operibus, in palatio, in omni apparatu magnificentia; quot denique invicta in bellis gerendis fortitudo. Hic narrare me juvabit; qua celeritate urbes ab eo captæ ex hoſtibus prope infinitæ; quo*

consilio delusi fugatique hostium exercitus multitudine innumerabiles; qua virtute, sive terrestribus, sive navalibus præliis victi ab eo sæpe Batavi, Belgæ, Hispani, Siculi, Germani; qua auctoritate fœderis ineundi leges cuique pro arbitrio præscriptæ, paxque omnibus imperata nomini Gallico vel ipsa victoria ad gloriam illustrior. Nec interim, SERENISSIME DELPHINE, *sua laus deerit iis virtutibus; quas in te, vel natura, vel studium effinxit: non silebitur enim, (patere,* PRINCEPS, *nostra de te gaudia tantisper recordari;) non silebitur, inquam, flos ille integritatis & nitor nullis vitiorum maculis oblitus; excellens ad scientias capessendas ingenium; nata ad maxima quæque indoles. Si vero laudes tuas cum Parentis laudibus in-*

texere libeat ; prædicabitur in utroque oris decus & majeſtas , formaque corporis imperio digna ; adverſus omnes ſumma lenitas & affabilitas ſermonis ; Chriſtianæ pietatis diligens amor ; ſinceraque & fuci expers religio : ex quarum virtutum conſenſu exiſtit neſcio quid ſingulare ; quod vos ſecernit à vulgo , & ad hominum imperia natos eſſe demonſtrat: Eſt enim inter utrumque veſtrum , ut naturæ , ita virtutum quædam cognatio : eas habet LUDOVICUS MAGNUS, *quæ Regem ; tu , quæ tanti Regis Filium decent , heroïcas uterque , aut prope pares , aut eaſdem potius : ſed habet aliter alius ; ille jam perfectas ; tu vero inchoatas : at dum tua creſcet ætas ; creſcent pariter & illæ , & ad regium omne decus ſenſim adoleſcent : tumque*

ſimilis parenti aliiſque principibus major enitere, rerum geſtarum ſplendore, & avitam gloriam ſuperare, & paternam aſſequi: ut Gallia duobus regibus parente & filio LUDOVICIS *& cognomine & reipſa* MAGNIS *aliquando glorietur.*

PRÆFATIO.

NEC ingratum tibi, erudite lector; nec iis, qui colunt hæc studia, inutile fore putavi; si hoc in loco breviter, quoad fieri poterit, duo te monerem: unum, quinam ad Valerium Maximum, aut purgandum, aut illustrandum hactenus incubuerint; alterum, in quo potissimum nostrorum commentariorum ratio ab illis dissentiat. Septem, quos equidem legerim, omnino sunt, qui in eo auctore emendando aliquid sumpserunt operæ: *Oliverius*, *Badius*, *Theophilus*, *Lipsius*, *Pighius*, *Colerus*, & *Thysius*: is enim, nisi falsus sum, illorum commentariorum, quæ *Variorum* vulgo inscribuntur, auctor est. Singulis sua laus debetur, alia tamen alii: nec enim me pigebit, de his quid sentiam, libere & aperte dicere: cum nemini, ut sit paulo humanior, non gratum esse debeat cognoscere; quid in quoque, aut laudet, aut reprehendat.

Oliverius vir quidem multæ & variæ lectionis fuit,

ſed in eo paulo plus, & brevitatis requiram, & diligentiæ: ubi enim ducis, ſive Romani, ſive Græci mentio fit, exſcribit ex hiſtoricis multa, ſive ad rem, qua de agitur, pertineant, ſive ſecus; unde, multo quam par eſſet, longior eſt. Eo accedit, quod eum interdum, & temporum ratio, & nominum ſimilitudo fefellerunt: quare ipſi, quod minime decebat, exciderunt ea, quæ ſunt hujuſmodi, ut, vel non animadverſa errorem, vel animadverſa moleſtiam legentibus objicere ſoleant. *Badius* Oliverio multo quidem brevior eſt; ſed admodum pauca, quæ ad hiſtoriam ſpectent, attigit; totus in eo, ut, quæ Valerii verbis ſententia ſubſit, explicet. Omnium longe breviſſimus eſt *Theophilus*: at non video, quid homini, ut arbitror, erudito in mentem venerit Oliverii notis ſuas ſubtexere; quæ, & perbreves ſint, & parum aut nihil habeant utilitatis: egiſſet conſultius multo; ſi vulnera, quæ, & Oliverius, & Badius in Valerio neglexerant, ipſe ſanare conatus eſſet: tot enim ulceribus apud eos ſcatet Valerius; ut benemulta, nec ſana ſint, nec integra.

Et *Lipſii*, & *Pighii* labor, ut ſemper alias, ita hic quoque admodum utilis & fructuoſus fuit. In eo præcipuè illorum verſata eſt induſtria, ut maculas omnes eluerent, quæ in Valerio jamdiu, vel temporum injuria, vel librariorum negligentia inſederant. Quod ab iis ita feliciter præſtitum eſt, ut nunc Valerius eorum opera multo quam ante niti-

dior & emendatior legatur: in tollendis enim hujusmodi mendis eorum uterque felix; ſed hoc in libro, ut mihi quidem videtur, Pighius Lipſio aliquanto felicior. Si quis enim ex me roget, uter præſtet alteri, ego ſane Pighium; quia, & paulo uberior eſt, & locos difficiles ex hiſtoriarum fide ſæpe corrigit; Lipſio prætulerim.

Colerus vir, quantum conjicere licet, ingenioſus, & breves, & eruditas Valerio notas ſubjunxit; in eo, quod arguam, nihil eſt; niſi quod Pighio ſit interdum iniquior. *Thyſius*, aut quiſquis eſt *Variorum* auctor, perpauca de ſuo addidit; illius tamen opus eo utilius eſt aliis; quod optima quæque, quæ apud alios diſperſa ſunt, in unum quaſi corpus ipſe collegit. Iiſdem tamen fere, quibus Oliverius, laborat vitiis: etenim, ut ille ex priſcis auctoribus; ita ipſe ex Oliverio, Badio, Pighio, &c. iiſdem, quibus illi uſi ſunt, verbis omnia mutuari ſolet: unde fit, ut, aut eadem repetantur ſæpius, ſi inter ſeſe illi conſentiant; aut, ſi diſſentiant, diverſæ eorum ſententiæ pluribus, quam par ſit, referantur. In eo tamen maxime laudandus; quod, & ea, in quibus ab Oliverio peccatum fuerat, è Pighio aut Lipſio ſæpe emendarit: & diligentem, ne qua macula Valerio ineſſet, dederit operam.

Nos illorum exemplo, longe quidem ac multum impari facultate; ſed voluntate non diſpari, juſſu CHRISTIANISSIMI REGIS in uſum

PRÆFATIO.

SERENISSIMI DELPHINI Valerii libros notis illustravimus : si forte nostra quoque, quantulacunque ea est , industria huic auctori opis aliquid afferri queat: quænam vero sit instituti nostri ratio, quidque à nobis præstitum sit, paucis accipe.

Ut in Justino, ita in Valerio addidimus tria , Interpretationem, Chronologiam , & Notas: sed omnia hic multo uberiora ; quia Valerius Justino , & obscurior est , & brevior: quare , quæ ille dixit obscure, nos clarius; quæ breviter , nos fusius explicamus. Interpretatio , nec perpetua est , nec vero esse debuit ; cùm in Valerio multa plana sint , nec latinæ linguæ penitus ignaris hæc à nobis navetur opera. Si quæ tamen tibi occurrunt paulo obscuriora, quibus nulla interpretatio subjuncta sit , id mihi fraudi esse nom debet: cum hac in parte, ut in aliis rebus, aliter aliis videatur: quod enim tibi obscurum est , mihi forte nihil minus ; quid facias ? mihi meo , quod unum potui ; non alieno , quod non licuit, standum judicio fuit. Quare satis habui locos depravatos corrigere, declarare obscuriores , mancos & mutilos indicare; ne quem forte obducta cicatrix falleret ; quid aliis difficile videretur , laboravi minus. Mihi etiam curæ fuit, ut variæ lectiones , ut plurimum, omitterentur : quid enim , aut voluptatis habet, aut utilitatis, modo scriptura & integra sit & sincera, obtrudere sæpius ? *Ita Campensis codex. Sic Gemblacensis. Paulo aliter Sambuci manuscriptus liber.*

Quo vero, & temporum rationi, & memoriæ imbecillitati quam maxime ſerviremus; annus quo quæque res acta eſt in Romanis ſemper; in Græcis, ut plurimum, ad marginem aſcriptus eſt: at cum id; quia res, aut antiquior erat, aut obſcurior, aſſequi minus licuit; qua ætate vixerit ille, cujus hic mentio fit, annotatum eſt. Epochæ appoſitæ, pro-ut res poſcebat, modo pauci·res, modo plures: ſi ante Olympiadas inſtitutas Urbemque conditam id, quo de agitur, contigerit; duæ, *ab orbe condito & ante Chriſtum natum;* ſi aliquanto poſt, totidem additæ, *ab initio, tum olympiadum, tum Urbis.* Ne quis vero miretur; ſi hic à nobis anni Urbis quandoque aſſignentur alii; ac in multis, tum Oliverii, tum *Variorum* libris: nos faſtos Conſulares ſecuti ſumus: illa vero, quiſquis eſt illius auctor, Chronologia tot vitiis ſcatet: ut, nec docto cuiquam probari, nec niſi ab imperito laudari poſſit.

In notis, ut gratæ ſint tibi, erudite lector, quæ, aut levia ſunt, aut infecta fabulis, aut omnibus nota, vel omiſimus omnino, vel breviter perſtrinximus: quæ vero, & per ſeſe magna ſunt, & ad ſummorum virorum memoriam quoquomodo pertinent, pluribus perſecuti ſumus. Dataque eſt à nobis opera diligens: ut, quæ cujuſque, & belli, & pugnæ cauſa fuerit; qui duces; quis militum numerus; quis exitus; qui Romanorum mores; inſtituta, ludi, ſacri ritus, explicaretur: expreſſa etiam

virorum illuſtrium indoles, ſtemmata, varii caſus, interitus: quo vero id, & teſtatius ſit, & jucundius; non piguit varias auctorum, qui horum meminerunt, opiniones ſubjicere; & fontes ipſos indicare; unde, ſi cui libitum ſit, eadem illa uberius haurire liceat. Cautio tamen in his, ne longiores eſſent notæ, duplex adhibita eſt: una, ne iiſdem, quibus auctores ipſi, verbis; ſed multo paucioribus uteremur: ſi quæ tamen interdum proferuntur à nobis auctorum teſtimonia, quod parce admodum factum eſt; ea, & brevia ſunt, & inſignia. Altera cautio eſt; ne eadem ſæpius, in quo peccarunt alii, repetantur; ubi enim rei cujuſpiam primum meminit Valerius; ibi nota ſubjuncta eſt uberior: deinde, ſi iterum aut tertio, quod ſæpe accidit, illius recurrat mentio, vel brevis vel nulla. Notæ etiam quæ ad Geographiam ſpectant, & nuſquam, ut opinor, repetitæ, & breves: ita tamen, ut locorum regionumque exprimant, tum varios ſitus, tum diverſas appellationes, ſive antiquas, ſive recentes.

Cum occurrant ubique in Valerio quamplurima, & hominum, & familiarum nomina; nec non & vocabula magiſtratuum, ſive urbanorum, ſive militarium; in his hæreas ſæpe neceſſe eſt: quem enim Valerius injecit ſcrupulum, ipſe non eximit: cui incommodo ut mederemur, quatuor hiſce de rebus diſſertationes toti operi præmiſimus: in quibus,

bus, quæ fuerit olim apud Romanos, & nominum ratio & cognominum; quæ illustrium familiarum stemmata; quæ clarissimi cujusque, & magistratus, & sacerdotii origo, munera, dignitas; quæque militiæ instituta, breviter & diligenter, quoad licuit, explicuimus; quam bene tu ipse videris. Cum per absentiam hunc librum corrigere nobis non licuerit; plura menda, librariorum vitio in Notas irrepsisse postea comperimus; ea, ne tibi illudant, in una altera-ve pagina annotare libuit: quam, cum quid occurret, in quo peccatum erit, consules.

Si vero susceptum à nobis laborem, & tibi, erudite lector, & studiosis non inutilem fore legendo experiaris; gratias habebis, debebis quidem certe, CAROLO SANCTA-MAURÆO MONTAUSERII DUCI, DELPHINI juventutis moderatori: vir enim ille, quondam bellica laude, nunc singulari, & in literas, & in literatos amore clarissimus, cum mihi, tum aliis omnibus auctor extitit nobilissimos quosque linguæ latinæ scriptores hac ratione interpretandi. In quo opere promovendo illi adfuerunt Episcopus Condomensis JACOBUS BENIGNUS BOSSUETIUS ingenii elegantia, morum suavitate, divinarumque & humanarum scientiarum cognitione perillustris; & PETRUS DANIEL HUETIUS; cujus nomen infinita prope eruditione, editisque in lu-

cem monimentis celeberrimum. Multa quidem alia sunt illis ad gloriam insignia ; laus tamen communis omnibus, omniumque maxima DELPHINUS erit, & sapiens, & eruditus : ad cujus regiam indolem excolendam si librum istum aliquid conferre posse arbitrentur; erit omnino, quod nobis operam in Valerio illustrando recte atque ex animi sententia positam gratulemur.

QUIS AUCTOR HUJUS LIBRI.

CUM non idem Latini sermonis nitor in Valerio, ac in Sallustio, Livio, aliisque illius ævi scriptoribus eluceat: multis abhinc annis inter viros eruditos quæsitum est: quanam ille ætate; an Augusti, aut Tiberii, an aliquanto post vixerit. Aliter aliis super hac re placet: sunt, qui illum confundant cum M. Valerio Maximo, qui Romæ bis Consul fuit, semel cum Volusiano anno Christi 254, iterum anno 257. Erasmus, ne Italum quidem, sed Afrum fuisse suspicatur. Pighius & Vossius eum, & Romanum esse, & sub Tiberio scripsisse volunt. Cur vero in eo, qui omnium manibus teritur, libello, sæpe voces occurrant eæ, quæ ab ætatis illius elegantia penitus abhorreant, uterque rationem affert, sed alter alteram: id, quidquid est vitii, non ætati, qua vixit; sed ipsi Valerio ascribit Pighius; Vossius, ut Trogi Pompeii, ita Valerii Maximi libros periisse putat; & eorum, præter epitomen à Paride nescio quo collectam, reliquum esse nihil. Hæc quidem illi: at cum conjecturis tantum, nec iis admodum firmis nitantur; in quo fucum, & pati, & facere promptum est: Experiri libuit; ecquid opera mea, & illi omnes inter se se quoquomodo conciliari possint; & nodus ille, qui jamdiu torsit eruditos, expediri queat.

Quod ut paucis exequar, duo mihi probanda visa sunt: unum, Valerium Maximum, qui *Exemplorum memorabilium* novem libros conscripsit, Tiberii Cæsaris temporibus vixisse: alterum, hunc libellum, quem notis illustravimus, non esse ipsius Valerii; sed illius epitomen, non à Paride quidem compactam, ut Vossio visum est; sed ab alio, cujus nomen ea, quam paulo post subjiciemus, docebit epistola. Sub Tiberio scripsisse Valerium cum multi magni nominis auctores memoriæ prodiderunt, tum maxime Plutarchus & Gellius ætate illi suppares; quorum alter sub Trajano, alter sub Hadriano floruit. Plutarchus enim in Bruto *Valerium Maximum*, Gellius l. 12. c. 7. *memorabilium* libros appellat tanquam testes eorum, quæ ipsi referunt. At quid alienis testimoniis opus est; cum Valerius ipse multis in locis, nec obscure, suam prodat ætatem. Cur in Præfatione Tiberium Imperatorem alloquitur, si multo post ipse vixit? cur Sejanum paulo ante cæsum, ut ex ipsius verbis cuivis intelligere est, probris omnibus onerat? quid Brutum, quid Cassium C. Cæsaris percussores sæpe asperioribus verbis insequitur; illos enim laudasse id temporis nefas erat; idque Cremutio Cordo, si Tacito credimus, crimini datum est. Illud quoque nonnihil est, quod *M. Antonium* oratorem eloquentiæ gloria avorum suorum ætate clarum fuisse dicit. Nec leve etiam est argumentum, quod se Asiam petiisse testetur cum *Sex. Pompeio Nepote*: qui, ut Tacitus, Velleius, Suetonius aliique tradunt, Apuleii item Nepotis in Consulatu collega fuit eo an-

no, quo obiit Augustus. Quæ testimonia ita à nobis faciunt, ut frustra sint omnes ii, qui aliter deinceps sentire velint.

Fuit igitur Valerius imperante Tiberio Romanus civis, patricio clarus stemmate: ut *Valerij* nomen, ita cognomen *Maximi* traxit è gente Valeria; non vero è Fabia, ut placuit incerto illius vitæ scriptori: nec minus enim genti Valeriæ, quam Fabiæ *Maximi* cognomen adhæsit. Puer literis percipiendis, adolescens rei militari dedit operam: deinde ex Asia, ubi sub Sex. Pompeio meruerat, reversus in Urbem; cum, & ingenio, & doctrina excelleret; animum ad scribendum appulit: quod si ita est, quî fieri potuit, ut vir nobilis, eleganti ingenio, summaque doctrina; & inculto sermone usus sit, & voces necdum id temporis inventas adhibuerit. Hic hæsêre multi: alii aliam rationem inierunt; sed ut plurimum impeditam, & incertam; nostra aliis, & facilior est; &, nisi falsus sum, aliquanto certior. Quæ cujusmodi sit, paucis accipe.

Sirmondus noster vir de literis, si quis unquam, optime meritus, è codice Vaticano Venerabilis Bedæ Romæ olim exscripserat Nepotiani cujusdam epistolam, quam Labbeus item noster vir apprimè eruditus in bibliotheca novorum manuscriptorum edidit. Eam; quia, & paucis etiam nunc nota est, & ad rem, qua de hic agimus, maxime pertinet: hoc in loco appingere libitum est.

JANUARII NEPOTIANI EPISTOLA
QUÆ EST PROOEMIUM EPITOMES
VALERII MAXIMI.

JANUARIUS NEPOTIANUS VICTORI SUO SALUTEM.

IMpensius quam cæteri adolescentes literis studes: quo tantum proficis, ut exigas scripta veterum coërceri; mi Victor: quod judicium etiam in senibus rarum est. Igitur de Valerio Maximo mecum sentis, opera ejus esse utilia, si sint brevia. Digna enim cognitione componit, sed colligenda producit; dum se ostentat sententiis, locis jactat, fundit excessibus, & eo fortasse fit paucioribus notus, quod legentium aviditati mora ipsa fastidio est. Rescindam itaque, ut vis, ejus redundantia, & pleraque transgrediar, nonnulla prætermissa connectam. Sed hoc meum, nec vim antiquorum habebit, nec fucum novorum; & cum integra fere in occulto sint, præter nos duo profecto nemo epitomata cognoscat: hoc tutius abutor otio; cave hic aliud, quam brevitatem requiras, quam solam poposcisti. Cura, mi Victor, ut valeas.

Quatuor nos docet hæc epiſtola: unum, memorabilium libros à Valerio uberius, quam decebat, fuſiuſque ſcriptos fuiſſe: alterum, eos jam tum ob nimiam molem paucis admodum cognitos: tertium illorum Epitomen Victoris adoleſcentis cauſa à Nepotiano contextam: quartum denique, Nepotianum illum Valerio, quem inter antiquos ſcriptores recenſet, fuiſſe multo juniorem. Ex quibus cuivis colligere licet, eum, qui ætate noſtra Valerii nomen præfert, libellum, Valerii non eſſe: nec enim mihi quiſquam facile perſuaſerit eumdem librum antiquis olim, & longiorem viſum, & *legentium aviditati* ut ait Nepotianus, *faſtidio fuiſſe*: qui id temporis, & omnibus videatur, & ſit reipſa breviſſimus. Quid inde conſequens eſt? nihil aliud ſane, niſi periiſſe Valerii opera: nec mirum, cum jam inde à Nepotiani temporibus negligi cœpta ſint. Maneat ergo non extare Valerium; ſed illius tantum Epitomen.

At cujus illa erit Epitome? aut Nepotiani certe, vel, ut auguratur Voſſius, Julii Paridis: utrius ſit, tuum eſto lector judicium: primum quidem ſtyli affinitas quædam & cognatio me movet, ut hanc Epiſtolam, & Valerij Epitomen ſorores eſſe germanas; & ab uno eodemque editas putem: in Præfatiuncula quidem libri decimi de Romanis nominibus; qui Valerio, & adtexi, & vulgo, ſed falſo, tribui ſolet, Julius Paris *abbreviator Valerii* dicitur: ſed hoc nihili eſt. Præterquam quod enim, quis Julius ille Paris fuerit; ubi, quando ſcripſerit, obſcurum eſt; præfatiuncula certe illa fuit à librariis temere conficta: nam, ſi Pighio credimus, in pleriſque manuſcriptis codicibus nulla eſt; in aliis, modo una, modo plures, aliæ ab aliis diverſæ. At codex Vaticanus; & probatæ fidei eſt, & pervetuſtæ manus: in quo ſcriptam à Nepotiano Valerii Epitomen cum Nepotianus ipſe in Epiſtola teſtatur; tum in lemmate Epiſtolæ præfixo, aut Beda, aut ſcriptor, unde ſumpſit, Beda antiquior. Quid multis? Valerii Epitomen in præfatione incertæ fidei Julio Paridi vindicat librarius neſcio quis; ſibi, qui ſcripſit, Nepotianus ipſe in codice manuſcripto optimæ notæ: utri credere malis, tute ipſe videris; ego ſane, & codicem Vaticanum fictæ præfatiunculæ; & Julio Paridi Nepotianum prætulerim.

At quis, dicet quiſpiam, Nepotianus ille? Ubinam gentium? quo tempore ſcripſit? Nihil ego affirmare auſim: ſi tamen, ut in re dubia, conjectura uti licet; illum, & Afrum fuiſſe, & trecentis plus minus annis poſt Valerium Conſtantino aut Conſtantio Imperante vixiſſe ſuſpicor: nec temere: id enim, niſi mea me fallit opinio, indicant illius nomen, epiſtola, & maxime ſcribendi ratio. In omnibus, quos equidem legerim, Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus, qui Nepotianus vocaretur florente Republica reperias neminem; ſub Imperatoribus Ethnicis paucos admodum; ſub Chriſtianis bene multos. Præterea ſi Valerio ſuppar ætate Nepotianus, quid illum in perbrevi epiſtola ſemel

atque iterum inter veteres reponit? quid sibi vult fucus ille, quem ipsius ævi scriptores, quos *novos* appellat, in scribendo sequebantur? nonne Eumenii & Nazarii aliorumque illius ætatis dicendi characterem exprimit? quis est, ut sit paulo humanior, qui in Valerii Epitome nonnihil peregrini & transmarini saporis non sentiat? nonne stylus, optimus sane judicandi magister, & totius scriptionis color, ac genius; hanc, quam dixi, & patriam & ætatem prodit?

Quoniam semel audere cœpi; quid vetat de Victore illo adolescente ad quem scribit Nepotianus, nonnihil etiam conjicere? Mihi quidem veniebat in mentem de Sex. Aurelio Victore; cujus sunt duo libelli, alter de viris illustribus à Proca ad C. Cæsarem; alter de Cæsaribus ad tertium usque Juliani Consulatum: nescio enim quo pacto mihi simile vero fiat illum, cum sponte sua, tum à Nepotiano incitatum ex Valerio clarorum virorum vitas excerpsisse. Nam Afer & ipse fuit; & eruditionis ingeniique laude clarus cum Valentiniano anno Christi 369. Consulatum adeptus est: si cui tamen aliter videatur, liberum per me erit judicium.

Ut paucis complectar, ita censeo. Valerius Maximus patricio ortus genere, floruit imperante Tiberio: librosque memorabilium eleganti quidem, ut ætas illa ferebat, stylo; sed multo, quam par erat, longiori composuit. Unde cum uberior scriptionis ratio nonnihil in legendo haberet molestiæ; extitit multo post sub Constantio Imperatore, ut est conjectura, Januarius nescio quis Nepotianus natione Afer; qui, cum sua, tum Victoris maxime adolescentis causa, horum librorum Epitomen rudi & asperiori sermone contexuit. Ut Trogi historiæ, ut Livii decades multæ, ut aliorum alia; ita Valerii opera, sive injuria temporum, sive ob nimiam molem neglecta perierunt. Atque, ut Justini, ut Flori; ita Nepotiani Epitome, sive casu aliquo, sive quod brevior erat, servata est. Quare si hac in Epitome verba interdum occurrant Romanis non domestica; si dictionis genus, si stylus ipse ab aliis felicioris ævi scriptoribus plane dissidet; ne Valerio id vitio dederis; sed ipsi, cui sua ætas nonnihil limi asperserat, quisquis ille fuit, Nepotiano.

ERRATA IN NOTIS

P. *significat paginam.* N. *notas.* L. *lege.* Ib. *ibidem.*

PAg. 4. *n.* 11. porc. *lege* porco. *P.* 10. *n.* 1. mercidis *l.* mercedis. *Ibid. n.* 4. Herculus *l.* Herculeus. *Ib. n.* 7. talæ *l.* tabulæ. *P.* 14. *n.* 2. ;eresio *l.* Orosio. *P.* 24. *n.* 5. Ectiestrati *l.* Echestrati. *Ib.* adstrixit *l.* adstrinxit: *P.* 35. *n.* 4. Vellerio *l.* Velleio. *Ib. n.* 6. onsferratus *l.* Monsferratus. *P.* 38. *n.* 1. artibu *l.* artibus *Ib. n.* 6. subducti *l.* subductis & Licerus *l.* Livius. *P.* 40. *n.* 10. Pyloro *l.* Peloro. *P.* 42. *n.* 1. Tullium *l.* Tullum. *Ib. n.* 2. Lanurii *l.* Lanuvii. *P.* 47. n. 1. Cannatem *l.* Carinatem. *Ib.* hietba *l.* hiarba. *n.* 4. Barec *l.* Barce. *P.* 49. *n.* 9. salictaris *l.* salutaris. *P.* 44. *n.* 6. agtrstes *l.* agrestes. *P.* 55. *n.* 6. Clodio *l.* Claudio. *P.* 60. *n.* 1. Carthaginienses *l.* Carthaginenses. *P.* 61. *n.* 2. excitus *l.* excitatus. *P.* 62. *n.* 1. Laco *l.* lago. *P.* 63. *n.* 4. Publicola *l.* Publicolæ. *P.* 68. *n.* 1. dei *l.* dii. *P.* 70. *n.* 13. Vrbs *l.* Vrbi. *P.* 74. *n.* 4. Perseppolim *l.* Persepolim. *P.* 77. *n.* 1. Galenæ *l.* Caleno. *Ib. n.* 2. quid *l.* quando. *Ib. n.* 4. profestus *l.* profectus. *P.* 78. *n.* 2. omminnibus *l.* ominibus. *P.* 79. *n.* 4. fueris *l.* fuerit & à *l.* ea. *P.* 89. *n.* 5. matrem *l.* patrem. *P.* 93. *n.* 1. s. *l.* sp. mummii. *P.* 97. *n.* 8. area *l.* arcu. *P.* 111. *n.* 5. spoliaret. *l.* spoliarat. *P.* 114. *n.* 4. Patni *l.* paterni. *P.* 116. *n.* 6. alea *l.* ala. *P.* 122. *n.* 4. quo postea *l.* de quo postea. *P.* 134. *n.* 1. tabulæ *l.* tabula. *P.* 136. *n.* 1. L. Scipione *l.* P. Scipione. *P.* 138. *n.* 2. Corauno *l.* Cerauno. *P.* 141. *n.* 1. spoleum *l.* spoletum. *P.* 143. *n.* 4. adncor *l.* admoneor. *P.* 144. *n.* 6. disposuisset *l.* deposuisset. *P.* 148. *n.* 2. Ephessa *l.* Ephesia. *P.* 152. *n.* 2. receptus *l.* receptui. *P.* 153. *n.* 6. torrebant *l.* tenebant. P. 169. *n.* 2. & viros *l.* ut viros. *P.* 170. *n.* 2. Ctitia *l.* Nicia. *P.* 176. *n.* 3. postquam *l.* postquem. *P.* 178. *n.* 2. Corbonis *l.* Carbonis. *Ib. n.* 3. Corbonem. *l.* Carbonem. *P.* 188. *n.* 1. fuit. *l.* attulit. *P.* 192. *n.* 1. pelleret *l.* depelleret. *P.* 201. *n.* 1. Crasso *l.* Cræso. *n.* 7. Bathyelc. *l.* Bathycle. *P.* 403. *n.* 1. populo *l.* pupillo. *P.* 204. *n.* 2. patienter *l.* impatienter. *P.* 208. *n.* 1. fulvia *l.* Livia. *P.* 211. *n.* 5. vel Livium *l.* ad Lucilium. *P.* 214. *n.* 2. Academio *l.* Academo. *P.* 229. *n.* 3. Ropilio *l.* Lænate. *P.* 230. *n.* 2. Fabius *l.* Fulvius. *P.* 233. *n.* 4. Vipsantus *l.* Vipsanius. *P.* 245. *n.* 1. Massina *l.* Massiva. *P.* 299. *n.* 1. Antigonum *l.* Antigoni. *P.* 250. *n.* 1. Lucenam *l.* Luceriam. *Ib.* furculas *l.* furcas. *P.* 297. *n.* 2. Savonio *l.* Favonio. *P.* 301. *n.* 1. plebis *l.* plebs. *P.* 304. *n.* 4. plebeia *l.* plebeiæ. *P.* 307. *n.* 7. Iuliano *l.* Iustino. *P.* 326. *n.* 1. Lapus *l.* Lupus. *P.* 331. *n.* 4. Taurici *l.* Isaurici. *P.* 340. *n.* 2. Romam *l.* Romani. *P.* 346. *n.* 2. Bianri *l.* Bianti. *P.* 373. *n.* 3. Rabinana *l.* Rabiriana. *Ib. n.* 8. hastilio *l.* hostilio. *P.* 377. *n.* 2. Labio *l.* Labeo. *P.* 380. *n.* 1. futurum *l.* facturum. *P.* 383. *n.* 5. fusci Caleni *l.* fusii Caleni. *P.* 387. *n.* 8. occæcasse *l.* obcæcasse. *P.* 397. *n.* 2. Galloi *l.* Gallio. *P.* 409. *n.* 1. generum *l.* socerum. *Ib. n.* 2. ad Vzitam *l.* ad Vticam. *P.* 414. *n.* 5. M. Pompeius *l.* Cn. Pompeius. *P.* 419. *n.* 2. obsiderunt *l.* obsederunt. *P.* 420. *n.* 1. caperentur. *l.* caperetur. *P.* 431. *n.* 1. fustos *l.* fastos. *P.* 439. n. 3. jucunda *l.* ineunda. *P.* 460. *n.* 2. Asconus *l.* Asconius.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la Grace de Dieu Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conseillers, les gens tenans nos Cours de Parlement, Grand Conseil, Requestes de nostre Hostel, & de nos Palais, Baillifs, Seneschaux, Prevosts, Lieutenans, & à tous nos amez Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra. SALUT : Ne voulant rien oublier de tout ce qui peut contribuer à la bonne Education de nostre tres-cher & tres-amé Fils le Dauphin, & considerant que son avancement dans l'Etude des bonnes Lettres en fait une partie : Nous avons jugé que rien ne luy seroit plus utile pour cela, que de luy faciliter la lecture & l'intelligence des anciens Auteurs de la Langue Latine, par des moyens plus prompts & plus commodes, que ceux dont on s'est servy jusques icy, & Nous nous sommes d'autant plus portez à l'execution de ce dessein, que Nous avons compris en même temps, que le public en recevroit beaucoup d'avantages. Ainsi Nous avons jetté les yeux sur plusieurs personnes sçavantes, tant de nostre Royaume, que des païs étrangers, pour travailler sur ces anciens Auteurs de la Langue Latine, y faisant des Notes & des Explications qui pussent en donner l'intelligence, sans avoir besoin d'autres Commentaires, & dans la distribution qui a esté faite de ce travail; Nous avons chargé le Pere CANTEL de la Compagnie de IESUS, de travailler à l'explication du *Valere Maxime*, dont il s'est acquitté à nostre satisfaction ; de sorte que son Ouvrage estant en estat d'estre imprimé, Nous avons permis & accordé, permettons & accordons à la Veuve CLAUDE THIBOUST, & à PIERRE ESCLASSAN, Imprimeurs & Libraires de nostre bonne Ville de Paris, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter ledit *Valere Maxime*, avec l'Interpretation & les Notes dudit Pere CANTEL, dans tous les lieux de nostre obeïssauce, en telles marges, tels volumes, & caracteres qu'ils voudront, pendant le temps de *vingt années*, à compter du jour que ledit Livre sera achevé d'imprimer, pendant lequel temps Nous faisons tres-expresses inhibitions & deffences à tous Imprimeurs, Libraires, & autres personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient d'imprimer, ou faire imprimer ledit *Valere Maxime*, sous pretexte d'augmentation, correction, ou autrement, en quelque sorte & maniere que ce soit, vendre ny debiter iceux sans la permission & consentement de ladite Veuve Thiboust, & Esclassan, ou de ceux qui auront leur droit, à peine de trois mille livres d'amande, applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hospital General, & l'autre tiers ausdits Exposans, confiscation des Exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & interests au profit desdits Exposans. A condition qu'il sera mis deux Exemplaires dudit *Valere Maxime* en nostre Bibliotheque publique, un en celle du Cabinet de nos Livres en nostre Chasteau du Louvre, & un en celle de nostre tres-cher & feal le sieur le Tellier, Chevalier, Chancelier de France, avant que de les exposer en vente, à peine de nullité des presentes. Du contenu desquelles Vous mandons faire joüir & user ladite Veuve Thiboust & Esclassan, & ceux qui auront droit d'eux, pleinement & paisiblement, cessans & faisans cesser tous troubles & empeschemens à ce contraires. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin desdites Oeuvres, une copie, ou Extrait des presentes, elles soient tenuës pour bien & deuëment signifiées à tous ceux qu'il appartiendra : Car tel est nostre plaisir. DONNÉ à Versailles le vingt-uniéme jour de Novembre, l'An de Grace 1678. & de nostre Regne le trente-sixiéme. Signé, Par le Roy en son Conseil, IUNQUIERES.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de cette Ville de Paris, le trentiéme Aoust 1679. suivant l'Arrest du Parlement du 8. Avril 1653. & celuy du Conseil Privé du Roy du 27. Février 1665.

Signé, ANGOT, Scyndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 20. Septembre 1679.

DE

DE ROMANORUM NOMINIBUS.

NOVEM Libris Valerii Maximi decimus de Nominibus Romanorum ſubjungi ſolet, qui incerti ſcriptoris eſt: Nam quod illius auctorem Valerium Maximum nonnulli eſſe volunt, id ſecus eſſe poſtea probabimus. Huic libro, quoniam & utilis admodum eſt, & mutilus; tum notas addere, tum ſupplementum, animus erat: cum viri eruditi nobis auctores fuerunt, ut in idem argumentum toti operi præmitteremus nonnulla; idque ſtudioſis & utilius multo fore, & jucundius, quod ea non huic tantum libro commentarii loco eſſent, ſed ipſi etiam Valerio multum afferrent opis. Illis, ut par erat, morem geſſimus. De Romanorum nominibus ſcripſerunt; id enim lectorem admonere non abs re fuerit, ut fontes ipſos, ſi plura hiſce de rebus ſcire cupiat, inviſere poſſit: ſcripſerunt, inquam, de Romanorum nominibus, è veteribus *Chariſius*, & *Diomedes* Grammatici, *Plutarchus* tum in Coriolano, tum in Mario, *Appianus* in procemio hiſtoriæ, *Dio* l. 47. *Pauſanias* in Achaicis. E recentioribus *Franciſcus Robortellus*, *Carolus Sigonius*; *Onuphrius Panuinus*; & è Societate noſtra duo viri doctiſſimi *Andreas Schottus* in Tomo tertio Pighii, & *Iacobus Sirmondus* in præfatione ad Notas in Sidonium; è quibus omnibus inſignia quæque ſelegimus, quæ brevitatis ſtudio in quatuor veluti claſſes tribuenda viſa ſunt: quærimus enim 1° An Romani omnium primi pluribus uti nominibus cœperint? 2° Quæ fuerint illa prænomina, nomina, cognomina; & unde ſumpta ſint? 3° Quæ lex fuerit in fœminis, filiis adoptivis, libertinis, ſervis? 4° An eadem fuerit nominum ratio ſtante everſaque Republica? Quæ quatuor, quam breviſſime fieri poterit, perſtringemus.

AN ROMANI OMNIUM PRIMI PLURIBUS UTI NOMINIBUS COEPERINT.

DUplex eſt Authorum ſuper hac re ſententia: Altera Varronis, altera illius, quiſquis eſt, qui decimum hunc librum ſcripſit. Hunc morem Romanorum proprium Varro; ab aliis acceptum docet ignotus ille ſcriptor. Cum multa Varronem, tum illud præcipue movit; quod *Romulus*, *Remus*, *Fauſtulus* unum nomen habuerint; Varronemque ſecutus Priſcianus, cur alterum tertiumque nomen adhibuerint, duas affert rationes: unam, ut homines ejuſdem tum gentis, tum familiæ inter ſe diſtinguerentur: alteram, ut Sabinorum ſibi conciliarent benevolentiam, dum & ipſorum ſibi aſſumerent nomina, & ſua ipſis communicarent: Quibus & Eutropius in Romulo, & Appianus in eo, quem diximus, loco aſſentiri videntur.

Eorum tamen, qui aliter ſenſerunt, opinionem multo probabiliorem non temere dixerim: cum bene multi, tum apud Albanos vel ante Romam conditam, tum etiam apud Sabinos aliquanto poſt, plura habuerint nomina. Quis enim vel leviter eruditus neſciat Romuli matrē *Rheam Sylviam*; avum *Numitorem Sylvium*; fratremque ipſius *Amulium Sylvium*; Sabinorumque duces huic ætati prope ſuppares *T. Tatium*, & *Metium Suffetium* appellatos. Nec quemquam movere debet, quod *Romulus* & *Remus* uno nomine dicti ſint: id enim illis ſingulare fuit, cum eſſent ſpurii; vel, quod ſimilius vero videtur, ex gente Sylvia cum eſſent, *Romulus* & *Remus* non nomina, ſed præno-

mina fuerunt. Hunc morem à Græcis acceptum tradit Arruntius Claudius apud Diomedem; ab Albanis & Sabinis decimi huius libri ignotus auctor, quod verius putem. Maneat ergo Albanos ante Vrbem conditam plura adhibuisse nomina; illam que ab iis ad Romanos manasse consuetudinem.

QUID SIT NOMEN, COGNOMEN, PRÆNOMEN.

Gentem inter & Familiam hoc intererat, quod Gens multo latius quam Familia pateret; cum ex una Gente multæ Familiæ, quasi ex uno fonte multi rivuli, derivarentur. Quod videre est, ut Gentis unius exemplo de cæteris conjectura fiat, in Gente *Cornelia*, unde Familiæ nobilissimæ *Scipiones*, *Lentuli*, *Cethegi*, *Dolabella*, *Cinna*, *Sylla*, *&c.* tanquam ex uno trunco multi rami, propagatæ sunt. Quare ne gens cum gente, ne familiæ ejusdem gentis, ne homines ejusdem tum gentis, tum familiæ nominum similitudine inter se confunderentur, adhiberi cœpta sunt *Nomina*, quæ *Gentem*; *Cognomina*, quæ *Familiam*; *Prænomina*, quæ *Personam* designarent. Vt rem paucis concludam, *Nomine* gens à gente, *Cognomine* familia à familia, *Prænomine* frater à fratre distinguebatur: quod proposito exemplo clarius patebit. Sint igitur *Publius Cornelius Scipio*, & *Lucius Cornelius Scipio*: ambo fratres ex *Cornelia* gente, & *Scipionum* familia: Quare utrique commune & *nomen*, & *cognomen*: Vtrumque fratrem nomen *Cornelius* à gente tum *Fabia*, tum *Claudia*; cognomen *Scipio* ab aliis *Corneliæ* gentis familiis, ut *Lentulis*, *Cethegis*; & prænomen *Publius* & *Lucius* alterum ab altero discernit.

Tria hoc in loco annotare libitum est, unum nomini Gentilicio prænomen præponi, postponi cognomen; alterum prænomina à Plutarcho appellari *prima*; nomina *secunda*; cognomina *tertia*. Hæc forte leviora, tertium paulo gravius; esse nonnullos, qui agnomen à cognomine plane diversum esse velint: utque in eo, quod jam attulimus, exemplo hæreamus: *P. Cornelius Scipio Africanus*, & *L. Cornelius Scipio Asiaticus*: *Africanus* & *Asiaticus*, vocant agnomina, quod cum ab actione aliqua, eventuque petantur; sicut prænomina fratrem alterum ab altero, ita victoriam unius à victoria alterius distinguant: sic quidem illis placet: sed quam opinione sua falsi sint, vel ex uno Cicerone intelligi potest; cujus duo testimonia hic adscribere non pigebit, quorum in altero de *Scipionibus*, *Africano* & *Asiatico*; in altero de duobus *Africanis Maiore & Minore* loquitur. Sic igitur ille pro Muræna. *Quam laudem ille, Africa oppressa, cognomine ipso præ se ferebat: eamdem hic sibi ex Asia cognomine desumpsit.* Et in Somnio Scipionis *Eritque cognomen id tibi per te partum, quod nunc habes à me hereditarium.* Quibus cum *Africanus* & *Asiaticus* non agnomen, sed cognomen esse ab eo dicantur; nihil opus est in his diutius immorari.

Studiosis, opinor, non erit ingratum, si quot fuerint prænomina, quot litteris notarentur; & unde singula deducta sint ex primæ classis authoribus breviter hic exposuerim. Triginta, si Varroni credimus, prænomina fuerunt; alia tamen aliis rarius usurpata: frequentiora erant octodecim, quorum alia singulis, alia binis, alia ternis literis scribebantur: singulis hæc undecim.

- A. *Aulus*, qui Diis volentibus natus est. Ignotus hic auctor.
- C. *Caius* à gaudio parentum dictus. Idem.
- D. *Decimus*, qui decimus natus est. Varro.
- K. *Cæso*, qui ex matris utero exsectus est. Festus, Plinius, &c.
- L. *Lucius*, vel à Lucumonibus Etruscis, ut ignotus auctor, vel qui lucis initio natus est: ut Varro, & Festus.
- M. *Marcus*, qui mense Martio ortus est. Ignotus auctor.
- M. *Manius*, qui mane natus, vel ominis causa, quasi bonus. Varro, Festus, Macrobius.
- N. *Numerius* à numero dictus. Festus.
- P. *Publius*, vel à pube, vel à populo; quasi popularis, vel quasi pupillus. Ita ignot. auctor.
- Q *Quintus*, qui quinto loco natus est. Varro.
- T. *Titus* à Sabino quodam ducitur, ex

ignot. authore; vel à titulo, ex Festo, quasi *Tutulus*, qui patriam tueretur.

Quatuor notantur binis litteris.

Ap. *Appius* ab Actio Sabino, Claudiæ gentis Principe. Ignot. auctor.

Cn. *Cnæus* ob nævum insignem.

Sp. *Spurius*, qui sine patre: Antiqui enim iisdem literis SP. *Spurium*, & *sine patre* scribebant. Plutarchus.

Ti. *Tiberius*, qui ad Tiberim natus est. Ignotus auctor.

Tria scribuntur trinis litteris.

Mam. *Mamercus*, à Mamerco Pythagoræ filio.

Ser. *Servius*, quem serva mater peperit. Plutarch.

Vel qui mortua matre in utero servatus est.

Sex. *Sextus*, qui sexto loco natus est.

Rarius usurpata prænomina.

Faustus, à favore dictus.

Hostus, qui peregre apud hospitem natus est. Ignotus auctor.

Opiter, quasi post obitum patris genitus. Festus.

Posthumus, qui post humatum patrem natus est.

Proculus, qui patre vel sene, ut vult ignotus author, vel peregrinante procul à patria natus est, ut placet Plutarcho.

Tullus, ominis causa, quasi tollendus. Ign. auctor. *Volero*, quasi volens nasci.

Vopiscus, qui ex duobus conceptis uno abortu excluso ad partum legitimum deduceretur. Festus, Plut. & Plin.

Sabinorum prænomina propria fuerunt; *Ancus*, *Numa*, *Pompo*, *Tullus*, *Volusus*. Etruscorum, *Aruns*, *Lar*, *Lucumo*. Albanorum, *Metius*. Latinorum, *Turnus*.

Prænomina quædam in cognomina versa sunt; ut *Agrippa*, *Gracchus*, *Proculus*, *Vopiscus*; & nonnulla cognomina in prænomina: ut *Cossus*, *Drusus*, *Iulus*, *Nero*, *Paulus*, *&c.*

Infinitus ego sim, si unde singula singularum gentium nomina petantur, sigillatim persequar. Quare satius visum est summa tantum capita breviter indicare, ut earum rerum intelligens lector ex iis, quas appellabo, paucis, de aliis conjicere possit. Alia igitur gentium nomina à Trojanis, & Aboriginibus ducuntur, ut *Fabii* à Fabio, *Iulii* ab Iulo: quorum alter Herculis, alter Æneæ filius fuit. Alia ab Italis, ut *Calphurnii* à Calpo Numæ filio; à prænominibus, *Lucilii* à Lucio; à Manio *Manilii*: à nominibus, *Sextilii* à Sextiis: à cognominibus, *Rutili* à Rutilo; à Fulvo *Fulvii*: ab oppidis, *Tarquinii* à Tarquiniis: à quadrupedibus, ut à porcis *Porcii*; ab asinis *Asinii*: à ministerio, ut *Flaminii*: à voce aliqua, ut *Octavii* ab octavo. Non alienum erit hic annotare, omnia fere hæc nomina in *ius* desinere, ut *Cornelius*, *Iulius*; si quinque exceperis *Cæcinna*, *Norbanus*, *Peducæus*, *Perperna*, & *Poppæus*; quæ etiã, ut nonnullis placet, non nomina, sed cognomina fuerũt.

Cognomina familiarum alii aliunde repetunt, quæ tamen, ut rem paucis expediam, ad tria quasi capita revocari possunt: ita ut alia ab animo, alia à corpore, alia à fortuna ducantur: Ad animum vero pertinent virtutes, mores, oratio, artes, studia, res gestæ, &c. Ad corpus, partes corporis, color, vestitus, habitus, cum altero similitudo; & alia ejusdem generis. Ad fortunam & casum cætera. A sapientia *Cato* & *Sophus*; à virtute & moribus, *Frugi*, *Gurges*, *Nepos*: ab oratione, *Lepidus*, *Atticus*: ab arte & studio *Pictor*, *Metellus*: à regione vel urbe devicta, *Africanus*, *Coriolanus*: ab amore in populum, & in patrem *Publicola*, *Pius*: à corporis partibus *Cincinnatus*, *Calvus*: à corporis habitu *Crassus*, *Macer*, à similitudine cum alio *Serapio*: à fortuna *Felix*, *Faustus*.

QUÆ LEX FUERIT NOMINUM IN FOEMINIS, FILIIS ADOPTIVIS, LIBERTINIS, ET SERVIS.

VT viri, sic mulieres prænominibus uti consueverant. Sed eorum alia aliis temporibus ratio fuit. Primum enim prænomina illis fuerunt, ut ignoto auctori placet, *Caia*, *Lucia*, *Publia*, *Numeria*, *Rutilla*, *Cesella*, *Rodocella*, *Mutrulla*, *Burra*, & ut auctor est Festus, *Cæcilia* & *Tarratia*, quæ inversis literis scribi

moris erat ɔ' T' W' deinde vero nomen gentis illis inditum est; ita ut si unica esset filia, *Cornelia* v. g. vel *Tullia* diceretur: Si duæ, una *Cornelia Major*, altera *Cornelia Minor*. Si plures, *Prima*, *Secunda*, *Tertia*, *Quarta*, &c. Vel ut nomina sonarent lenius, *Secundilla*, *Quartilla*, *Quintilla*. Imponendi vero tum nominis, tum prænominis aliud fœminis, aliud maribus tempus fuit: nomen enim fœminis octavo die, maribus nono imponi solebat: prænomina vero pueris, cum virilem togam sumerent; puellis cum nuberent.

De filiis adoptivis unum tantum habeo, quod moneam: ipsos aliquando nomen gentis, aliquando cognomen familiæ ita retinuisse, ut nomen inflecterent, cognomen vero servarent integrum. Exemplo nobis erunt *P. Cornelius Scipio Æmilianus*, & *C. Iulius Cæsar Octavianus*, quorum alter ex gente *Æmilia* in *Corneliam* à filio *Africani Majoris*: alter ex gente *Octavia* in *Iuliam* à *C. Cæsare* adoptatus est. Cum vero *P. Cornelius Scipio* à *Q. Metello Pio*, & *M. Iunius Brutus* à *Q. Servilio Cæpione* adoptati essent; Ille *Q. Metellus Pius Scipio*, hic *Q. Servilius Cæpio Brutus* dictus est.

Inter servos & libertos id discriminis esse plerique volunt, quod servi domini prænomen tantum; liberti vero & prænomen & nomen assumerent. Cognomen non item: quare servus vulgo vocatur *Luciper*, *Marcipor*; quod idem sonat ac *Lucii puer*, *Marci puer*. Si libertorum exemplum requiras, indicio tibi erunt duo *M. Tullii Ciceronis* liberti, quorum alter *M. Tullius Tiro*, alter *M. Tullius Laurea* appellatus est.

AN EADEM FUERIT NOMINUM RATIO STANTE EVERSAQUE REPUBLICA?

DVo hic potissimum quærimus, quorum alterum ad prænomen, alterum ad nomen, cognomenque pertinet. Primum an posterior ætas, sicuti prior, proprium cujusque nomen cæteris nominibus præposuerit: Deinde an nomen, cognomenque à patre, avo, proavo, ut olim, certa lege repetierit.

Stante Republica hic mos semper obtinuit, ut nomen proprium; prænomen, uti diximus, erat; ante cætera nomina collocaretur: Post eversam vero Rempublicam, & Romæ, & in Provinciis non primum, ut olim, sed ultimum nomen cuique proprium fuit: ita ut fratres, cum cætera nomina communia haberent, non primis, ut antea, sed ultimis nominibus inter se dignoscerentur; ut *Flavius Vespasianus* & *Flavius Sabinus* fratres apud Suetonium. Atque à multis exemplis ut abstineamus, unum *Senecarum* addere satis superque erit. Pater fuit *M. Annæus Seneca*, qui Rhetor: illi tres fuerunt filii *M. Annæus Novatus*, *L. Annæus Seneca*, qui Philosophus; & *L. Annæus Mela*, qui Lucani pater. Quis non videt tres illos fratres, nec primo, nec secundo nomine, quæ vel tribus, vel duobus communia erant, sed ultimo, quod unicuique proprium, inter se distingui?

Florente Republica prænominis imponendi hic mos fuit, ut filius natu maximus plerumque prænomen à patre, secundus tertiusve à patruis, cognatis aut proavis mutuarentur: nomina vero gentium, & familiarum cognomina ita certa erant & stata, ut & fratribus essent communia, & ad posteros transirent: Quare *Cornelii* aut *Iulii* dicebantur ii omnes, qui è gente *Cornelia* aut *Iulia* nati erant: & *Scipiones* item, aut *Cæsares*, qui in familia *Scipionum* aut *Cæsarum*. Sed paulo post occasum Reipublicæ ita labi sensim ac mutari cœperunt, ut nullum familiæ, nullum gentis certum nomen fuerit; filiique à patribus, & à fratribus fratres semper pluribus, interdum omnibus nominibus discreparent: cum id temporis, nec proprium cujusque nomen, nec adjuncta, seu prænomina, seu cognomina semper à parentibus, ut prius, sed aliunde, ut plurimum pro arbitrio deducta assumerent: quod vel ex iis duobus, quæ proferam exemplis intelligere licet. *Q. Clodius Hermogenianus Olybrius*, & *Faltonius Probus Alypius*

Theodosii ævo fratres fuerunt ; & aliquanto post *Flavii Aviti Mariniani*, qui *Asclepiodoti* fuit in Consulatu Collega, filius erat *Rufius Prætextatus Postumianus* & ipse Consul.

Vtque rem paucis concludam, posterior ætas à veterum Romanorum consuetudine in his duobus deflexit ; quod & proprium cuique nomen fuerit stante Republica, quod primum : ea vero eversa, quod ultimum : & stata fuerint primis hisce temporibus tum gentium, tum familiarum vocabula ; posterioribus vero non item. Hæc habui fere de nominibus Romanorum, quæ dicerem.

DE GENTIBUS ET FAMILIIS ROMANORUM.

VT Historiæ Romanæ studiosis adolescentibus opera nostra gratior sit, & etiam utilior, non gentes omnes Romanas, quod infinitum sit, hic persesequimur ; sed eas tantum, sive Patriciæ sint, sive Plebeiæ, quæ vel militari gloria, vel gestis honoribus præ cæteris maxime floruerunt. Cum vero ante bella Punica, Romana res, aut angustis, aut iisdem, quibus Italia, finibus clauderetur ; & bellorum & ducum fama primum obscurior fuit, postea illustrior : quare familias quæ antea illa tempora, aut domi aut militiæ nobiles extiterunt, quam brevissime fieri potuit explicuimus : quæ aliquanto post Orbis imperium patriæ suæ virtute bellica pepererunt, paulo uberius. Ac ne quid etiam illud haberet fastidii, cum familiæ aliæ multos & pacis & belli artibus insignes viros protulerint, aliæ unum, alterum-ve tantum ; illarum stemma integrum appositum est ; harum vero non item, sed clarissimi quique suo quisque loco appellati. Ne cui vero nominum similitudo errorem objiciat ; & annus, quo quisque Consul fuit, annotatus est, & præfixi numeri, qui continuam familiarum seriem indicent. In signandis Consulum annis Fastos Consulares, ut extant tum apud Sigonium, tum apud Pighium secuti sumus : Quare ne quis miretur, si à Glandorpio aliisque nonnullis sæpius dissentiamus : qui quem ducem adhibuerint plane nescio. Excerpta etiam ex primæ classis authoribus testimonia appingere libuit ; eaque, quoad licuit, insignia, quibus summorum virorum & expressa forma est, & indoles : quo enim quisque & corporis habitu fuerit & ingenio cognoscere voluptatis habet nonnihil. De familiis Romanorum scripserunt Antonius Augustinus, è nummis Fulvius Vrsinus, Glandorpius in Onomastico, tabulis & Richardus Streinnius, & Nicolaus Reusnerus : Multa etiam habet Pighius in Annalibus Romanis, nec non & in Fastis Sigonius ; quibus quidem omnibus usi sumus : Sed alia illis, alia nobis scribendi ratio proposita est ; utra præstet alteri, tuum esto, Lector, judicium. Si nostra tibi non displiceat, utere, & fave.

QUI APUD ROMANOS PATRICII, QUI NOBILES.

ROmanorum omnes tum gentes, tum familiæ in quatuor classes tribui haud incommode possunt : aliæ enim, si genus spectemus, Patriciæ fuerunt ; aliæ Plebeiæ : si honores ; aliæ nobiles ; aliæ novæ. Primum de Patriciis, deindede Nobilibus dicemus. Nam cæteræ nihil ad nos.

Vrbe condita, Populum omnem duas in partes Romulus divisit: unam divitum, qui *Patres*, eorumque posteri *Patricii* dicerentur: alteram tenuiorum, qui *Plebeii*; ut illi pauperibus patroni, isti optimatum clientes essent. Penes *Patricios* Sacra, Iudicia, Magistratus erant, totiusque Reipublicæ summa. Plebis vero fuit agrum colere, alere pecus, quæstuosis artibus operam dare, & alia id genus exercere opificia. Hæc prima, ut memoriæ proditum est, *Patriciorum* origo. At cum Romulus, Tarquinius Priscus, & L. Brutus, alius alio tempore Patricios allegerint, qui *majorum gentium* dicendi sint, qui *minorum*? Livium inter & Tacitum non convenit. Nam Livius, quos Romulus adscripsit, *majorum gentium*; quos Tarquinius, *minorum*; quos L. Brutus, *Patres conscriptos* appellat. Tacitus vero vult omnes, tum à Romulo, tum à Tarquinio allectos *majorum gentium* fuisse: adscitos vero à Bruto, *minorum gentium* nuncupatos. Vtri horum assentiri debeas, tute ipse, videris, ego certe affirmare non ausim. Ex his facile quivis intelligat multum inter Civem Romanum, & Patricium interfuisse: is enim Civis erat, qui civitate donaretur; at non continuo Patricius, nisi ab eo qui tum rerum potiretur, in hunc ordinem cooptatus esset. Nam Principis fuit Patriciorum numerum pro arbitrio vel explere, vel augere: quod factitatum legimus primum à Tarquinio Prisco, tum à L. Bruto Consule, multo post ab Augusto, denique à Claudio, ut tradunt Liv. Suet. & Tacit.

Vnum est, quod vel eruditis aliquando negotium facessere solet; cur ex duabus familiis ejusdem & nominis & gentis sæpe altera *Patricia*, *Plebeia* altera fuerit: imo una eademque interdum familia modo *Patricia*, modo *Plebeia* dicatur. Qui id factum sit, multi multas causas afferunt, ex quibus tres potissimum apud Sigonium mihi probantur. Vna est, quod ex *Patricia* gente alii ad plebem se contulerint; alii in pristina dignitate remanserint. Contra vero è *Plebeia* alii transierint ad *Patricios*, alii non item: quod de gente Octavia prodidit Suetonius, quæ à Servio Tullio inter *Patricios* allecta, se ad plebem aliquanto post contulit; & C. Cæsaris opera ad *Patricios* rediit. Altera, quod tum *Plebeius* à *Patricio*, tum *Patricius* à *Plebeio* adoptatus, illius qui ipsum adoptabat conditionem sequeretur. Verbi gratia *M. Brutus* Plebeius à *Q. Capione Patricio*; & *P. Scipio* Patricius à *Q. Metello* Plebeio adoptatus est, uti jam diximus: quare ille *Brutorum* familiam ex *Plebeia Patriciam*; hic vero *Scipionum* familiam ex *Patricia Plebeiam* reddidit. Tertia, quod si quis vel libertate vel civitate à Patricio quopiam donaretur, is illius sive domini, sive patroni nomen ferret gentilitium; Patricium tamen honorem non obtineret: unde duæ propagabantur familiæ ejusdem quidem nominis, at non ejusdem dignitatis.

Dum solis Patriciis aditus ad honores patuit, iidem *Nobiles* erant qui & *Patricii*. At ubi Romana res adolevit, plebi simul cum opibus animi spiritusque creverunt: tum enim ambire honores, magistratus petere, facere secessionem à Patribus, tumultus seditionesque in urbe excitare; donec illius pervicacia fracta Patrum constantia est; plebsque ad honores ea lege admissa, ut è Consulibus alter è plebe, alter è Patribus legeretur. Tunc tandem è populo benemulti assecuti consulatum, imperia, triumphos: *Nobiles* haud aliter ac *Patricii* haberi cœpti sunt. Nobilitas enim nec genere, nec omnibus honoribus, sed iis tantum, qui curules essent, Consulatu, Censura, Prætura, & aliquot annis post Ædilitate majore parabatur: his muneribus qui defuncti erant jus habebant imaginum; alii non item: Nam qui Magistratus curules gesserant, illis sui imaginem habere domi, posterisque relinquere fas erat: vetitum aliis. Vnde colligere licet, eos fuisse *Nobiles*, qui multas Majorum suorum ostentarent imagines; eos vero *homines novos*, qui cum nullas haberent; Magistratus tamen curules, vel è gente, vel è familia sua primi assequerentur.

GENS ÆMILIA.

SIve à *Mamerco* Pythagoræ filio, five ab *Æmilio* Æneæ nepote, five ab *Amulio* Albanorum rege Gens *Æmilia* genus fuum repetat (aliter enim aliis placet) à fingulari certe aut oris venuftate, aut fermonis lepore *Æmilii* nomen invenit. Et Patricia majorum gentium fuit, & fummis femper perfuncta honoribus. Septem potiffimum familias complectitur, *Mamercos*, *Barbulas*, *Pappos*, *Regillos*, *Paulos*, *Stauros*, *Lepidos*. Aliæ enim, quas addit Onuphrius obfcuriores funt. De quatuor, quas Primas appellavi, familiis, quia vetuftior earum memoria eft, dicemus paucis: de aliis paulo uberius.

ÆMILII MAMERCI, BARBVLÆ, PAPPI, ET REGILLI.

ÆMilii *Mamerci* ab anno Vrbis 260. ad annum circiter 450. fummos in Republica Magiftratus adepti funt. Multi Confules, multi Tribuni militares confulari poteftate, nonnulli etiam Dictatores, & triumphi honore infignes; quorum virtus in bellis adverfus Volfcos, Æquos, Fidenates, Sabinos, & Veientes enituit. Aliis omnibus rerum geftarum gloria longe præftitit *Mam. Æmilius Mamercinus*, qui Tribunus militaris anno 315. deinde ter Dictator fuit; & femel atque iterum de Fidenatibus triumphavit. *Mamercorum* familia ab anno 450. per annos amplius ducentos jacuit, donec *Mam. Æmilius Livianus* anno 676. Conful creatus eft: illum enim ex *Mamercorum* familia multi fuiffe fufpicantur.

Barbularum nomen ab anno Vrbis 430. ad an. 530. floruit. Quatuor potiffimum memorantur. I. *Quintus Æmilius Barbula* Confulatu duplici anno 436. & 442. triumphoque de Etrufcis clarus: cujus duo filii II. *Marcus* & III. *Lucius*, uterque Conful; ille anno 468. hic 472. *Marcus* etiam Dictator fuit; *Lucius* de Tarentinis & Samnitibus triumphum egit. IV. *Lucii* filius *Marcus* Conful ponitur anno 523.

Papporum domus ab anno 430. ad 580. celebris admodum fuit, cujus princeps I. *Marcus* Dictator dictus eft anno 432. filio tamen & nepote virtute multo inferior; illi *Quintus*, huic *Lucius* nomen fuit: uterque Cenfor, Sed II. *Quintus* bis cum Fabricio Conful anno 471. & 475. Pyrri retudit impetus. III. *Lucius* vero Conful anno 528. quadraginta Gallorum millia cecidit, de iifque triumphavit. IV. *Lucii* filius *Marcus* Curio fuit Maximus V. nepos *Lucius* Prætor Siciliam obtinuit.

E *Regillis*, unus perhibetur *Lucius* bellica laude infignis, qui victa ad Myonefum Antiochi magni claffe Prætor triumphum navalem affecutus eft. Illius quidem pater *Marcus Regillus* bello Punico fecundo Conful relatus eft; fed à Q. Fabio Cunctatore repudiatus, cum diceret alio Confule contra Annibalem opus effe.

ÆMILII PAVLI.

ÆMilios omnes gloria militari *Pauli* longe fuperarunt. Quatuor omnino fuerunt, duo *Marci*, totidem *Lucii*; Confulatu omnes, *Lucii* triumphis etiam clariffimi. I. *Marcus* Conful cum effet anno 451, Magifter equitum à Q. Fabio Rulliano dictus eft: II. cujus filius *Marcus* Conful anno 498. multas naves & Car-

thaginensibus ademit, & naufragio amisit. III. Lucius ex eo genitus duplicem Consulatum gessit pari fortitudine, sed fortuna longe dispari: nam in primo anno 534. triumphavit de Illyriis; in secundo anno 537. ad Cannas cecidit. Filiam habuit Æmiliam, quæ Africani majoris uxor, & IV. filium *Lucium*, qui Æmilius ille Paulus duplici Consulatu, tribusque triumphis celeberrimus: Nam Prætor anno 564. de Hispania ulteriore, primum Consul an. 571. de Liguribus; Consul iterum an. 585. de Perse triumphavit. Duas habuit uxores, ex prima, quæ Papyria fuit, duos suscepit filios, totidemque filias. E filiis natu major in gentem *Fabiam*, minor in *Corneliam* adoptatus est. Quare ille *Q. Fabius Maximus Æmilianus*; hic vero *P. Cornelius Scipio Æmilianus* dictus est. Filiarum altera *Q. Aëlio Tuberoni* nupsit; altera *M. Catoni* Censorii filio. Ex secunda uxore, quam senex duxerat, duos etiam genuerat filios: sed eorum alter paulo ante patris de Perse triumphum, alter paucis diebus post obiit.

ÆMILII SCAVRI.

SCaurorum familia obscura admodum fuit ab anno Vrbis 563. quo *L. Æmilius Scaurus* sub Æmilio Regillo contra Antiochum militasse fertur, ad annum 638. quo *M. Æmilius Scaurus* Consulatum adeptus est, & aliquanto post Proconsul de Liguribus triumphum egit, & Censor stravit viam Æmiliam, diuque Senatus Princeps in urbe, si quis unquam civis, potuit plurimum. Ex *Cæcilia Metelli Pii* filia, quæ postea *L. Syllæ* nupsit, *Æmiliam* primum *Acilii Glabrionis*, tum *Pompeii Magni* uxorem suscepit, duosque filios; quorum alter, quod stationem Cimbrorum metu deseruisset, objurgatus à patre paulo durius, mortem sibi conscivit. II. Alter *Marcus*, ille *Scaurus* Ædilitate, ludorum apparatu, & theatri magnificentia notissimus, qui ex Prætura Sardiniam sortitus, Sardorum accusatione spe Consulatus dejectus est. Illi ex *Mutia* à *Pompeio Magno* repudiata natus est. III. *M. Scaurus*, qui post C. Cæsaris mortem primum ad *Brutum*, deinde ad *Sextum Pompeium*, post ad *Antonium* fugit; eoque victo vitam ab Octavio obtinuit *Mutia* matris precibus. IV. Illius filius fuit Mam. Scaurus, qui sub Tiberio eloquentiæ & ingenii laude cum floreret, adulterii cum *Livia* insimulatus, hortante *Sextia* conjuge, sibi cruentas manus intulit.

M. Scauri, qui Senatus Princeps fuit, indolem breviter descripsit Sallustius in bello Iugurthino, his verbis. *Æmilius Scaurus homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiæ, honorum, divitiarum; cæterum vitia sua callide occultans.*

ÆMILII LEPIDI.

LEpidorum domum ad summos honores evexerunt Lepidi duo, quorum alter alterius nepos fuit: uterque *Marcus* dictus, & bis Consul, avus anno 521. & 533. I. nepos 566. & 578. Hic præterea de Liguribus triumpho nobilis, Pontifex maximus, Censor, Princeps Senatus, missusque in Ægyptum, ut tutorio nomine pupilli regnum administraret. Ab eo propagatæ sunt duæ *Lepidorum* familiæ, quorum ex altera fuerunt *M. Lepidus Porcina* à Vacceis victus, & *Lepidus Livianus*, aliique aiis temporibus Consules, quorum continua series ex historicis colligi vix potest.

Stirpis alterius Princeps fuit. II. *Marcus* ille *Lepidus*, qui Tribunus militum Romanis de Antiocho victoriam virtute sua peperit. III. Illius filius *M. Lepidus* cum *L. Oreste* Consul anno 627. quartos ludos sæculares celebravit: IV. ex eo natus est *M. Lepidus*, qui *Pompeii* ope adeptus Consulatum, acta *Syllæ* cum rescindere vellet anno 675. à Collega *Q. Catulo* urbe pulsus, in Sardinia, quo fugerat, decessit. V. Ambo illius filii *Lucius* & *Marcus*

eus C. Cæsaris partes secuti sunt: hic Prætorius, ille jam Consularis. At *Marcus* à Cæsare primum Magister equitum, deinde Consul anno 707. factus, post illius cædem & Pontifex Maximus fuit, & Triumvir cum Octavio & Antonio: copiis tamen aliquanto post spoliatus ab Octavio, Circeios relegatus est. VI. Multo etiam tristior *M. Lepidi*, quem *Iunia* M. Bruti soror illi pepererat, exitus fuit: nam infensus Augusto, cum novis rebus studeret, à Mœcenate oppressus est.

V. *L. Lepidus Paulus*, *Marci* Triumviri frater, varia etiam fortuna usus est; gesto enim Consulatu anno 703. proscriptus, à fratre Triumviro, quem hostem patriæ dixerat, fugit ad Brutum; deinde Miletum secessit: unde aliquot annis post ab Augusto revocatus, Censor lectus est. Ex *Cornelia* P Scipionis Nasicæ & Scriboniæ, quæ postea Augusto nupsit filia, VI. M. Lepidum & L. Paulum suscepit. Ambo Consules fuerunt, ille anno 758. hic 753. Neutri filius natus est. VII. sed utrique filia *Æmilia Lepida*; quæ *Marci* fuit, *Druso* Germanici filio; quæ vero *Lucii*, *Ap. Iunio Syllano* nupsit.

ANTONII.

ANtoniorum familia duplex, altera Patricia, Plebeia altera [Patriciæ *Merendæ* cognomen fuit: Plebeiæ nullum. Plebeia recentior quidem, sed gestis honoribus multo illustrior: Nam è Patricia duo tantum memorantur, quorum alter *T. Antonius Merenda*, qui Decemvir cum Ap. Claudio anno 303. ob affectatam Tyrannidem cum Collegis urbe pulsus est. Alter *Q. Antonius Merenda* Tribunus militaris anno 331. An tum hæc familia desierit, an se contulerit ad plebem obscurum est?

E plebeia tres quatuorve ante Antonii Oratoris ætatem produntur à Livio. *M. Antonius* Magister Equitum à P. Cornelio Rufino dictus anno 419. Et multo post *Quintus* & *Aulus* Antonii; quorum ille L. Æmilii Regilli Prætoris contra Antiochum; hic L. Æmilii Pauli Consulis contra Persen legatus fuit. Ætate etiam suppar illis fuit *M. Antonius* Prætor. Ab iis prognatusne sit *Antonius* Orator, an secus, incertum est? Cum tamen à nemine, quod sciam, novus homo dicatur, ab iis *Antoniis* traxisse originem, non temere dixerim: in re enim dubia conjectura uti licet.

I. *M. Antonius* Orator ille à Cicerone tantopere laudatus, fuit prudentia & eloquentia singulari; nec militaris etiam scientiæ rudis: Nam ex Consulatu anno 654. Ciliciam sortitus, tam feliciter rem gessit, ut cum triumpho redierit. Censor haud multo post factus est, & in bello civili jussu Marii cæsus, duos reliquit filios *M. Antonium* & *C. Antonium*, qui famosi quidem rebus gestis fuere, virtute tamen parenti longe inferiores: II. Marcus enim curationem nactus rei frumentariæ maris imperium obtinuit; sed bello Cretensibus illato, victus est; cujus dedecoris impatiens mœrore obiit: Vnde *Cretici* cognomen illi non honoris, sed ludibrii causa inditum est. II. *Caius* vero nihilo fratre felicior, Syllæ partes secutus, post victoriam cum Achaiam spoliasset, à Censoribus Senatu motus est; restitutus tamen aliquanto post cum Cicerone, & Prætor & Consul fuit anno 690. oppressoque per Petreium legatum Catilina, Macedoniam Proconsul sortitus est; sed victus à Dardanis, amisso exercitu, provinciaque temere habita, accusante M. Cælio damnatus apud Cephalonios 15. annis exulavit: donec occiso Cæsare, à M. Antonio Consule fratris filio revocatus paulo post obiit. Filiam ejus *Antoniam* M. Antonius uxorem duxerat: sed quasi à Dolabella corruptam, patre etiam tum superstite, dimisit.

M. Antonio Cretico Oratoris filio duæ uxores fuerunt, *Numitoria* & *Iulia* L. Cæsaris, qui Consul in bello sociali Samnites vicit, filia; quæ post mariti mortem nupsit P. Cornelio Lentulo, qui ob Catilinæ conjurationem in carcere necatus est. *Antonius* ex *Numitoria* nullos liberos sustulit; ex *Iulia* filios tres, *Marcum*, *Caium* & *Lucium Antonios*. III. *M.*

Antonius & in Syria sub Gabinio meruit, & in Gallia sub C. Cæsare; à quo in dissensione civili primum Magister Equitum, deinde Consul anno 709. creatus est: cujus cædem ulturus, Triumviratum cum Octavio & Lepido assumpsit. Sex bella vario eventu gessit; tria civilia, *Mutinense*, contra Rempublicam; *Philippense*, contra Brutum & Cassium; *Actiacum*, contra Octavium. Tria item externa, *Armeniacum*, contra Armeniæ Regem; *Syriacum* & *Parthicum* adversus Parthos: In *Philippensi*, *Syriaco*, & *Armeniaco* victor: In *Mutinensi*, *Parthico*, & *Actiaco* victus, Alexandriæ victoris Octavii metu se gladio transfixit Fratrum. *Caii* & *Lucii* aut tristior, aut obscurior exitus fuit; quorum ille missus in Macedoniam, Bruti jussu cæsus est; hic vero post triumphum de Alpinis gentibus, & bellum Perusinum, cujus auctor fuerat, incerto mortis genere periit.

M. Antonius Triumvir habuit uxores quinque. I. *Fadiam*. II. *Antoniam*, C. Antonii avunculi filiam, Caninii Galli antea uxorem. III. *Fulviam*, quæ prius & P. Clodio & C. Curioni nupserat. IV. *Octaviam*, Octavii Cæsaris sororē, quæ jam ex C. Marcello *Marcellū* & duas *Marcellas* pepererat. V *Cleopatram* Ptolemæi Auletis filiam, Reginam Ægypti. I. Ex *Fadia* nullos, quod sciam, suscepit liberos, II. nullos etiam ex *Antonia*, III. ex *Fulvia* duos filios, *M. Antonium*, qui Octavii jussu Alexandriæ necatus est, & *M. Iulium Antonium*. IV. Ex *Octavia* duas *Antonias*; quarum major nupsit Druso Liviæ filio, privigno Augusti; minor L. Domitio Ænobarbo. Major ex Druso *Germanicum*; minor ex Domitio *Cn. Domitium* Neronis Imperatoris patrem genuit. V. Ex *Cleopatra* mares duos *Alexandrum* & *Ptolemaeum*; fœminam unam *Cleopatram* sustulit, quæ ab Octavio Iubæ juniori Mauritaniæ Regi uxor data est. Quid de *Alexandro* & *Ptolemæo* post Octavii triumphum factum sit, obscurum est.

IV. *M. Iulius Antonius* Triumviri & *Fulvia* filius, ab Augusto non vita solum, & libertate; sed sacerdotio etiam, Prætura, & Consulatu an. 743. donatus: admissi cum Iulia adulterii pœnas voluntaria morte luit; cum jam ex *Marcella* Augusti nepte suscepisset *L. Iulium Antonium*, qui paulo post ab Augusto studiorum causa, ut tum ferebatur; sed reipsa in exilium missus est Massiliam, ubi sub Tiberio anno 776. interiit, & cum eo tota *Antoniorum* familia.

M. Antonii Oratoris ingenium, eloquentiam, dicendi genus M. Tullius in Bruto; *M.* vero *Antonii* Triumviri formam & mores Plutarchus expressit. Eorum verba hic appingere libuit, primum Ciceronis, tum Plutarchi. Ita Cicero de *Antonio* Oratore.

Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio; imparatus semper aggredi ad dicendum videbatur. In verbis & eligendis & collocandis nihil non ad rationem, & tanquam ad artem dirigebat. Sed cum hæc magna in Antonio, tum actio singularis: gestus erat non verba exprimens, sed cum sententiis congruens: manus, humeri, latera, supplosio pedis, status, incessus, omnisque motus cum verbis sententiisque consentiens: vox permanens, verum subrauca naturâ: sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat; habebat enim flebile quiddam in quæstionibus, aptumque cum ad fidem faciendam, tum ad misericordiam commovendam.

De *Antonio* Triumviro hæc Plutarchus in Antonio.

Forma ei ingenua, dignitas, & barba promissa, frontisque amplitudo, & nasus aduncus faciem virilem repræsentare pictis & sculptis Herculis simulacris germanam videbatur. Iactantia, dicacitas, perpotatio, in publico sedere inter vescendum, & cibum sumere assistentem ex militari mensa incredibile dictu quantam benevolentiam ei conciliavit militum. Inerat moribus ejus simplicitas: effusus erat ad præmia & supplicia; beneficiis tamen, quam pœnis excedebat modum: contumelia ejus in jocis & dicteriis afferebat secum medicinam; si quidem reponere licebat dicta & convicia: nec minus hilaris erat, cum derideretur, quam cum derideret alium.

GENS AURELIA.

Gens *Aurelia* plebeia quidem, at nobilis; tribus cognominibus distincta fuit, *Cottarum*, *Orestarum*, & *Scaurorum*. E Scauris unus *M. Aurelius Scaurus* Consulatum adeptus est, anno 645. & paulo post in Cassii Consulis exercitu legatus à Cimbris cæsus est. Ex Orestarum familia tres in Fastis Consules numerantur, quibus omnibus *Lucii* prænomen fuit. Vnus anno 596. Alter is, qui anno 627 ludos sæculares quartum celebravit. Tertius anno 650. in Consulatu mortuus.

AVRELII COTTÆ.

Cottarum domus, quæ à Sabinis, ut *Aurelii* cæteri, originem; ab ira *Cottæ* nomen invenit, ab anno 500. ad Neronis usque tempora, cum ingenii laude, tum summis floruit honoribus: mihi quidem si conjicere liceat; triplex *Cottarum* familia fuisse videtur; affirmare tamen non ausim: quarum uni *Caius*, alteri *Lucius*, tertiæ *Marcus* prænomen ut plurimum adhæserit. Ex prima Consules duo; totidem ex secunda; ex tertia quinque recensentur. Ex prima *C. Cotta* duplici Consulatu anno 501. & 505. Censura, & triumpho de Pœnis & Siculis nobilis; illiusque nepos *C. Cotta* Consul 553. Ex secunda duo *Lucii Cottæ* pater & filius; ille anno 609 hic 634. Ille ne Hispaniam Proconsul obtineret, à Scipione Æmiliano prohibitus. Hic Galliam sortitus, quid gesserit, incertum.

Tertiæ familiæ, ut opinor, princeps fuit I. *Marcus* ille *Cotta*, qui à C. Carbone in exilium pulsus est: II. cujus filius tum pietate in patrem, tum liberorum amplitudine clarus extitit. Nam eo die quo togam virilem sumpsit, Carbonem accusasse dicitur; & ex *Rutilia* genuisse *Aureliam* C. Cæsaris matrem. III. tresque filios *Caium*, *Marcum* & *Lucium*, ingenio, & eloquentia, pacisque artibus prope pares; bellica vero laude non item: Nam *Caio* ob res in Gallia fortiter gestas post Consulatum anno 679. honor triumphi delatus erat, sed morte repentina paulo ante triumphum obiit. *Marcus* L. Luculli anno 679. in Consulatu Collega à Mithridate ad Chalcedonem turpiter victus fugatusque est. Lucius vero Prætor judicia Senatui, Equitibus, & Tribunis ærariis communicavit; haud multo post Consul 688. & continuo Censor, ad bellum usque Mutinense vixit. *C. Cottam*, qui cum ætate tum militari, & forensi gloria fratribus paulo superior fuit: in libris de Oratore & de Natura Deorum loquentem inducit Cicero.

IV. A filio *Lucii*, ut est conjectura, id enim obscurum est, in gentem *Aureliam* adoptatus est V. *L. Aurelius Cotta Messalinus*, M. Messalæ Oratoris filius, qui Consul anno 756. fuisse, & sævissimæ cujusque sententiæ auctor dicitur. VI. Illius tum filio, VII. tum nepoti *Marcus* nomen fuit: illi Consulatum anno 772. Tiberius; huic bonis dissipatis annuam pensionem Nero dedit.

GENS CÆCILIA.

Cæcilios alii à *Cæculo* Vulcani filio, qui Præneste condidit: alii à *Cæcade* Æneæ comite prognatos volunt. Vt ut est, illi *Cæcilii* nomen, quæ sententia verior est, ab oculorum parvitate; *Metelli* vero à voce militari, quæ mercenarium significat, inditum est. Haud scio, an ulla gens, si Corneliam exceperis, Cæciliæ par fuerit rerum gestarum splendore: Nullam certe reperias tot cognominibus devictarum à se gentium nobilitatam: fuerunt enim *Cæcilii Macedonicus*, *Numidicus*, *Dal-*

maticus, *Balearicus*, & *Creticus*; hoc tamen pluribus inferior, quod non Patricia, sed Plebeia fuerit.

I. Consulatum ex hac gente primus obtinuit an. 469. *Lucius Cæcilius Metellus*: II. cujus filius *L. Metellus* duplici Consulatu an 502. & 506. Magisterio equitum, Dictatura, Pontificatu maximo, triumpho de Pœnis, in Deos pietate clarissimus extitit. Nam 13. hostium duces ante currum vinctos; & 120. elephantos in triumpho duxisse fertur; oculosque, dum sacra Vestæ medios per ignes auferret, amisisse quare illi concessu ut quoties iret in Senatu, curru veheretur. III Tres habuit filios, *Quintum*, *Lucium*, & *Marcum*, gloria inter se longe dispares. *Lucio* enim quod post cladem Cannensem deferendæ Italiæ auctor fuisset, infamiæ nota inusta est. *Marcus* non ultra Præturam ascendit. III. *Quintus* vero dignitate patris prope par, Consul fuit anno 547. Magister equitum, Dictator & Pontifex maximus, in eoque patri superior, quod ex duobus, quos susceperat filiis *Q. Macedonico* & *L. Calvo* duæ *Metellorum* familiæ propagatæ sint.

IV. Q. Metellus, qui Prætor ex domita Macedonia, victoque Pseudophilippo, *Macedonici* cognomen & triumphum retulit, & Achaios bis prælio fudit, Consul anno 610. Celtiberos etiam domuit; aliquanto post Censor à Scipione Æmiliano dissensit sæpius: idque illi singulare fuit, ut mortuus efferretur à quatuor filiis, ex quibus unus jam triumphalis, tres Consulares erant: sex enim liberos genuit, mares quatuor, duas fœminas, quarum altera P. Servilii Isaurici; altera P. Scipionis, qui in exilio periit, mater extitit. Filii fuerunt *Q. Metellus Balearicus*, *Lucius Metellus Dalmaticus*, *M. Metellus*, & *C. Metellus Caprarius* ob ingenii tarditatem dictus; Consules omnes alii alio tempore. *Marco* & *Caio* vel nulli, vel non admodum illustres liberi nati sunt: quare de illis nihil dicemus. Sed primum de *Quinto*, tum de *Lucio*, denique de *L. Calvo*, *Macedonici* fratre, eorumque posteris agemus breviter. Unum est tamen, quod te monitum velim, *Marcum* & *Caium* non Consules tantum fuisse, sed etiam triumphales: Eodem enim die uterque, ille cum Consulatum gessisset anno 638. de Sardis: hic etiam tum Consul anno 640. de Thracibus triumphavit.

V. *Q. Metellus* Consulatu anno 630. Censura, de Balearibus triumpho, & Balearici nomine insignis, duos filios genuit: VI. Vterque Quintus dictus est; sed alteri ob celeritatem, qua munus gladiatorium paucis post patris obitum diebus dedit, *Celeris*; alteri ob dissipatam rem familiarem *Nepotis* cognomen adhæsit: hic tamen Consul fuit anno 655. Ille non item. Vtrique filius natus. VII. Alter *Q. Metellus nepos*: alter *Q. Metellus Celer* à patris prænomine & cognomine vulgo nuncupatus; ille Consul 696. Ciceronem exulem Romam revocari curavit; hic Prætor Ciceronem Consulem ad opprimendum Catilinam enixe juvit, & biennio post Consul 693. ab uxore Clodia, ut fama fuit, veneno sublatus interiit.

V. *L. Metellus Dalmaticus*, itidem ut frater *Balearicus* Consulatu anno 636. Censura, triumpho, gentisque devictæ cognomine enituit. Illius filii, VI. *Quintus* & *Lucius* Consules etiam fuerunt: ille anno 684. hic 685. Sed *Lucius* in Consulatu mortuus: *Quintus* vero in bello Piratico tam feliciter contra Cretenses bellum gessit, etiamsi ipsi Pompeius adversaretur; ut iis domitis & triumphum, & *Cretici* cognomen reportarit: *Cæcilia* ejus filia M. Crasso diviti nupsit. VII. Ab ejus filio, qui Tribunus plebis fuit, Crasso secundum Consule, adoptatus est, nisi fallus sum, VIII. *Quintus* ille *Metellus Creticus Silanus*, qui sub Augusto Consul anno 759 ponitur.

IV. *L. Metelli Calvi*, qui *Macedonici* frater erat, familia summis etiam effulsit honoribus: nam & ipse Consul fuit anno 611. & V. filiam habuit *Cæciliam*, L. Luculli matrem, & duos filios *Lucium* & *Quintum*, ambo Consules, illum anno 634. hunc anno 644. *Lucius* etiam summo Pontificatu: *Quintus* vero victoriis & triumpho de Iugurtha, C. Marii & Saturnini odio, exilio, reditu. Censura celeberrimus extitit: Nec minor gloria illius filii, VI. *Q. Metelli*, qui à pietate in patrem, quem precibus & lacrymis ab exilio revocavit *Pius* dictus est. Nam

Prætor Q. Poppedium Marsorum ducem interfecit, Proconsul Sertorium vicit, Consul una cum Sylla Dictatore anno 673. fuit, Censor, Pontifex maximus; opibus, magnificentia, affinitate civis clarissimus: illius enim filia *Cæcilia* duobus viris, qui tum poterant plurimum, primum M. Scauro Senatus principi; deinde *L. Syllæ* paulo post Dictatori nupsit; ipseque cum prole mascula careret, adoptavit VII. *Scipionem Nasicam*, qui Pompeii Magni socer in Africa periit; & vulgo *Q. Metellus Pius Scipio* appellatur.

GENS CALPHURNIA.

Calphurnii sive *Calpurnii*, licet Plebeii, à *Calpo* Numæ Pompilii filio originem repetebant. Eorum alii *Pisones*, alii *Bibuli*, alii *Flammæ* dicti sunt. E *Pisonibus* Consules multi numerantur; unus è *Bibulis*; è *Flammis* nullus. Illi Bibulo *Marcus* prænomen fuit, qui anno 694. C. Cæsaris in Consulatu Collega, adeo nihil poterat; ut per jocum diceretur *Caio & Cæsare* Consulibus: Censor tamen aliquanto post creatus est, fidelemque Pompeio contra Cæsarem navavit operam.

Vt *Calpurniorum*, ita *Pisonum* diversa fuerunt cognomina: aliis enim *Cæsonini*, aliis *Frugi*, aliis *Bestiæ*, aliis vero *Pisonis* tantum cognomen adhæsit. Familia omnium nobilissima *Cæsoninorum* fuit, ex quibus *Bestiæ*, & ut suspicor, *Frugi* etiam propagati sunt. I. *C. Piso* Consul anno 573. duos filios habuit. II. *L. Cæsoninum* & *Q. Pisonem*, quorum alter Consul fuit anno 605. alter 618. Ex *Quinto* nulli liberi: ex *L. Cæsonino* duo filii nati sunt. III. *L. Piso Cæsoninus* Consul anno 641. & *L. Piso Bestia* Consul 642. Ille post consulatum cum L. Cassio, cujus legatus erat, à Tigurinis cæsus est: Hic in Iugurtham bellum acriter aggressus, multas urbes pugnando cepit: sed paulo post pecunia, ut tum fama fuit, corruptus flagitiosam cum hoste pacem iniit. IV. Lucii Pisonis ex filio nepos fuit V. *Lucius* ille *Piso Cæsoninus*, qui una cum Gabinio Consul anno 695. Ciceronem à Clodio urbe pelli non ægre passus est: quare in eum etiam tunc extat elegans illa Ciceronis Oratio, quæ *in Pisonem* inscribitur. Ejus liberi multum in urbe potuerunt; nam filia *Calpurnia* C. Cæsari paulo post Dictatori nupsit. Filius VI. *L. Piso* & Consul anno 739. & Pontifex, & Præfectus urbis per annos viginti; ad cujus filios Horatius aureum de *Arte Poëtica* libellum inscripsit: nisi malis assentiri aliis, qui Præfectum illum urbis, non ex *Cæsonini*, sed ex *Frugi* familiâ oriundum volunt. Vt ut est, illius seu filius, seu nepos Consul etiam fuit anno 809.

Ex stirpe *Frugi* Consul unus anno 620. perhibetur *L. Piso*, qui & *Frugi* cognomen ex singulari continentia invenit, & bellum servorum confecit in Sicilia. Ex illa vero *Pisonum* familia, quæ nullum aliud cognomen adscivit, erant tum *Cn. Piso* Consul anno 614. illiusque, ut opinor, nepotes *C. Piso*, qui anno 686. legem de ambitu tulit; & *M. Pupius Piso* Consul 692. tum *Cn. Piso*, qui Pompeianas partes in Africa secutus, ab Augusto tamen Consul an. 730. dictus est: cujus ambo filii Consules fuerunt, Lucius anno 752. Cn. Piso 746. Tiberii in Consulatu Collega, & aliquanto post Syriæ ab eo Præfectus Germanicum, ut perhibent, veneno sustulit. Illius tamen filius mutato Cnei nomine in Lucium, anno 779. assecutus est Consulatum.

Duorum *Pisonum Bestiæ*, & Præfecti urbis mores descripserunt Sallustius & Velleius; alter alterius: ille *Bestiæ*, hic Præfecti urbis; uterque breviter. Sallustii de *Bestia* hæc verba sunt.

In Consule nostro multæ bonaque artes animi & corporis erant, quas omnes avaritia prepediebat. Patiens laborum, acri ingenio, satis providens, belli haud ignarus, firmissimus contra pericula & insidias.

De *L.* vero *Pisone* urbis Præfecto ita Velleius l. 2.

De quo viro hoc omnibus sentiendum ac prædicandum est, esse mores ejus vigore ac lenitate mixtissimos; & vix quemquam reperiri posse, qui aut otium aut validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, & magis quæ agenda sunt curet, sine ulla ostentatione agendi.

GENS CLAUDIA PATRICIA

CLaudiorum duæ gentes Romæ fuerunt, quibus dispar quidem genus, sed par gloria: nam altera Patricia fuit, Plebeia altera: at utraqueviris domi, militiæque inclytis admodum fœcunda. Primum de Patricia, tum de Plebeia paucis dicemus.

Accius Clausus Sabinus, cui postea *Appio Claudio* nomen fuit, sex circiter annos post exactos Reges Regillis Romam cum profug sset, & inter Patricios allectus est, & multis cum ipse decoratus honoribus, tum ipsius posteri, qui 28. Consulatibus, Dictaturis 5. Censuris 7. Triumphis 6. Ovationibus 2. claruisse dicuntur. Primum *Regillenses*, deinde *Crassi*; denique, ubi gentis in tres familias ab App. Cœci liberis divortium factum est; alii *Claudii Pulchri*, alii *Nerones*, alii *Canthones* vulgo nuncupati sunt.

I. *Appio Claudio* gentis principi, qui Consul fuerat anno 258. duo filii nati sunt, II. *Appius* & *Caius*; uterque Consul, ille anno 282. hic 293. *Appius* plebi, itidem ut pater, infestus, exercitum, quod pugnare detrectasset, cæsis centurionibus, sorte decimavit; III. filiumque habuit *Appium* illum, qui anno 302. Decemvir, cum & Principatum affectaret, & Virginiam Virginem à patre abducere conaretur, conjectus in carcerem sibi mortem conscivit. IV. Illius filius Tribunus militaris anno 329. V. nepos Dictator Hernicos vicit. VI. pronepos Consul, omnes *Appii*. VII. Abnepos vero C Claudius Dictator 416. qui tres suscepit liberos, VIII. *Claudiam* Vestalem, & duos *Appios*: natu majori *Crassi* & *Cœci*; natu minori *Caudicis* cognomen fuit, quod Consul anno 489. Mamertinis auxilio missus, parvis naviculis exercitum in Siciliam traduxerit. De Pœnis & Hierone tum victoria, tum triumpho, postea Censura clarus extitit.

Major tamen gloria fuit fratris *Appii Crassi* sive *Cœci*, qui bis Consul an. 447. & 457. semel Dictator, Sabinos, Samnites, & Etruscos sæpe vicit: per quinquennium Censor ad Brundusium usque viam Appiam stravit; & senex, & cœcus turpissimas pacis cum Pyrrho conditiones discussit, quatuorque filios genuit *Appium Claudium Crassum*. *P. Pulchrum*, *C. Centhonem*, & *Ti. Neronem*, An App. Crassus Consul 485. prolem masculam reliquerit, obscurum est: alii certe cognomina sua in tres nobilissimas familias propagarunt; cum è Centhonibus duo tantum, hujus nepos & pronepos *Caius* & *Appius* illustres fuerint, ille Consulatu anno 513. Censura, & Dictatura; hic Prætura, & Ovatione de Celtiberis: de his addemus nihil; nunc de *Pulchris*, post de *Neronibus* agemus.

CLAVDII PVLCHRI PATRICII.

IX P. *Claudius Pulcher App. Cœci* filius Consul anno 504. cum contra auspicia pugnasset, à Pœnis victus est. X. Natus ex eo *Appius Pulcher* Consul anno 541. tres filios habuit: XI. *Appium*, *Publium* & *Caium*: omnes Consules fuerunt; primus anno 568. alter anno 569. tertius anno 576. qui post Consulatum de Liguribus triumphum & Censuram obtinuit. Primum *Appii*, tum *Caii* posteros persequemur: *Publio* enim nulla proles fuit.

XII. *Appii* filius, item *Appius Pulcher* Consulatu 610. triumpho de Salassis (gens erat Alpina) Censura, & Senatus principatu enituit. Illius quidem filia Ti. Graccho viro clarissimo nupsit; at ex ejus nepotibus nullus Consulatum adeptus est; ejus pronepos *Livius Drusus Claudianus* per adoptionem insertus *Liviorum* familiæ avus fuit *Liviæ*, quæ primum Ti. Neronis, deinde Augusti uxor extitit.

XII *Caii Claudii* filio & nepoti *Caius* prænomen fuit; uterque Consul; alter anno 623. XIII. alter anno 661. XIV. Hic duos habuit filios *Appium* & *Caium*, qui

Prætor à Spartaco victus est: Appius Consul anno 674. tres mares, totidemque fœminas sustulit, XV. *Appium*, *Caium* & *Publium*. *Appius* ex Consulatu anno 699. Ciliciam anno ante Ciceronem sortitus est, Censuramque gessit cum L. Pisone. *Publius* seditiosus ille Tribunus Ciceroně urbe expulit, & à Milone cæsus est. Duæ ex iis *Clodiæ* natæ sunt, quarũ altera, quæ *Appii* filia erat *Cn. Pompeio Magni* filio nupserat; altera, quæ *Publii*, *C. Cæsari Octaviano* desponsata fuit. *Caius* eorum frater præter Tribunatum nullos honores gessisse legitur: Sed filiorum alter *Sextus*, cum à partibus Antonii stetisset, Consul anno 715. fuisse perhibetur. De P. Clodio Tribuno plebis hęc breviter Velleius l. 2. *P. Clodius homo nobilis, disertus, audax, qui neque dicendi, neque faciendi ullum, nisi quem vellet, nosset modum, malorum propositorum executor acerrimus.*

CLAVDII NERONES PATRICII.

IX. TI. *Claudius Nero App. Cœci* filius X. duos suscepit liberos *Tiberium* & *Publium*. XI. Hujus filius Consul anno 551. XII. nepos, XIII. & pronepos Prætores, omnes *Tiberii* dicti XI. Ex *Tiberio App. Cœci* nepote natus est *Caius* ille *Nero*, qui Cõsul an. 546 cũ Livio Salinatore Asdrubalem fratrem Annibalis ad Metaurum flumen cum exercitu cecidit; copiasque Annibalis semel atque iterum fudit; Censuramque aliquanto post gessit cum eodem Livio. Ex illius nepotibus nullus Consul fuit, Prætorii duo: Abnepos *Ti. Nero* Quæstor C. Cæsaris in bello Alexandrino, ex *Livia* procreavit *Tiberium*, postea Imperatorem, & *Drusum Germanicum*, de quibus in gente Iulia.

GENS CLAUDIA PLEBEIA.

HVic Genti haud immerito *Marcelli* cognomen quasi *Martii* inditum est: laude enim bellica maxime floruit. I. *M. Claudius Marcellus* Consul anno 422. & aliquanto post Dictator, pater fuit II. *M. Marcelli Consulis* ann. 466. III. cujus ex filio *Marco* Ædili nepos fuit, IV. Marcus ille Marcellus, qui Consulatibus quinque ann. 531. 538. 539. 543. & 545. cæso Virdumaro Gallorum Rege, opimis spoliis Iovi Feretrio consecratis: de Gallis, Insubribus & Germanis triumpho, fuso semel atque iterum ad Nolam Annibale, captis post triennalem obsidionem Syracusis, & majorum & nepotum gloriam longe superavit: Annibalem enim primus vinci posse docuit; eamque laudem assecutus est, ut populi Romani gladius vulgo diceretur. Annibalis tandem insidiis deceptus occubuit. V. Ipsi duo filii nati sunt *Marcus* & *Caius Marcelli*. Tertium addunt nonnulli M. Marcellũ Consulem an. 570. Ex *Caio* propagati sunt *Marcelli Æsernini*, è quibus duo tantum Consules numerantur. *P. Lentulus Marcellinus* an. 735. & *M. Æserninus* 731.

V. *M. Marcellus Marcelli* quinquies Consulis filius natu major; & ipse Consulatu an. 557. de Gallis Insubribus triumpho, Pontificatu & Censura nobilis, filium habuit, VI. *Marcum* ter Consulem an. 587. 598. & 601. duplicique clarum triumpho, qui sibi, patri, avo statuas posuit, quibus inscripsisse fertur: *Hi Marcelli novies Consules*. VII. Ejus filio *Marco* Prætorio duo fuerunt liberi *Marcus* & *Caius*, qui Prætorius ex Iunia pater fuit *Caii Marcelli* Consulis an. 703. ad quem Epistolæ Ciceronis l. 15. *Marcus* Æditilius genuit *Marcum* & *Caium*, quorum uterque Consul; ille an. 702. hic 704. *Marcus* de Provinciis C. Cæsari tollendis cum ad Senatum primus retulisset, veniam tamen vitamque Senatus precibus obtinuit: quare Cæsari, cum suo, tum Reipublicæ nomine gratias egit Cicero eleganti illa oratione quæ *pro Marcello* inscribitur. *Caius* vero ex *Octavia* minore Augusti sorore duas

Marcellas reliquit, illumque *Marcellum*, qui jam Ædilitius in ſpem imperii adoleſcebat, cum immatura morte ſublatus eſt. *Marcellarum* major primum *M. Agrippæ*, deinde *M. Iulio Antonio*; minor *M. Valerio Meſſalæ Barbato*, ut eſt conjectura, nupſit.

GENS CORNELIA.

INfinitus ego ſim, ſi Cornelios omnes perſequi velim: *Corneliorum* enim vel duæ gentes, vel etiam plures; ex quibus vel una Patricia adeo late patuit, ut duodecim prope familias complexa ſit, *Maluginenſes*, *Coſſos*, *Arvinas*, *Scipiones*, *Lentulos*, *Cethegos*, *Rufos*, *Syllas*, *Cinnas*, *Dolabellas*: An *Siſennæ*, *Mammulæ*, *Merendæ*, *Merulæ*, *Scapulæ* ex eadem gente fuerint, obſcurum eſt. E *Siſennis* & *Mammulis* Conſul nullus, è *Merendis* unus anno 479. Vnus etiam è *Scapulis* an. 425. E *Merulis* duo, uterque *Lucius*, alter anno 560. alter 666 Fuit illud *Corneliis* ſingulare: illud enim annotare non abs re fuerit, non cremare, ſed terræ mandare mortuos. Primus ex hac gente *Sylla* Dictator cremari voluit.

CORNELII

MALUGINENSES, COSSI, ARVINÆ.

I. SEr. *Cornelius Maluginenſis*, Conſul anno 268. duos ſuſcepit filios II. *Lucium* & *Marcum*: ille Conſul anno 294. contra Volſcos rem bene geſſit, hic Decemvir in exilium pulſus eſt. Hujus filius *Marcus* Conſul an. 317. III. Illius vero *Sergius*, pater IV. *Publii*, qui bis Tribunus militaris an. 349. & 356. duos filios habuit V. *Sergium* & *Marcum*; utrumque Tribunum militarem, illum octies, hunc ſemel atque iterum, anno 383. & 386.

IV. *A. Cornelio Maluginenſi Marci* Decemviri ex filio nepoti, ex facie rugoſa *Coſſi* cognomen adhæſit: ipſe cæſo Larte Tolumnio Veientium Rege, alter à Romulo opima ſpolia Iovi Feretrio tulit: Conſul anno 325. & Magiſter Equitum paulo poſt ſub Dictatore Mamerco. V. Ex eo nati *Aulus*, *Publius* & *Cneus*, omnes Tribuni militares, alius alio tempore. *Publius* præterea Dictator Volſcos cecidit. VI. *Cneus* Conſul an. 344. *Aulus Auli* filius fugatis Volſcis Dictator M. Manlium Capitolinum in carcerem conjici juſſit; VII. duos, ut eſt conjectura, filios reliquit *Aulum* bis Magiſtrum Equitum, & *Publium Auli Coſſi Arvinæ* patrem.

VIII. *Aulus Coſſus Arvina* Magiſterio Equitum ſub Camillo, Conſulatu duplici an. 410. & 421. Dictatura & triumpho de Samnitibus nobilis.

CORNELII SCIPIONES.

SCipionibus pietas nomen fecit: Publio enim *Cornelio*, quòd cœcum patrem regeret, *Scipionis* cognomen inditum eſt. An ex *Maluginenſium*, *Coſſorumve* familia fuerit, incertum eſt: illius enim nec patris, nec avi nomen proditur; *Maluginenſem* tamen fuiſſe ſuſpicor. Vt *Corneliorum* ita *Scipionum* varia cognomina, diverſæque familiæ: fuerunt enim *Scipiones Aſinæ*, *Hiſpalli*, *Africani*, *Aſiatici* & *Naſicæ*.

SCIPIONES ASINÆ ET HISPALLI.

Scipionum ſtemma hactenus perobſcurum ex faſtis commode ſic explicari poteſt. I. P. *Cornelio*, qui & Magiſter Equitum fuit ſub Camillo anno 357. & Interrex 361. tres filii nati ſunt. II. *Lucius*, *Cneius* & *Publius Scipiones*, omnes dicti patris cognomine. *Lucius* Conſul ponitur an. 403. *Publius* Magiſter Equitum eodem anno. *Cneii* in faſtis nulla mentio. *Lucius* liberis caruit: ex *Cneio Aſinæ* & *Hiſpalli*, ex Publio *Africani*, *Aſiatici* & *Naſicæ* propagati ſunt.

Cneius enim Scipio III ex *Lucio* filio duos nepotes habuit IV. *Cneium Aſinam* & L *Scipionem*. Vterque Conſul fuit; ille bis an. 493. & 499. hic ſemel an. 494. Vterque triumpho de Pœnis clarus. V. *Cnei Aſinæ filius P. Aſina* Conſul an. 532. de Iſtris triumphavit. *Lucii* vero pronepos *Cn. Scipio Hiſpallus* Conſul anno 577. obiit, ex eoque natus *C Scipio Hiſpallus* an. 614. Prætor peregrinus Chaldæos urbe expulit.

II. *Publius* primi *Scipionis* filius pater fuit III. L. Scipionis Conſulis an. 455. cujus IV. ex *Lucio* filio nepotes fuerunt V. *Cneius* & *Publius* Scipiones. Vterque Conſul; *Cneius*, *Calvus* vulgo dictus, an. 531. *Publius* 535 qui ab Annibale ad Ticinum fuſus, Hiſpaniam cum fratre legato obtinuit: ab iis ad Illiturgum Amilcar, Mago & Aſdrubal victi; deinde Hanno ad Incibile ſuperatus: iterum Mago & Aſdrubal, primum ad Illiturgum, tum ad Mundam, denique ad Auringen fugati: ſed tandem *Publius* ad Incibile victus & occiſus eſt; & paulo poſt *Cneius* etiam victus in prælio cecidit. *Cneius* filium habuit VI. P. *Scipionem Naſicam*, *Publius* vero VI. *Publium* & *Lucium Scipiones*, quorum ille *Africani*, hic *Aſiatici* cognomen victoriis ſibi peperit.

SCIPIONES AFRICANI.

VI. P. *Scipio Africanus* major ſervato in pugna Ticinenſi patre, decemque Romanorum millibus ex clade Cannenſi Canuſium perductis, etiam tum adoleſcens in Hiſpaniam miſſus eſt: novam Carthaginem cepit, Aſdrubalem & Magonem ſemel atque iterum victos Hiſpania expulit: tum in Africa primum Syphacem & Aſdrubalem, deinde ipſum Annibalem, denique Verminam Syphacis filium vicit; leges pacis & Carthaginenſibus Imperator, & aliquanto poſt Antiocho fratris legatus præſcripſit; ſed tandem poſt tot in patriam merita vir ille duplici Conſulatu anno 548. & 559. Cenſura, Senatus principatu, victoriis & triumpho ætatis ſuæ longe clariſſimus, Literni exul obiit. Ex *Æmilia* L. Pauli, qui ad Cannas cecidit, filia genuit VII. duas *Cornelias*, quarum major *Scipioni Naſicæ Viri optimi* filio, altera *Ti. Graccho* nupſit, & P. *Scipionem*, qui captus ab Antiocho patri gratis remiſſus eſt. Cum infirma eſſet valetudine, liberiſque careret, Prætorius cognatum ſuum adoptavit L. Pauli, qui Perſen vicit, filium: qui VIII. *P. Scipio Æmilianus* dictus eſt, vir patri, avoque bellica laude par, literarum vero humaniorum ſcientia longe ſuperior: duo maxima bella confecit, Punicum tertium & Numantinum: duplex triumphus, alter de Carthagine deleta *Africani*, alter de Numantia everſa *Numantini* cognomen illi dedit: quamvis Conſulatum nunquam petierit, bis tamen Conſul factus eſt, ſemel ante ætatẽ an. 606. iterũ abſens etiam præter leges anno 619 & ante ſecundum Conſulatum Cenſor: triſtior illius quam *Africani majoris* exitus fuit; cum enim C. Gracchi conatibus obſiſteret, ſive C. Carbonis, ſive M. Fulvii Flacci, ſive uxoris ſuæ Semproniæ, quæ Gracchorum ſoror erat, crimine, ut tum creditum eſt, noctu domi necatus eſt.

Scipionis Æmiliani mores his verbis deſcripſit Velleius l. 2. *P. Scipio Æmilia-*

nus vir avitis P. Africani, paternisque L. Pauli virtutibus simillimus, omnibus belli ac togæ dotibus, ingenii ac studiorum eminentissimus sæculi: qui nihil in vita nisi laudandum aut fecit, aut dixit, aut sensit: tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinæ & auctor & admirator fuit; ut Polybium & Panætium præcellentes ingenio viros domi militiæque secum habuerit: neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum dispunxit; semper inter arma & studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit.

SCIPIONES ASIATICI.

VI. LVcius Scipio *Africani majoris* frater natu minor Consul anno 563 de Antiocho victoriam, triumphum, & Asiatici cognomen retulit; & aliquanto post repetundarum, injuria, ut putatur, damnatus est: VII. hujus filius *Lucius* Prætorius Senatu motus dicitur; X. abnepos *Lucius* Consul an. 670. in bello civili cum Marii partes sequeretur, à Sylla spoliatus exercitu incolumis dimissus est: cujus etiam forte XIII. abnepos *P. Scipio Asiaticus* sub Nerone an. 810. Consulatum gessit.

SCIPIONES NASICÆ.

VI. P. *Scipio Nasica, Cnei Scipionis*, qui cum fratre *Publio* in Hispania periit, filius; à Senatu *Vir optimus* cum judicatus esset, Matrem deûm hospitio excepit: deinde & Pontifex, & Consul an. 562 de Boiis triumphavit. VII. Eo major illius filii Publii, qui *Corculum* vulgo dictus est, gloria, quod semel atque iterum Consul anno 591. & 598 Delminio (urbs Dalmatarum erat) expugnato, & Imperatoris nomen à militibus, & honorem triumphi à Senatu oblatum repudiarit; vir alioqui eloquentia primus, juris scientia consultissimus, ingenio sapientissimus, & paulo post Censoria dignitate insignis: VIII. nec laus minor fuit filii *P. Scipionis*, cui *Serapionis* cognomen datum est: nam & Consul anno 615. fuit; & Pontifex maximus & Ti. Gracchum, licet affinem, quod rebus novis studeret, privatus per suos occidit. IX. Ex eo natus *P. Nasica* Consul anno 642. in Magistratu obiit: qui ex *Cæcilia* Metelli Macedonici filia habuit X. *P. Nasicam*, cui *Licinia* Crassi Oratoris filia tres filios peperit XI. *Publium, Licinium Crassum Scipionem*, qui avo materno in adoptionem datus est, & *Q. Metellum Pium Scipionem* à Metello adoptatum, qui XII. *Cornelia* filia in uxorem data, primum Crasso juniori, deinde Pompeio Magno: Consul factus est an. 701. & in bello civili dux partium Pompeiarum à Cæsare in Africa victus periit. XI. Illius frater natu maximus *Publius* in Mariana dissensione urbe pulsus filium reliquit XII. *Publium* illum *Scipionem*, qui ex *Scribonia*, quæ postea Octavio Cæsari nupsit, XIII. *Corneliam* Æmilii Pauli uxorē suscepit, XIII. & *P. Scipionem* Consulem an. 737. cujus etiam nepos *Publius* Consul ponitur an. 808.

CORNELII LENTVLI.

ITa obscurum est & intricatum *Lentulorum* stemma, ut illud qui voluerit in ordinem digerere, operam luserit: quare satius mihi visum est, servata temporum ratione, illos tantum appellare, qui ex hac familia Consulatum adepti sunt; ita tamen, ut primum proferamus eos, qui ad *Lentuli* cognomen nullum aliud adsciverunt, deinde alios, qui varia adhibuerunt cognomina: fuerunt enim *Lentulus Caudinus, Clodianus, Crus, Esquilinus, Getulicus, Lu-*

pus; *Marcellinus*, *Scipio*, *Spinther*, *Sura*.

E *Lentulis* Consules fuisse perhibentur *Lucius* anno 436. *Servius* anno 450. *Lucius* 545. *Cneius* 552. *Publius* 591. *Cneius* 607 *Cneius* 655. *Cneius* 697. *Cneius* 735. *Cneius* 739. & *Lucius* 750. Ex aliis *Caius Lentulus Esquilinus* an. 275. E *Caudinis* tres, pater *Lucius* an. 478. & filii duo *Lucius* 516. & *Publius* 517. *Lucius Lupus* 597. *Cneius Clodianus* 681. *P. Sura* 682. ob Catilinæ conjurationem in carcere necatus. *Publius Spinther* an. 696. Ciceronem exilio revocavit. *L. Lentulus Cruscellus* an. 704. *Publius Marcellinus* 735. *Publius Scipio* 7 9. E *Getulicis* quatuor; pater *Cossus Getulicus* an 752 & duo filii *Cossus & Cneius*, ille an. 777 hic 778. qui cum res novas moliretur, à Caligula cæsus est. *Cossi* filius Collega Neronis an. 812. fuit.

CORNELII DOLABELLÆ.

E *Dolabellis* quinque potissimum memorantur, quorum princeps *Publius Dolabella* Consul anno 470. de Gallis triumphavit; *Cneius* illius forte pronepos Consul 594. cujus ex filio nepos an. 672. è Macedonia triumphum retulit; repetundarum tamen à C. Cæsare accusatus, nepotem habuit, ut est conjectura, fratris *Publii* filium *Publium Dolabellam* M. Ciceronis generum, qui in locum occisi Cæsaris Consul anno 709. suffectus, Syriam quidem interfecto Tribonio occupavit; sed ipse paulo post à servo Laodiceæ necatus est: natus ex eo *Publius* ab Augusto an. 763. Consulatum obtinuit.

CORNELII CETHEGI.

CEthegis omnibus longe præstitit *Marcus* ille *Cethegus*, qui etiam tum adolescens Pontifex factus est; & aliquanto post Censor ante Consulatum, denique Consul anno 549. Etruriam in fide continuit. Illius ex fratre nepos fuit *Caius* Consulatu an. 556. Censura & triumpho de Insubribus nobilis: duo quidem alii Consules, *Publius* an. 572. & *Marcus* 593. sed rebus gestis non admodum clari. Illustrius aliquanto fuit *P. Cethegi* nomen, qui in dissensione Mariana urbe pulsus, tempore Luculli civitatis princeps fuisse dicitur.

CORNELII CINNÆ.

I. L. *Cornelius Cinna* Consul anno 626. filium habuit II. *Lucium* quater Consulem an. 666. 667. 668. & 669. qui cum in cives unà cum Mario multis cædibus grassatus esset, tandem à suis ipse militibus cæsus est. Illius filia *Cornelia* C. Cæsari nupsit; filius vero III. *Lucius* primum Lepido, deinde Sertorio adhæsit: denique C. Cæsaris opera restitutus, ex Pompeii Magni filia suscepit IV. *Cn. Cinnam Magnum*, qui bis ab Augusto veniam obtinuit; semel, quod hostis in ipsum arma tulisset; iterum, quod proditor ipsi parasset insidias: amicus tandem ipsi factus Consulatum an. 756. adeptus est.

De *L. Cinna* quater Consule ita Velleius l. 2. *Vir dignior, qui arbitrio victorum moreretur, quàm iracundia militum: de quo jure dici potest, ausum ea quæ nemo auderet bonus, perfecisse, quæ à nullo nisi fortissimo perfici possent, & fuisse eum in consultando temerarium, in exequendo virum.*

CORNELII RUFI ET SYLLÆ.

E *Rufinis* duo tantum summos honores assecuti sunt: quibus *Publij* prænomen fuit, I. pater & filius, ambo Dictatur, II. hic præterea duos Consulatus an 463. & 476. IV. Illius nepoti *Publio*, quod ludos Apollinares ex libris Sibyllinis celebrari jussisset, primum *Sibylla*, tum *Sylla* cognomen inditum est: VIII. ejus abnepos fuisse dicitur *L. Sylla* dictator.

VIII. *L. Sylla*, primum Quæstor C. Marii in Africa Iugurtham à Boccho accepit, deinde legatus in bello Cimbrico,

Teutonico & sociali multa cum fortiter gessisset, Cluentium, Samnites & Hirpinos fudisset, post Præturam Consulatum an. 665. omnium pene civium suffragiis, & bellum Mithridaticum obtinuit: sed cum *Sulpitius* Tribunus plebis provinciam & bellum in *Marium* transferret, in urbem, unde fugerat, cum exercitu rediit; occiso *Sulpitio*, *Marium* fugat, transit in Græciam, captisque Athenis, *Archelaum* Mithridatis ducem semel atque iterum ad Orchomenum & Chæroneam superat: *Fimbriam* in Asia opprimit, & pace Mithridati concessa in Italiam reversus, *Norbanum* ad Canusium, *Marium juniorem* ad Sacriportum, ad Clusium *Carbonem*, *Telesinum* & Samnites ad portam collinam vincit: dictaturam occupat, quam tertio anno post deponit: in his omnibus laudandus, nisi cruentissima proscriptione in cives sæviisset: quatuor uxores habuit, *Æliam*, *Cæliam*, *Cæciliam* Metelli pii filiam, & *Valeriam*: ex *Cæcilia* IX. *Faustum Syllam* suscepit, & *Faustam*, quæ primum *Q. Pompeio Rufo*, tum *C. Mummio*, denique *T. Miloni* nupsit. *Fausto Syllæ Pompeia* Pompeii Magni filia peperit *Faustam* Æmilii uxorem.

VIII. *Syllæ* Dictatori, si Dioni credimus, frater fuit *Ser. Sylla*, IX. cujus filius *Publius* C. Cæsaris in bello civili legatus à Cicerone hac oratione, quæ etiam nunc extat, defensus est: X. ejus filius XI. & nepos *Lucii* XII. & pronepos *Cn. Faustus* Consulatum adepti sunt; primus sub Augusto an. 748. alter sub Tiberio anno 785. tertius sub Claudio anno 804.

Syllæ Dictatoris naturam Sallustius, corporis habitum Plutarchus descripsit. Sallustii verba sunt hæc.

Sylla Patriciæ gentis nobilis fuit, literis Græcis ac Latinis juxta atque doctissime eruditus, animo ingenti, cupidus voluptatum, sed gloriæ cupidior; otio luxurioso esse, tamen à negotiis nunquam eum voluptas remorata est: facundus, callidus, & amicitia facilis, ad simulanda negotia altitudo ingenii incredibilis, multarum rerum, ac maxime pecuniæ largitor; atque illi felicissimo ante civilem victoriam nunquam super industriam fortuna fuit, multique dubitavere fortior an felicior esset. Ad hoc milites benigne appellare; multis rogantibus, aliis per se ipse beneficia dare; invitus accipere, sed ea properantius, quàm æs mutuum reddere; ipse à nullo repetere, magis id laborare, ut illi quamplurimi deberent; joca atque seria cum humillimis agere, in operibus, in agmine, atque ad vigilias multus esse, &c.

Ita Plutarchus breviter. *Oculos glaucos, qui perquam erant amari & truces; color faciei magis efferabat aspectu: efflorescebat enim aspera rubedo albedine sparsim interfusa: unde Sannio quidam Athenis in eum hoc versu usus est.*

Mora si spargas farina, talis est forma Syllæ.

GENS DOMITIA.

Ut *Claudiorum*, ita *Domitiorum* gens duplex fuit; sed utraque Plebeia. Altera *Ænobarbi*, altera *Calvini* cognomen habuit. De *Ænobarborum* familia, quæ multo illustrior fuit, hic agimus.

I. *Cn. Domitius* Consul anno 561. pater fuit II. *Cnei* Consulis an. 591. III cujus filius *Cneius* Consulatu an. 631. Censura, Pontificatu maximo, de Allobrogibus & Arvernis, tum victoria, tum triumpho clarus extitit; IV. filios habuit *Cneium* & *Lucium*: ille Consul an. 657. à L. Crasso ipsius in Censura Collega dissensit sæpius: hic etiam Consul an. 559. uterque in bello civili Syllæ & Marii cæsus est. V. *Cneio* duo erant filii, *Cneius* Cinnæ gener, in flore ætatis à Pompeio in Africa occisus, & *Lucius*, qui Consul an. 699. in acie Pharsalica fortiter dimicans cecidit. VI. Ex Porcia susceperat *Cneium Domitium*, qui ob cædem C. Cæsaris primum damnatus, & aliquanto post restitutus Consul creatus est an. 721. VII. *Hostilia* illi peperit *Lucium* Consulem an. 737. qui ex *Antonia minore* genuit VIII. *Cneium* Consulem anno 784. IX. *Neronis* Imperatoris patrem.

GENS FABIA.

FAbiæ gentis alii originem referunt ad *Herculem*, qui ex Evandri filia *Fabium* genuerit: alii nomen ab agrorum fossione deducunt, quasi primum *Fodij*, deinde *Fabij* dicti sint. Fabiorum omnium hic nomina prodere res esset & operosa & multi fastidii; satis erit illos proferre, qui adolescente jam Republica, victoriis suis Romanam rem multum auxerunt: duo tamen te monitum velim; unum est, tres *Fabios M. Vibulani* filios, *Quintum*, *Cæsonem* & *Marcum* septem annis continuis munus Consulare obtinuisse, ex iisque *Cæsonem* cum 315. *Fabiis* ad Cremeram à Veientibus cæsum fuisse: alterum est, *Fabios* omnes, qui postea multis perfuncti sunt honoribus, à *Quinto Marci* filio, qui unus gentis cladi superstes fuit, ut multis placet, propagatos esse.

I. *Marcus Fabius Ambustus Quinti* filius gemino Tribunatu militari, Consulatu triplici an. 393. 397. 399. ovatione de Hernicis, de Tiburtibus triumpho, Magisterio Equitum, Dictatura, & Senatus principatu insignis, tres mares, *Quintum*, *Marcum* & *Cæsonem* sustulit, duasque fœminas, quarum altera *Sulpitio* Patricio, altera *Licinio Stoloni* Plebeio cum nupsisset, hæc marito Tribuno plebis persuasit, ut legem ferret de Consulari dignitate plebi communicanda. Vt à *Quinto Maximorum*, ita à *Marco Pictorum* familia profluxit, è quibus tres Consules memorantur; *Caius* anno 448 qui Ædem Salutis pinxit, ejusque duo filii, *Caius* anno 484. & *Numerius* anno 487 sed Consulibus illustrior *Q.* ille *Fabius* Prætor, qui post cladem Cannensem Delphos legatus missus est, & scripsit Romanam Historiam, quæ cum à multis, tum à Livio sæpissimè laudatur.

II. *Q. Fabius Rullianus*, *Ambusto* patre rebus gestis clarior, Magister Equitum à Papirio Dictatore ob victoriam de Samnitibus securi pene percussus, quinquies Consul fuit, anno 431. 443. 445. 456. 458. ter Dictator, semel Censor, princeps Senatus; terque triumphavit, semel de Apulis, iterum de Gallis & Thuscis, tertiò de Samnitibus: cumque turbam forensem in quatuor tribus urbanas conjecisset, primus è *Fabia* gente *Maximi* cognomen adeptus est. III. Ejus filius *Quintus*, cui ob devoratum patrimonium *Gurgitis* cognomen fuit, contra Samnites cum male pugnasset, patre legato victoriam retulit: princeps Senatus, duplici Consulatu anno 461. & 477. totidem de Samnitibus triumphis, Censura, & in Ægyptum legatione enituit.

V. *Q. Fabius Gurgitis* ex filio nepos, *Cunctator* à belli gerendi ratione, *Verrucosus* à verruca in labiis, & à mansuetudine *Ovicula* vulgo dictus; laudem avitam superavit: quinque Consulatus anno 520. 525. 538. 539 544. ut proavus, gessit: duos triumphos, ut avus retulit: ut uterque, princeps Senatus fuit, sed utrique in eo superior, quod Dictator exultantem victoriis Annibalem fregerit: duo ille filios habuit *Quintum* & *Marcum*; primum *Quinti*, tum *Marci* posteros persequemur.

VI. *Q. Fabius Cunctatoris* filius Consul anno 540. & in locum patris Augur genuit VII. *Quintum* item Augurem, & Quintum Labeonem, qui Prætor navalem triumphum assecutus est, & Consul anno 560. ponitur; eruditionis & ingenii laude illustris. A *Quinto* Augure adoptatus VIII. *Quintus Fabius Æmilianus* L. Pauli, qui Persen vicit, filius, Consul anno 608. ex quo natus est IX *Q. Fabius Allobrogicus*, qui Consul anno 632. victo ad Isaram flumen Betulto, & cæsis tum Allobrogum, tum Arvernorum 130. millibus, nobilissimum egit triumphum: paulo post Censor reliquit X. filium ab avitis, paternisque laudibus degenerem, cui Pompeius Prætor bonis interdixit; *Allobrogico* frater erat *Quintus*, ob candorem *Eburnus* cognominatus, Consul anno 637.

VI. *Marcus Fabius Cunctatoris filius*, vivo etiam tum patre mortuus, nepotem VII. adoptione filii habuit VIII. *Quintum Fabium Servilianum*, qui Consul anno

611. rebus in Hispania prosperè gestis ideo male audiit, quod pacem cum Viriatho æquis conditionibus iniisset: postea tamen Censor factus est. *Fabij*, vel *Serviliani* vel *Eburni* (aliter enim aliis videtur) nepotes fuerunt tres illi *Fabij* sub Cæsaribus Consules, *Quintus* an. 708. illiusque filii *Paulus* an. 742. & *Quintus* 743. Qua vero ex Fabiorum stirpe prognati sint *Fabij Buteones* Consules anno 506. & 508. & *Licinus* anno 507. obscurum est.

GENS FVLVIA.

GEns *Fulvia* Tusculo oriunda, tribus potissimum cognominibus distincta fuit, *Centumali*, *Flacci & Nobilioris*. E Centumalis tres Consulatibus, duo triumphis nobiles extiterunt, quibus omnibus *Cneius* nomen proprium fuit; unus Consul anno 455. de Samnitibus, alter illius nepos an. 525. de Illyriis triumphavit: cujus etiam filius Consulatum anno 542. obtinuit.

FULVII FLACCI.

I M. *Fulvius Patinus* Consul anno 454. duos filios suscepit II. *Quintum* & II. *Marcum*; ille *Flaccorum*, hic *Nobiliorum* princeps fuit. Primum de *Flaccis*, tum de *Nobilioribus* dicemus breviter.

Quinti filius fuit III. *Marcus* ille *Flaccus*, quo Consule an. 489. bellum Punicum primum cœptum est: ex eo nati IV. *Quintus*, *Cneius* & *Caius*, quorum longe dispar gloria. *Caius Quinti* apud Capuam legatus, *Cneius* Prætor, *Quinto* tertium Consule, Apuliam sortitus, apud Herdoneam amisso exercitu turpiter fugatus est; *Quintus* vero rebus gestis clarissimus, quater Consul anno 516. 529. 541. 544 Magister Equitum, Pontifex, Censor, & Comitiorum causa Dictator, apud Beneventum Hannonis castra cepit, Annibalem ab urbe depulit, Capuam recepit, illiusque Senatum securi percussit: quatuor filios suscepit V. *Quintum*, *L. Manlium Acidinũ* in gentem *Manliam* adoptatum, *Marcum*, de cujus posteris paulo post, & *Cneium*, qui à *Quinto* fratre Censore Senatu motus est, cujus nepos *Servius Flaccus* Consul anno 618. Vardæos in Illyrico domuit.

V. *Quintus* Patre nihilo inferior Prætor Celtiberos bis insigni pugna vicit, Contrebiam ad deditionem coëgit, deinde semel anno 573. & iterum anno 574. cum fratre Acidino Consul Ligures domuit; triumphum duplicem, unum de Celtiberis, alterum de Liguribus retulit; Censor Fortunæ Equestri templum dicavit: denique in amentiam versus, laqueo vitam finiisse dicitur. VI. *Caio* ejus filio anno 619. Consuli bellum fugitivorum conficiendum delatum est.

V. *Marco Quinti* fratre natus est VI. *Marcus* ille *Flaccus*, qui Consul an. 618. cum rem feliciter in Transalpinos Ligures gessisset, & de Liguribus, Vocontiisque triumphasset, Italos ad petendam civitatem primus excitavit, & C. Graccho leges agrarias ferenti adhæsit: quare ab Opimianis unà cum duobus filiis cæsus est. Filiarum altera *Lentuli Suræ*, qui ob conjurationem Catilinæ necatus est, altera *L. Cæsaris*, qui Consul fuit an. 689. mater extitit.

FVLVII NOBILIORES.

MArci Patini an. 454. Consulis filius alter fuit, uti diximus, Marcus pater *Ser. Nobilioris*, III. qui Consul an. 498. triumphum navalem egit de Pœnis; IV. Nepotemque habuit *Marcum Nobiliorem* ovatione ex Hispania ulteriore, ex capta Ambracia, domitisque Ætolis triumpho, Consulatu an. 564. & Censura, & Ennij

Poëtæ versibus clarissimum: duo illi filii fuerunt V. *Marcus* & *Quintus*; uterque Consul, ille anno 594. hic anno 600. sed alter altero aut fortior bello fuit, aut felicior: nam *Marcus* de Liguribus victoriam & triumphum retulit, *Quintus* à Celtiberis semel atque iterum turpiter victus est.

Furiorum stemma ne hic subjicerem, duo me deterruerunt; unum, quod eorum memoria sit aliquanto vetustior; alterum, quod Valerius unius tantum meminerit *Marci Camilli* quinquies Dictatoris, cujus res præclare gestas in notis pluribus explicuimus, quas si quis avet scire, consulat. Satis erit monuisse gentem *Furiam* & Patriciam fuisse, & in quatuor familias divisam: fuerunt enim *Furij Metellini*, *Pac.lli*, *Camilli*, *Phili*, quibus omnibus longe præstitit *Marcus Camillus* alter à Romulo pater patriæ appellatus, sexies Tribunus Militaris, Dictator quinquies, quatuor triumphis nobilis de Veientibus, de Gallis, de Æquis, Volscis, Etruscis, &c.

GENS JULIA.

Gentem *Iuliam*, quæ Alba à Tullo Hostilio diruta Romam migravit, & Patriciam fuisse, & ab *Iulo* Æneæ filio traxisse originem plerique produnt auctores: duo fuerunt præcipue illius cognomina *Iulus* & *Cæsar*, non duæ tamen, nisi mea me fallit opinio, familiæ: cum enim in fastis ante bella Punica *Cæsarum* nulla, *Iulorum* frequens, & post bella Punica *Iulorum* nulla, *Cæsarum* vero frequens fiat mentio, non temerè dixerim *Cæsaris* cognomen inditum *Iulorum* cuipiam, à quo *Cæsarum* genus propagatum sit, quod aliquanto post duas in familias divisum est. Ex una fuerunt *Cæsares* illi, qui cum ingenii laude florerent, in dissentione Marii & Syllæ perierunt; ex altera *C. Cæsar* Dictator. Primum de illorum, tum de Dictatoris familia agemus. Vnde vero *Cæsaris* cognomen desumptum sit aliter aliis placet: sunt enim qui vel à *cæsarie*, vel à *cæsiis* oculis, vel à *cæso* in Africa elephante deductum scripserint: libentius ego assenserim iis, qui à *cæso* matris utero petitum volunt.

PRIMA CÆSARVM FAMILIA.

I. *Sexti Cæsares* duo anno urbis 545. memorantur, quorum alter Siciliá cum exercitu Prætor obtinuit, I. alter cæso M. Marcello ad Crispinum Consulem comitiorum causa missus est. II. Hujus filius *Sextus* L. Pauli contra Ligures legatus fuisse perhibetur: III. ex eo natus *Sextus Cæsar* Consul cum L. Oreste an. 596. tres filios habuit IV. *Sextum* Prætorium, *Caium* & *Lucium*; *Caio* & *Lucio* liberi nati sunt, *Sexto* nulli. Primum de *Caij*, tum de *Lucij* posteris dicemus.

IV. *Caius* pater fuit V. *Sexti Cæsaris* Consulis an. 662. anno proximo ante bellum sociale, VI. cujus filius *Sextus*, Flamen Quirinalis, cum pro domo sua Cicero diceret, genuit VII. *Sextum Cæsarem*, qui à Caio Dictatore Syriæ præfectus, à militibus fraude Q. Cæcilii Bassi interemptus est.

IV. *Lucius* duos filios suscepit V. *Lucium* & *Caium*, quorum ingens Romæ gloria fuit; sed alia alii: nam *Lucius* tum gestis honoribus, Consulatu an. 663. & Censura, tum bellica laude in bello sociali floruit; *Caius* vero ingenio & eloquentia: ipse enim est Poëta ille & Orator urbanitate & lepore conditus, de quo multa Cicero in Bruto. Vterque Marii jussu cæsus; *Caius* hospitis Etrusci proditione, *Lucius* ad tumulum Varii Sucronensis. Ejus filia *Iulia* nupsit, primum *M. Antonio Cretico*, deinde *Lentulo Suræ*, qui in carcere necatus est: *Cretico* *Antonium* Triumvirum, ejusque fratres peperit. VI. *Iuliæ* frater erat *Lucius* ille Cæsar Consul anno 689. qui cum stetisset à Pompeii partibus, post victos, tum

ad Pharsalum Pompeium, tum in Africa Scipionem, Vticensibus auctor fuit, ut victorem reciperent, ipseque Cæsari obviam profectus, cum sibi, tum multis vitam impetravit: proscriptus aliquanto post ab Antonio, quem occiso Cæsare hostem dixerat, à sorore *Iulia* servatus est. *Lucij* ejus filii tristior exitus fuit: in bello enim Africano cum libertos servosque C. Cæsaris ferro & igne necari jussisset, paulo post à Cæsaris militibus & ipse interfectus est.

C. CÆSARIS DICTATORIS FAMILIA.

C. *Cæsaris* Dictatoris & proavo & avo *Caius* prænomen fuit: avus ex *Martia* genuit *Caium* & *Lucium*, & *Iuliam* uxorem *C. Marij* septies Consulis. *Caius* & *Lucius* ambo Prætorii immatura morte sublati sunt, ille Pisis, hic Romæ. *Caio* ex *Aurelia* natus est *C. Iulius Cæsar* Dictator, & duæ *Iuliæ*, quarum una ex primo marito *Q. Pedium*, ex secundo *L. Pinarium*; altera ex *M. Accio Balbo Acciam* Augusti matrem peperit.

Caius Iulius Cæsar quater Consul, an. 694. 705. 707. 708. & Dictator perpetuus, vir omnium, qui unquam extiterint, gloria militari clarissimus, Hispaniam ulteriorem ad oceanum usque perdomuit, Helvetios & Ariovistum Germanorum Regem in Gallia vicit; Aquitanos, Gallos, Belgas, Britannos subegit, Germanos magnis attrivit cladibus: deinde orto bello civili, ab eo Petreius & Afranius in Hispania exercitu spoliati; victus ad Pharsalum Pompeius, ad Alexandriam Ptolomæus, Pharnaces in Ponto, in Africa Iuba & Scipio: ad Mundam in Hispania Cneius & Sextus Pompeii: quare uno tempore ex Gallia, ex Ægypto, Ponto, Africa quatuor triumphos egit, dumque majora cogitat, ab amicis in curia 23. vulneribus confossus est: quatuor uxores habuit, *Cossutiam* familiæ Equestris, *Corneliam* Cinnæ quater Consulis, *Pompeiam* Q. Pompeii Rufi, & *Calphurniam* L. Pisonis filiam. *Cossutiam* & *Pompeiam* repudiavit; ex *Cornelia Iuliam* Pompeii Magni uxorem, ex aliis nullos liberos suscepit.

Qua corporis forma fuerit *C. Cæsar*, Suetonius tradit; quibus moribus Velleius, & omnium elegantissime Sallustius: sed ita illius laudes Catonis laudibus conjunxit, ut sejungi minime possint. Eorum verba hic appingere libuit, primum Suetonii, tum Velleii, denique Sallustii.

Fuisse traditur excelsa statura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetisque oculis, valetudine prospera. Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur diligenter ac raderetur, sed etiam velleretur: Calvitii quoque deformitatem iniquissime tulit. Armorum & equitandi peritissimus, laboris ultra fidem patiens erat; sæpius in agmine, nonnunquam equo, sæpius pedibus anteibat, capite detecto, seu sol, seu imber esset. In obeundis expeditionibus dubium cautior, an audentior, &c. Hæc & plura Suetonius

Ita Velleius.

Hic nobilissima Iuliorum genitus familia, & ab Anchise & Venere deducens genus, forma omnium civium excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentia effusissimus, animo super humanam & naturam & fidem evectus; magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum Magno illi Alexandro, sed sobrio, neque iracundo simillimus: qui denique semper & somno & cibo in vitam, non in voluptatem uteretur.

Sallustii de *Cæsare* & *Catone* verba sunt hæc.

His genus, ætas, eloquentia prope æqualia fuere: magnitudo animi par, item gloria; sed alia alij. Cæsar *beneficiis ac munificentia magnus habebatur, integritate vitæ* Cato: *ille mansuetudine & misericordia clarus factus, huic severitas dignitatem addiderat.* Cæsar *dando, sublevando, ignoscendo,* Cato *nihil largiendo gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium, in altero malis pernicies; illius facilitas, hujus constantia laudabatur. Postremo* Cæsar *in animum induxerat,*

laborare

laborare, vigilare, negotiis amicorum intentus sua negligere, nihil denegare, quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi virtus enitescere posset: at Catoni *studium modestiæ, decoris, sed maxime severitatis erat; non divitiis cum divite, neque factione cum factiosis; sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat: esse, quàm videri bonus malebat. Ita quo minus gloriam petebat, eo magis assequebatur.*

Accia, quam *Iulia* C. Cæsaris soror *Accio Balbo* pepererat, nupsit *Octavio*, qui ex Prætura Macedoniam sortitus, pulsis hostibus Provinciam summa cum laude administravit; sed haud multo post immatura morte obiit, cum ex duabus uxoribus tres genuisset liberos, *Octaviam* majorem ex *Ancharia*, *Octavium* & *Octaviam* minorem ex *Accia*, quæ post illius mortem *L Martio Philippo* iterum nupsit. Cujus uxor fuerit *Octavia* major, incertum est: minor certe primum fuit *C. Marcelli*, tum *M. Antonij* Triumviri. Ex Marcello, *Marcellum* duasque *Marcellas*; ex Antonio duas *Antonias* peperit. *Marcellus* Ædilitius hæres Augusto destinatus in flore ætatis decessit. *Marcella* major primum *M. Agrippæ*, deinde *M. Iulio Antonio* nupsit; *Antonia* major *Druso* Augusti privigno; minor *L. Domitio*. At de his superius egimus, tum in gente *Antonia*, tum in *Claudia Marcellorum*, tum in *Domitia*.

Octavius Cæsar C. Cæsaris ex *Accia* sororis filia nepos, hæres ab eo scriptus; post illius cædem Thessalonica, quo studiorum causa missus fuerat, Romam rediit; & continuo cum Hirtio & Pansa Consulibus M. Antonium ad Mutinam vicit: sed paulo post Triumvir cum Antonio & Lepido prodita patria bellum Philippense cæsis Bruto & Cassio, Perusinum victo L. Antonio, Siculum fugato Sex. Pompeio, denique Actiacum devictis M. Antonii partibus feliciter confecit: Iani templum tertio clausit, pace terra, marique parta; Dalmatiam, Pannoniam, Illyricum, Rhœtiam, Vindeliciam, Cantabriam per Drusum & Tiberium privignos, aliosque duces imperio adjunxit; Armeniam à Parthis & Crassi signa recepit; Scythas & Indos ad suam, Populique Romani amicitiam petendam allexit; semel ac vicies Imperatoris nomen adeptus, tres triumphos curules egit, Dalmaticum, Actiacum & Alexandrinum; Pontifex maximus, 13. Consul, Tribunus plebis perpetuus, morum legumque moderator, Augustus à Senatu primus appellatus, orbis imperium summa, tum prudentiæ, tum clementiæ laude per 44. annos administravit, tandemque Nolæ obiit anno ætatis 76. Tres duxit uxores, *Clodiam* P. Clodii & Fulviæ filiam, *Scriboniam* L. Libonis sororem, & *Liviam* ex Tiberio Nerone gravidam: ex Scribonia Iuliam, ex aliis nullos liberos sustulit.

Quis *Augusto* fuerit corporis habitus, memoriæ prodidit Suetonius his verbis: *Forma fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venustissima, quamquam & omnis lenocinij negligens, & in capite comendo tam incuriosus, ut raptim compluribus simul tonsoribus operam daret, ac modo tonderet, modo raderet barbam; eoque ipso tempore aut legeret aliquid, aut etiam scriberet. Vultu erat tranquillo serenoque; oculos habebat claros ac nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse aliquid divini vigoris; dentes raros & exiguos & scabros, capillum leniter inflexum & subflavum, supercilia conjuncta, mediocres aures, nasum & à summo eminentiorem, & ab imo deductiorem, colorem inter aquilum candidumque, staturam brevem, sed qua & commoditate & æquitate membrorum occuleretur, &c.* Ea quibus ejus mores persequitur, quia longiora sunt, hic adscribere non libuit.

Iulia Augusti & Scriboniæ filia probris & flagitiis infamis; bis nupsit, primum *M. Agrippæ*, à quo ideo dimissa *Marcella*; deinde *Tiberio Neroni* haud paulo post Imperatori. Tiberio nullos, Agrippæ quinque peperit liberos; filiæ fuerunt *Iulia L. Æmilii Pauli*, & *Agrippina Germanici* uxor; mares, *Caius*, *Lucius* & *Agrippa*: *Caius* & *Lucius* ab Augusto scripti hæredes in ætatis flore perierunt; ille in Lycia, dum ex Oriente Romam redit: incertum ex vulnere, an morbo, an novercæ dolo; hic Massiliæ, dum Hispaniam petit. *Agrippa* posthumi &

Julia ipsius matris par prope exitus fuit: ambo enim ab Augusto relegati, ille ob ferox & sordidum ingenium, in insulam Planasiam; hæc, ob libidines, in Pandatariam: ambosque aliquanto post Tiberius, illum gladio, hanc inopia & tabe sustulisse dicitur.

Tiberius Nero Liviæ ex Tiberio Claudio filius, *Drusique* frater; dum vixit Augustus, egregii nominis fuit, famæque integræ: tria bella gessit, Rhœticum, Pannonicum & Germanicum, de quibus tum ovationem, tum triumphum retulit Institutus hæres ab Augusto, Germanici metu vitia sua mira arte dissimulavit; eo vero sublato veneficiis, metu solutus, cum in affines, tum in civitatis principes sævijt, quorum alios ferro, alios fame, alios alio genere mortis occidit, dum ipse in Caprea insula oblitus imperii, infami luxu delitescit, ubi tandem deliciis confectus moritur. Ex *Vipsania M. Agrippæ* & Pomponiæ filia illi natus est *Drusus*, qui sedato Pannonico tumultu ovans urbem ingressus est, Consulque anno 766 sed orto ipsum inter & Sejanum dissidio, veneno sublatus est, conscia uxore *Livilla*, ex qua filiam genuerat *Iuliam*, primum *Neroni* Germanici filio, tum *C. Rubellio* nuptam; duosque filios, quorum alter paulo post obiit, alter *Tiberius* nomine, etiam tum puer Caligulæ jussu cæsus est.

Tiberii formam Suetonius descripsit, indolem Tacitus.

Hæc Suetonius.

Corpore fuit amplo atque robusto, statura, quæ justam excederet; latus ab humeris & pectore, cæteris quoque membris, usque ad imos pedes æqualis & congruens; sinistra manu agiliore ac validiore: colore erat candido, capillo pone occipitium submissiore, ut cervicem etiam obtegeret; facie honesta, in qua etiam crebri & subiti tumores, cum prægrandibus oculis: & qui, quod mirum esset, noctu etiam & in tenebris viderent; sed ad breve; incedebat cervice rigida & obstipa, adducto fere vultu, plerumque tacitus, nullo aut rarissimo etiam cum proximis sermone, eoque tardissimo, nec sine molli quadam digitorum gesticulatione.

Ita Tacitus l.6. Annalium cap.16.

Morum quoque tempora illi diversa: egregius vita famaque quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit: occultus ac subdolus fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere: idem inter bona malaque mixtus: incolumi matre: intestabilis sævitia; sed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit, timuitve. Postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu, suo tantum ingenio utebatur.

Drusus iisdem quibus *Tiberius* parentibus, *Ti. Nerone* & *Livia* genitus; privignus Augusti multos Germaniæ populos subegit, omnia longe lateque usque ad Albim populatus; sed anno ætatis 30. designatus Consul, sive morbo, sive equo super crus collapso in Germania interiit: Princeps virtutibus *Tiberio* longe superior; ex liberis, quos ex *Antonia* Antonii Triumviri & Octaviæ filia genuerat, tres illi superstites fuerunt *Germanicus*, *Livia*, seu *Livilla*, quæ *Druso* Tiberii filio nupsit, & *Claudius* postea Imperator, de quo paulo post.

Germanicus duplici Consulatu anno 766. & 770. triumpho de Cheruscis clarus, sed eximiis virtutibus multo clarior, è Germania, ubi maxima bella feliciter confecerat, à Tiberio in Orientem missus, Cn. Pisonis, ut tum vulgo creditum est, scelere Antiochiæ Syriæ extinguitur. Ex *Agrippina* M. Agrippæ & Iuliæ filia tres fœminas, totidemque mares sustulit: filiæ fuerunt *Agrippina* Neronis Imperatoris ex *Domitio* mater; *Drusilla*, Cassio Longino, & *Livilla* M. Vinicio nupta: filii vero *Nero*, *Drusus*, & *Caius* vulgo *Caligula* dictus. *Nero Iuliam* Tiberii ex Druso filio neptem; *Drusus Æmiliam Lepidam* uxorem duxit: sed uterque sine liberis à Tiberio alius alio tempore fame necatus est.

Singulares *Germanici* virtutes persequitur Tacitus l.2. Annalium cap.11.

Indoluere exteræ nationes regesque: tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes: visuque & auditu juxta venerabilis: cum magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam & arrogantiam effugerat. Et erant qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus in-

teriit, Magni Alexandri fatis adæquarent: nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidiis externas inter gentes occidisse: sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum uno matrimonio certis liberis egisse: neque minus prœliatorem, etiamsi temeritas abfuerit, præpeditusque sit perculsas tot victoriis Germanias servitio premere. Quod si solus arbiter rerum, si jure & nomine regio fuisset, tanto promptius assecuturum gloriam militarem, quantum clementia, temperantia, cæteris bonis artibus præstitisset.

Caius Cæsar à militari calceamento *Caligula* dictus, *Germanico* & *Agrippina* genitus, Tiberio successit: Princeps crudelitate, libidine, & multis vitiis infamis; post exhaustas immensas opes, cùm grassaretur per Ordinum omnium cædes, & pro deo coli se toto orbe terrarum juberet, à Chærea, aliisque interfectus est.

Claudius Nero Caii patruus & *Germanici* frater, post *Caium* Imperio præfuit; homo natura minime malus, sed vecors ac stolidus, qui omnia pro libertorum & servorum libidine gessit: Britanniam domuit, *Messalinam* uxorem ob stupra necari jussit, ductaque *Agrippina* nepte, illius ex *Domitio* filium *Neronem*, præterito filio *Britannico* sibi successorem destinavit; & paulo post veneno sublatus est, cum *Britannicum* & *Octaviam* ex *Messalina* liberos haberet.

Domitius Nero à *Claudio* adoptatus initio sic gessit Imperium, ut inter bonos Principes haberi potuerit: post ætatis licentia corruptus in omnia probra ac dedecora ruit; matrem *Agrippinam*, uxores *Octaviam* & *Poppæam*, *Senecam* Præceptorem, aliosque cognatione proximos necavit: tum invisus omnibus cum ad necem quæreretur, in semet carnificis officium occupavit.

Quamvis apud Valerium Maximum nulla *Caij*, *Claudij* & *Neronis* mentio sit; cum tamen & Romæ rerum potiti sint, & ad gentem Iuliam pertineant, non alienum fore putavi, si de aliis hæc pauca adderem, quorum etiam effigiem à Suetonio expressam hic subjicere libitum est; primum *Caij*, deinde *Claudij*, tum *Neronis*.

Caius *statura fuit eminenti expallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima cervicis & crurum, & oculis & temporibus concavis, fronte lata & torva, capillo raro, ac circa verticem nullo, hirsutus cætera; vultum vero natura horridum, etiam ex industria efferabat, componens ad speculum in omnem terrorem ac formidinem.*

Claudio *auctoritas dignitasque formæ non defuit, vel stanti, vel sedenti, ac præcipue quiescenti: nam & prolixo, nec exili corpore erat, & specie canitieque pulcra, opimis cervicibus: cæterum, & ingredientem destituebant poplites minus firmi, & remisse quid & serio agentem multa dehonestabant: risus indecens, ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus; præterea lingua titubantia, caputque cum semper, tum in quantulocunque actu vel maxime tremulum.*

Nero *statura fuit pene justa, corpore maculoso & fœdo, subflavo capillo, vultu pulcro magis quam venusto, oculis cæsiis & hebetioribus, cervice obesa, ventre projecto, gracillimis cruribus, valetudine prospera.*

GENS JUNIA.

De *Iunia* Gente, cui *Bruti* cognomen adhæsit, Possidonium inter & Dionysium non convenit: vult enim ille apud Plutarchum *L. Bruto*, qui Reges exegit, filium fuisse superstitem; hic negat: cui cum assentiantur plerique omnes, non temere dixerim duplicem fuisse *Iuniorum* gentem, unam Patriciam, plebeiam alteram; utramque nobilem, illam expulsis Regibus, hanc occiso C. Cæsare. Patricia desiit in *L. Bruto* primo Consule, qui filios, quod faverent Tarquiniis, securi percuti jussit an. urbis 244. Plebeiæ multa fuerunt cognomina, *Bruti*; *Bubulci*, *Callaici*, *Norbani*, *Penni*, *Peræ*, *Pulli*, *Scævæ* & *Sillani*, quorum clarissimos quosque breviter indicasse satis erit.

E *Iuniis Peris* duo illustres fuerunt; alter *Decimus* Consulatu an. 487. & de Messapiis triumpho; alter *Marcus* Consulatu anno

523. Censura & Dictatura. E *Pennis* unus *Marcus* Consul an. 586. è *Pullis Lucius* an. 504. qui ob neglecta auspicia classem amisit; è Norbanis; *Caius* an. 670. qui à Sylla victus est; è *Bubulcis* duo *Caij* pater & filius, ille tribus Consulatibus anno 436. 440. 441. duabus Dictaturis, totidem triumphis de Samnitibus & Æquis, Censuraque clarissimus, hic duplici Consulatu an. 462. & 467. & de Lucanis triumpho insignis.

Ita confusum *Iuniorum* stemma, ut *Decimi* & *Marci Brutorum*, qui in C. Cæsarem conspirarunt, parentes ex fastis vix assignari possint: *Decimi* avus fuit, ut est conjectura. I. *Decimus* ille *Brutus*, qui Consul an. 615. & Proconsul Lusitanos & Callæcos ad oceanum usque ita perdomuit, ut inde & triumphi decus, & *Callaici* cognomen retulerit. Pater II. *Decimus* Consul an. 676. vir literis Græcis juxta & Latinis eruditus. III. Ipse *Decimus* à Posthumio Albino adoptatus à Cæsaris partibus stetit, cujus legatus in Gallia fuerat: post illius cædem diu Mutinæ ab Antonio obsessus; ab Octavio quidem liberatus est, sed paulo post desertus à suis ad Aquileiam jussu Antonij interficitur.

Marci vero pater fuit II. *Marcus Decimi* an. 676. Consulis, nisi falsus sum, frater, qui Prætor Galliam Cisalpinam nomine Lepidi Consulis cum occupasset, Mutinæ à Cn. Pompeio obsessus, metu, ne à se deficerent milites, se suaque illi permisit, cujus tamen imperio cõtinuo post cæsus est. Ex *Servilia* M. Catonis sorore, *M. Brutum* susceperat, duasque *Iunias*, quarum altera *M. Lepido* Triumviro, altera *C. Cassio* nupsit. III. *M. Brutus* morum integritate, elegantia ingenii, & literarum studio, cum Ciceroni, tum optimo cuique charissimus, in dissentione civili Pompeii partes secutus est; illum tamen Cæsar non modo servavit, sed evexit ad honores, illique inter amicos primas detulit: quorum beneficiorum *Brutus* immemor amore patriæ in eum conjuravit, eoque cæso, occupata Macedonia, vicit quidem ad Philippos Octavium, sed iterato post unũ circiter mensem prælio, victus mortem sibi conscivit: uxor illi fuit *Porcia* M. Catonis filia.

M. Bruti & *Cassii*, qui & conjurationis in Cæsarem auctor fuerat, & cladis ad Philippos acceptæ, indolem descripserunt & Velleius l. 2. & Plutarchus in Bruto.

Velleius.

Fuit autem Cassius *dux melior, quanto vir* Brutus: *è quibus* Brutum *amicum habere malles, inimicum magis timeres* Cassiũ. *In altero major vis, in altero virtus: qui si vicissent, quantum Reipublicæ interfuit, Cæsarem potius quàm Antonium habere Principem, tantum retulisset habere* Brutum, *quàm* Cassium.

Plutarchus.

Habebatur Cassius *rei bellicæ peritus, sed ira asper, & per metum magis velle imperare: apud familiares ad risum pronior & dicax.* Brutum *vero virtutis causa vulgo charum, amicis dilectum fuisse: admirationi optimo cuique, odio venisse ne hostibus quidem, quod mire lenis, magnanimus, adversus iram, voluptatem, avaritiam infractus, rectam sententiam atque inflexibilem retineret pro honesto & justitia.*

Silanorum cum & nusquam meminerit Valerius, & major sub Imperatoribus, quàm florente Republica gloria fuerit, tres tantum, quatuorve appellabo: quorum primus erit *Marcus* ille *Silanus* Africano majori datus à Senatu rerum in Hispania gerendarum moderator & rector: tres alii Consules, *Marcus* an. 644. à Cimbris victus, *Decimus* an. 691. *Marcus* an. 728. aliique aliis temporibus sub Imperatoribus Consules.

GENS LICINIA.

Gentis *Liciniæ*, quæ plebeia fuit, tres tantum familias, quæ aliis longe præstiterunt, persequemur: *Crassos*, *Lucullos* & *Murenas*.

LICINII CRASSI.

HVjus familiæ princeps fuit *P. Craſſus*, qui etiam tum juvenis creatus eſt Pontifex Maximus, aliquanto poſt Conſul anno 548. cum Annibale bellum geſſit; denique Cenſor: vir omnibus naturæ fortunæque donis inſtructus, nobilis, dives, forma corporis excellens, facundus, duobuſque auctus filiis *Caio* & *Marco*, à quibus duæ Craſſorum familiæ propagatæ ſunt. Primum *Caij*, tum *Marci* nepotes explicabimus.

II. *Caius* itidem ut pater duos filios genuit III. *Publium* & *Caium*, utrumque Conſulem, illum anno 581. hunc 585. III. *Caius* ex Conſulatu ſortitus Macedoniam vario marte bellum cum Perſe geſſit: nam primo prælio victus, ſecundo victor multas in Græcia urbes expugnavit. IV. Ab ejus filio *Publio* ex gente Mutia in Liciniam adoptatus eſt *P. Craſſus Mutianus*, qui & Pontifex Maximus & Conſul anno 622. contra Ariſtonicum in Aſia cum bellum gereret, victus occubuit: ejus filiarum altera *C. Sulpicio Galbæ*, altera *C. Graccho* nupſit.

L. Craſſus, Orator ille, quem in libris *de Oratore* loquentem inducit Cicero, cum Q. Mutio Conſul anno 658. Galliam obtinuit: cum Cn. Domitio Cenſor: in Philippum Conſulem cum paulo acrius invectus eſſet, latus dicenti condoluit, & febri correptus ſeptimo die lateris dolore conſumptus eſt: ex *Mutia* duas filias ſuſcepit, unam *C. Marij*, alteram *Scipionis Naſicæ* uxorem: quæ cum duos mares peperiſſet, *Craſſus* eorum alterum *L. Licinium Craſſum Scipionem* adoptavit. Quo patre natus ſit *Craſſus* Orator nemo, quod in tanto viro mirum eſt, memoriæ prodidit. In faſtis Capitolinis diverſum prænomen illius patri affingitur, apud Sigonium *Lucius*, apud Pighium *Publius*. Quid certi ſuper hac re dicam, nihil habeo; ſi tamen conjectura uti licet, illum *Publii Craſſi* anno 581. Conſulis, de quo paulo ante, ex filio nepotem fuiſſe ſuſpicor: in avo enim Publio omnes conſentiunt, in patre non item: quia ille vel juvenis deceſſit, vel nullo, quod verius putem, Magiſtratu functus eſt; ideoque illius prænomen ignotum.

Illius eloquentiam & dicendi genus his verbis expreſſit Cicero in Bruto.

Erat ſumma gravitas, erat cum gravitate junctus facetiarum & urbanitatis oratorius, non ſcurrilis lepos; Latine loquendo accurata & ſine moleſtia diligens eloquentia, in diſſerendo mira explicatio, cum de jure civili, cum de æquo & bono diſputaretur, argumentorum & ſimilitudinum copia. Non multa jactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra ſupploſio pedis: vehemens & interdum irata & plena juſti doloris oratio; multæ & cum gravitate facetiæ: quodque difficile eſt, idem & perornatus & perbrevis.

II. *M. Craſſus Publio* hujus familiæ principe genitus V. pronepotem habuit *Marcum*, qui, quod nunquam ridere viſus ſit, ἀγέλαστος vulgo dictus eſt; VI. cujus filius *P. Craſſus* cognomento *Sapiens*, conſulatu anno 656. de Luſitanis triumpho, & Cenſura nobilis in bello civili Marii & Syllæ, ne in hoſtium veniret poteſtatem, ſibi mortem conſcivit. Duo illi fuerunt filii, *Publius*, qui una cum ipſo periit, & VII. *M. Craſſus* Romanorum omnium ditiſſimus, qui poſt duplicem & ovationem & Conſulatum an. 683. & 698. inita cum C. Cæſare & Cn. Pompeio ſocietate bellum Parthicum ſortitus eſt, in quo cum male pugnaſſet, exercitum cum filio *Publio* amiſit: demum ipſe per ſpeciem colloquii ab hoſte circumventus occiditur.

VIII. *Marci* divitis filius alter in bello civili Galliæ Ciſalpinæ nomine Cæſaris præfuit: IX. nepos ſub Auguſto Conſul anno 723. de Thracibus & Getis triumphavit; X. pronepos etiam Conſul anno 739. XI. abnepos vero, cui prænomen *Marcus*, ut aliis, cognomen vero *Frugi*, ſub Tiberio Conſul an. 779. quatuor ex Scribonia filios ſuſcepit XII. *Cn. Pompeium Craſſum* Claudii generum, *M. Craſſum Scribonianum Frugi* Conſulem

anno 816. *L. Crassum Scribonianum* & *Pisonem Licinianum* adoptatum à Galba: *Cneius* à Claudio, *Marcus* à Nerone, *Piso* ab Othonis militibus cæsus est, *Lucius* oblatum ab Antonio duce in Vitelliana dissentione imperium repudiavit.

LICINII LVCVLLI.

E *Lucullis* tres & honoribus & victoriis clari perhibentur: I. *Lucius* Consul an. 602. Vaccæos, Cantabrosque domuit; II. cujus ex filio nepotes fuerũt III *Lucius* & *Marcus*, uterque in bello tum Mithridatico, tum civili Syllæ legatus; uterque Consul, ille anno 679. hic 680. uterque triumphalis, ille ex Asia, hic ex Macedonia: *Lucij* tamen major fuit & virtus & gloria; sæpe enim Mithridatem & Tigranem exigua manu vicit; villarum magnificentia, conviviorum sumptu, & vestium numero Romanos omnes longe superavit: ex *Servilia* Catonis sorore illi natus est IV. *Marcus*, qui Antonii jussu post Philippensem victoriam interfectus est.

LICINII MVRÆNÆ.

E *Murænis* duo tantum illustres memorantur, alter triumpho, alter Consulatu: I. *Lucius*, cujus pater, avusque Prætorii, & ipse Prætorius missus à Sylla Mithridatem repressit, eoque nomine triumphavit: duo illi filii fuerunt II. *Lucius* & *Marcus*; bis ille in Mithridatem arma gessit, semel sub patre, iterum Luculli legatus: deinde designatus Consul an. 691. à Catone aliisque ambitus crimine postulatus, à Cicerone tum Consule ea oratione, quam etiam nunc præ manibus habemus, ita defensus est, ut honestissime absolutus sit: Galliam paulo post sortitus *Marcum* fratrem legatum habuit.

GENS LIVIA.

L*Iviæ* gentis tres familiæ & cognomina fuerunt, Denter, Salinator, Drusus: è *Denteribus* Consul fuit *Caius* an. 451. è *Salinatoribus* duo *Marcus* & *Caius*: ille duplici Consulatu anno 534. & 546. totidem triumphis & Censura nobilis: Illyrios enim domuit & Asdrubalem Annibalis fratrem cum exercitu ad Metaurum cecidit: ejus filius Consulatum anno 565. adeptus est.

LIVII DRVSI.

D*Rusi* tum Consulatus honore, tum Tribunatu plebis celebres extitere. I. M. *Livius* cæso hostium duce *Drauso*, *Drusi* cognomen sibi suisque invenit: II. cujus filius *Caius* cum Scipione Æmiliano Consul anno 606. cœcus ille forte fuit, de quo Valerius l. 8. c. 7. duos filios habuit III. *Marcum* & *Caium*, alterum altero longe illustriorem: *Caius* quidem non indisertus fuit, sed *Marcus* ingenio, eloquentia, divitiis pollens, Tribunus plebis cum Senatus partes contra C. Gracchum tueretur, Senatus patronus appellatus est: unde ad summos honores evectus, aliquanto post Consulatu an. 641. de Scordiscis triumpho & Censura enituit. Tribunatus, quem *Marcus* ejus filius gessit, læta quidem initia, sed cum ipsi, tum universæ Italiæ funestus exitus fuit: illum enim pro auctoritate Senatus cum suscepisset contra Equestrem Ordinem, videretque sibi non meritam à Patribus gra-

tiam rependi, Latinis civitatem pollicitus est: unde & sociale bellum, & ipse in atrio domus cultro percussus intra paucas horas expiravit: cædis invidia penes Cæpionem & Philippum Consulem fuit. VI. Illius forte nepos fuit *Marcus* ille *Drusus Libo* Consul sub Augusto anno 738.

De *M. Druso*, qui in Tribunatu necatus est, hæc pauca l. 2. Velleius.

M. Livius Drusus vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, meliore in omnia ingenio, animoque, quàm fortuna usus.

GENS LUTATIA.

GEns *Lutatia*, plebeia quidem, sed victoriis clara fuit: quatuor enim *Lutatij* maxima bella confecerunt; unus Punicum primum, alter Phaliscum, tertius Cimbricum, quartus civile Marium inter & Syllam. Bello Punico primo duo *Lutatij* floruerunt, I. *Caius* & *Quintus*, cognomento ille *Catulus*, hic *Cerco*; ambo fratres, ambo Consulatu, victoria & triumpho prope pares: ille enim Consul anno 511. & anno sequenti Proconsul tanta clade Pœnos navali prælio affecit, ut ad duriores pacis conditiones adegerit; hic Consul an. 512. Phaliscos domuit: quare uterque triumphum, ille navalem de Pœnis, hic de Phaliscis terrestrem egit. *Caij Catuli* V. abnepos *Quintus Catulus* una cum C. Mario & Consul fuit an. 651. & Proconsul Cimbros ad internecionem delevit; & in dissentione civili candentium carbonum vapore extinctus est. VI. *Quintus* ex eo genitus M. Lepidum an. 675. in Consulatu Collegam acta Syllæ rescindere conantem, & vicit ad urbem, & victum Italia expulit; & aliquanto post Censor Capitolium dedicavit.

GENS MANLIA.

GEns *Manlia*, quæ jam inde ab urbis incunabulis illustris fuit, in tres familias, *Cincinnatos*, *Acidinos* & *Vulsones* tribui potest. *Cincinnati*, quod in Capitolio habitarent, *Capitolini*; deinde *Imperiosi*, tum *Torquati dicti sunt.* Ex *Acidinis* Consul unus *L. Acidinus* anno 574. ex gente Fulvia adoptatus: è *Vulsonibus*, qui, quod è *Cincinnatis* traxerint originem, *Capitolini* etiam vocantur: quatuor Consulatu, unus ovatione, duo triumpho insignes fuerunt. *Aulus* Consul an. 279. de Veientibus ovationem, *Lucius* bis Consul an. 497. & 503. de Pœnis triumphum navalem; Cneius illius nepos Consul an. 564. de Gallogræcis terrestrem retulit: minor *Auli* fratris gloria, qui in Consulatu an. 575. contra Istros bellum gerens castra, quæ sua temeritate amiserat, virtute militum recuperavit.

Manliorum, tum *Capitolinorum*, tum *Torquatorum* stemma sic commode ex fastis, aliisque primæ classis auctoribus explicari potest. I. *Cn. Manlio Cincinnato* an. 273. Consuli filius fuit II. *Aulus Capitolinus Vulso*, de quo paulo ante diximus, à cujus liberis *Manlij*, tum *Vulsones*, tum *Capitolini* propagati sunt. *Aulus* tres liberos genuit rebus gestis clarissimos, III. *Aulum* quater Tribunum militarem, III. *Titum* Tribunum militarem, & III. *Marcum* Consulem an 361. & triumpho de Æquis nobilē, qui cū novis rebus studere diceretur, è saxo Tarpeio, quod cōtra Gallos fortiter defenderet, in præceps actus est: *Aulus* filium habuit IV. Lucium Dictatorem, cui gemina soboles contigit. V. *Cneius Imperiosus* & *Titus Torquatus*, ille bis Consul fuit an. 394 & 396. hic ter, anno 406. 409. & 413. ter etiam Dictator; qui cum Gallum singulari certamine vicisset, ab illius torque *Torquati* cognomen sibi suisque posteris peperit, VI *Titum*que filium, quod præter mandatum pugnasset, securi percuti jussit. Ex eo tamen nepotem habuit VII. *Titum* an. 454.

in Consulatu mortuum, & abnepotes IX. *Aulum Manlium Atticum* & *Titum*, utrũque duplici Consulatu, Censura & triumpho clarissimos. *Aulus* Consul anno 509. & 512. *Titus* an. 518. & 529. ille de Phaliscis, hic de Sardis triumphavit; *Titus* præterea Dictator comitiorum causa creatus est.

Tito duo etiam nepotes ex X *Aulo* filio fuerunt, ambo Consules, XI. *Aulus* an. 589. & *Titus* an. 588. qui filium à D. Silano adoptatum, cum à Macedonibus accusaretur, damnavit. XII. *Lucius* ejus filius tres nepotes habuit, XIV. *Titum*, *Lucium* & *Aulum* Ciceronis amicos; *Lucio* enim referente, Imperator à Senatu appellatus est. Consul ille fuit an. 688. paterque XV. *Lucij Manlij*, qui Syllam conjurationis Catilinæ postulavit, & aliquanto post in bello Africano contra Cæsarem periit.

GENS MARIA.

C. *Marius* Arpini humili loco natus, virtute militari summos honores adeptus est; vir, si quis unquam, bellicis operibus illustris; duo maxima bella confecit, Iugurthinum & Cimbricum; septem gessit Consulatus anno 646. 649 &c. bis triumphavit, semel de Iugurtha, iterum de Cimbris, Teutonis & Ambronibus: Iugurtham enim sæpius victum à Boccho, ad quem fugerat, proditum in triumpho duxit: Teutones & Ambrones ad Aquas-Sextias solus, Cimbros ad Vercellas cum Catulo occisione delevit: at dum bellum Mithridaticum I. Syllæ per Sulpicium eripere conatur, urbe pulsus, post errores varios in Africam appulit, unde à Cinna revocatus septimum Consulatum an. 667. invadit, in quo nimia crudelitate in cives grassatus obiit. Ex *Iulia* C. Cæsaris amita duos suscepisse filios dicitur, *C. Marium* & *Telesinum*, id tamen non liquet: sunt enim qui ipsius non filios, sed ex sorore nepotes esse velint. Vt ut est, *C. Marius* junior Consul an. 671 ad Sacriportum à Sylla victus Præneste refugit, unde per cuniculos dum tentat erumpere, una cum fratre *Telesino* cæsus est. Fuerunt etiam *Marij Gratidiani* Ciceronis, & amici, & affines.

C. Marij septies Consulis vitia Velleius l. 2. virtutes Sallustius in bello Iugurthino referunt: utriusque verba subjiciam. Hæc Velleius.

C. Marius *natus equestri loco hirtus, atque horridus, vitaque sanctus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, immodicus gloriæ, insatiabilis, impotens, semperque inquietus.*

Ita Sallustius.

Illum jam antea Consulatus ingens cupido exagitabat, ad quem capiendum præter vetustatem familiæ alia omnia abunde erant, industria, probitas, militiæ magna scientia, animus belli ingens, domi modicus, libidinis & divitiarum victor, tantummodo gloriæ avidus: sed is natus & per omnem pueritiam Arpini alitus, ubi primum ætas militiæ patiens fuit, stipendiis faciundis, non Græca facundia, neque urbanis munditiis sese exercuit; ita inter bonas artes integrum ingenium brevi adolevit.

GENS MARCIA.

MArciorum alii Patricii, alii plebeii fuerunt: Patriciorum cognomen nullum, nisi forte *Coriolani*; plebeiorum multiplex, *Rutili*, *Censorini*, *Reges*, *Figuli*, *Philippi*, *&c.* Patricii à *Numa* & *Anco Marcio* Regibus traxisse originem dicuntur, è quibus præstitit *Marcus* ille *Coriolanus*, primum fortitudine, tum suo & in patriam odio, & in matrem amore notissimus.

MARCII

MARCII, RVTILI, ET CENSORINI.

C. *Rutilo* cum multi honores delati sunt, quatuor Consulatus an. Vrbis 393. 401. 409. 411. & duo triumphi; alter de Privernatibus, alter de Tuscis: tum honos ille plane singularis, quod primus è plebe & Dictator & Censor creatus sit. Minor quidem *Caij* illius filii gloria, sed modestia major: Consulatu enim an. 443. & paulo post Censura perfunctus, cum Censor iterum crearetur, hanc dignitatem non respuit modo, sed legem tulit, ne cui hunc Magistratum bis ambire liceret: unde *Censorini* cognomen tum ipsi, tum ipsius posteris inditum est. Illius abnepos *Lucius* an. 604. cum Manilio Consul initio belli Punici tertii Carthaginem oppugnavit. Duo etiam sub Imperatoribus *Caij Censorini* Consules produntur, alter an 714. alter 745. ille præterea ex Macedonia triumpho nobilis.

MARCII REGES, FIGVLI, ET PHILIPPI.

E *Marciis Regibus* duo Consules, totidem è *Figulis* memorantur: Regibus *Quintus*, Figulis *Caius* prænomen fuit. *Regum* alter an. 635. alter 683. Consulatum gessit; & ille de Stœnis (gens erat Alpina) triumphavit. *Figulorum* alter alterius avus fuit; avus duplici Consulatu an. 591. & 597. & de Dalmatis victoria, nepos uno tantum Consulatu an. 689. illustris.

Philipporum ut plures Consulatus, ita major gloria fuit: quatuor Consulatus adepti sunt, quorum duo primi *Quinti*, alii *Lucij* dicti sunt. Primus est I. *Quintus* ille Consul an. 472. qui de Etruscis triumphavit; III. cujus nepos duplici Consulatu an. 567. & 584. & Censura clarus extitit: clarior aliquanto futurus, nisi in primo Consulatu contra Ligures male pugnasset. V. *Lucij* ejus ex filio nepotis an. 666. Consulis nomen longe illustrius, non militari quidem scientia, sed eloquentiæ laude, qua M. Antonio & L. Crasso haud multo inferior fuit; Censor aquæ *Marciæ* ductum restituit: VI. ejus filius Consul an. 697. *ex Marcia* filius fuit, & *M. Catonis*, & *Hortensii* Oratoris socer; ex *Accia* conjuge vitricus *Augusti Cæsaris*, uti diximus in gente *Iulia*.

De *L. Philippo* Oratore ita Cicero in Bruto.

Erat in Philippo summa libertas in oratione, multæ facetiæ, satis creber in reperiendis, solutus in explicandis sententiis: erat etiam inprimis, ut temporibus illis Græcis doctrinis institutus, in altercãdo cum aliquo aculeo & maledicto facetus.

GENS MUCIA.

M*Uciorum gens*, quæ plebeia, una fuit, familiæ duæ, quibus & *Scævulæ* cognomen datum est, & duo singularia fuerunt; alterum, jus civile profiteri; alterum, Censuram nunquam petiisse. Gentis princeps I. *Q. Mucius Scævula* Prætor an. 538. duos habuit filios, II. *Quintum* & *Publium*, à quibus facta sunt gentis duas in familias divortia.

II. Quinto, qui Consul an. 579. contra Ligures rem male gessit, ex filio III. *Quinto* nepos fuit IV. *Quintus* ille *Mucius* cognomento *Augur*, Consul an. 636. C. Lælii Sapientis gener, & L. Crassi Oratoris socer, quem tum in l. 1. de Oratore, tum in l. de Amicitia loquentem inducit Cicero. V. Ejus filius *Quintus* & ipse dictus *Augur*, peritissimus juris & percomis habitus est.

II. *Publius Quinti*, de quo paulo ante, frater natu major, Consul an. 578. duos suscepit filios III. *Publium Mucium*, & *P. Crassum Mucianum*, qui in gente *Licinia* adoptatus contra Aristonicum periit, uti diximus, III. *Publius Mucius* an. 620. quo Ti Gracchus cæsus est, Consul, & aliquanto post Pontifex maximus, pater fuit IV. *Quinti* illius *Scævulæ* cognomento *Pontificis*, qui L. Crassi Oratoris fuit, tum in Prætura, tum in Consulatu Collega, Asiamque Prætor tam sanctè administravit, ut & aliis tanquam forma & exemplũ justi imperii proponeretur, & in illius honorẽ festũ, cui nomen *Mucia* ab Asianis institutũ sit. In Civili bello à L. Domasippo cæsus est. Primũ *Q. Augurem*, deinde eo mortuo *P. Pontificem* audivit Cicero, ut ipse testatur.

GENS OCTAVIA.

Octaviorum familia Velitris olim pręcipua inter Patricias à Servio Tullio allecta quidem est, sed aliquot annis post ad plebem se contulit. I. C. *Octavius Rufus* Quæstorius II. *Cneium* & *Caium* procreavit, à quibus duplex Octaviorum familia defluxit, conditione diversa: siquidem *Cneius* & deinceps ab eo reliqui omnes summis functi sunt honoribus; at *Caius* ejusque posteri in equestri ordine constitere, usque ad *Augusti* patrem, qui ex Prætura Macedoniam sortitus illam non minore justitiæ, quam fortitudinis laude administravit, uti diximus in gente *Iulia*.

II. *Cneius Caio* genitus cùm Sardiniam Prętor obtineret, dum *Africanus* major in Africa bellum gerit, maris litora fortiter tutatus est. III. *Cneius* ejus filius Consulatu an. 589. & triumpho de Perse multo illustrior; Persen enim á L. Paulo jam victum Prætor ceperat, & aliquanto post legatus ad Antiochum Laodiceæ Syriæ occisus est. Ex duobus illius filiis IV. *Cneius* Consul fuit an 615 *Marcus* non item; sed utrique filii Consules fuerunt, IV. *Marco* V. *Cneius* an. 677. *Cneio* vero V. *Cneius* & *Lucius*, ille an. 666. hic 678. *Cneius* cum L. Cinnam in Consulatu Collegam urbe expulisset, paulo post illius jussu interfectus est.

GENS POMPEIA.

Pompeiorum, si Velleio credimus, tres familiæ fuerunt; una *Nepotum*, altera *Ruforum*, tertia *Pompeij Magni*: omnes Plebeię quidē, sed gestis honoribus nobiles.

POMPEII NEPOTES.

Q. *Pompeius* cognomento *Nepos*, qui Tibicinis, ut tum ferebatur, filius erat; ex hoc stemmate primus Consulatum an. Vrbis 612. adeptus est, Hispaniamque sortitus turpe cum Numantinis, à quibus victus fuerat, fœdus pepigit; populi tamen favore non absolutus modo est, sed creatus etiam aliquanto post Censor cum Q. Metello Macedonico, qui & ipse plebeius, quod nondum contigerat. Quos liberos habuerit obscurum est: certum tamen illius nepotes fuisse *Sextos* illos *Pompeios*, qui sub Augusto Consules memorantur, alter an. 719. alter 766. quo Augustus obiit: ille Ovidio, hic Valerio Maximo amicissimus. An eadem ex stirpe fuerit *Cneius* ille *Pompeius*, qui an. 722. Consulatum gessit, incertum est: nec enim ipsius cognomen, nec patris, nec avi prænomen apponitur.

POMPEII RVFI.

I. Q. *Pompeius Rufus* Syllæ in Consulatu an 665 Collega, II. una cū filio in dissensione civili periit; ipse Pompeii Strabonis fraude, Sulpicii vero Trib. plebis insidiis filius, qui iam ex *Cornelia* Syllę filia tres liberos genuerat, *Pompeiā* à C. Cæsare ob adulterii cū Clodio suspicionē repudiatā, III. & duos *Quintos*, quorū alter Prętor fuit Cicerone Consule; alter Trib. plebis eo anno, quo Clodius, cui favebat, à Milone cęsus est. *Quintus Rufus* habuit etiam ex *Aulo* fratre nepotem *Q. Pompeium Bithynicum* Ciceroni amicitia conjunctum, qui in Ægypto, dum classis Pompeii Magni diripitur, interfectus est.

POMPEII MAGNI.

I. Sex. *Pompeio* duo filii fuerunt II. *Sextus* & *Cneius*; ille juris civilis, Geometriæ & Stoicæ disciplinæ studio totus incubuit, II. hic à perversis oculis *Strabo* vulgo dictus, orto bello sociali primum legatus, deinde Consul an 664 pręcipuum contra Latinos victoriæ decus meruit; at paulo post de cœlo tactus periit. Vir suis quidem clarus victoriis, sed filii gloria longe clarior: pater enim fuit III. *Cn. Pompeij*, qui ob res præclare gestas à Sylla *Magnus* appellatus est Marium ille vicit, Carinatem & Carbonem in Italia, Hieram Numidarum Regem & Domitium in Africa, Ser-

torium & Perpernam in Hispania, Piratas Ciliciæ in mari Mediterraneo, in Asia minori Mithridatem, in Syria Antiochum Comagenum & Aristobulū. Vnde tres egit triumphos, unum ex Africa, alterū ex Hispania, etiam tum Eques, tertium ex Asia, jam Consularis; tres etiam gessit Consulatus an. 683. 698 & 701. primum & secundū cum M. Crasso divite, tertium solus; sed post tot trophæa vir Romanorum longe clarissimus, cum nec ipse parem, nec superiorem Cęsar ferre posset, orto bello civili ad Pharsalum victus, jussu Ptolomæi Regis, ad quem confugerat, interficitur. Ex quinque quas duxerat uxoribus *Antistia*, *Æmilia* privigna Syllæ, *Mutia*, *Iulia* Cæsaris, & *Cornelia* Scipionis filia, una *Mutia* liberos peperit, duos mares IV. *Cneium* & *Sextum*, fœminam *Pompeiam*, quæ primum *Fausto Sylla*, deinde *Q. Servilio Capioni* nupsit. IV. *Cneius* & *Sextus* ut virtute, ita rebus gestis patri longe impares, ad Mundam Hispanię oppidum à Cæsare victi sunt, & *Cneius* in fuga cæsus, *Sextus* vero fratri superstes occupata Sicilia Octavii Cęsaris duces navalibus prę liis sępe vicit, sed tandem desertus à suis à Titio in Asia necatus est, cum ex *Scribonia* V. *Pompeiam* M. Marcello desponsatam suscepisset.

Naturam *Pompeii Magni* Velleius l. 2. & Plutarchus expresserunt. *Sexti* vero *Pompeij* Velleius. De *Pompeio Magno* ita Velleius.

Fuit hic genitus matre Lucilia stirpis Senatoria, forma excellens, non ea, qua flos commendatur atatis; sed ex dignitate constanti, qua in illam conveniens amplitudinem, fortunam quoque ejus ad ultimum vita comitata est diem: innocentia eximius, sanctitate pracipuus, eloquentia medius, potentia, qua honoris causa ad eum deferretur, non ut ab eo occuparetur, cupidissimus; dux bello peritissimus; civis in toga, nisi ubi vereretur, ne quem haberet parem, modestissimus: amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, in reconcilianda gratia fidelissimus, in accipienda satisfactione facillimus: potentia sua, nunquam, aut raro ad impotentiam usus; pœne omnium vitiorum expers; nisi numeraretur inter maxima, in civitate libera dominaque gentium indignari, cum omnes cives haberet pares, quemquam aequalem dignitate conspicere. Nam neque Pompeius ut primum ad Rempublicum aggressus est; quemquam animo parem tulit: & in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat: neque eo viro quisquam, aut alia omnia minus, aut gloriam magis concupivit, in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus: ut qui eos libentissime iniret, finiret aquo animo; & quod cupisset arbitrio suo sumere, alieno deponeret.

Hæc Plutarchus initio *Pompeij*.

Pompeio, *cur diligeretur multa causa fuerunt, vita tēperantia, rei militaris scientia, facundia in dicendo, fides morum, comitas in conveniendo: qui nemine minus importune rogabat, vel hilarius largiebatur rogāti: ostendebat enim in dandis beneficiis serenitatem, & gravitatem in accipiendis: vultu initio praditus fuit non mediocriter gratioso; qui praveniebat ejus orationem: nam veneres ejus erant cum humanitate conjuncta, atque in vigore floreque juventutis senilis elucebat & regia majestas: Iam modice surrecta coma, oculorumque lenis modulatio reddebat faciei ejus usurpatam magis sermonibus, quā repræsentatam cum Alexandri Regis statuis similitudinem.*

De *Sex. Pompeio* ejus filio sic Velleius.

Hic adolescens erat studiis rudis, sermone barbarus, impetu strenuus, manu promptus, cogitatione celer, fide patri dissimillimus, libertorum suorum libertus, servorumque servus, speciosis invidens, ut pareret humilimis.

GENS PORCIA.

P*orcia* gentis princeps fuit I. *M. Porcius* cognomento *Priscus*. Tusculo, Latii oppidum erat, oriundus; qui, & à Sapientia *Cato*, & à Censura *Censorius* vulgo dictus est. Invitatus in Vrbem à Valerio Flacco, aliquanto post cum ipso, & Consulatum an. Vrbis 558. & Censuram gessit: Proconsul ex Hispania triumphum; lega-

tus victoriæ de Antiocho ad Thermopylas præcipium laudem retulit: Duas duxit uxores, *Liciniam* juvenis, jam senex *Saloniam*; ex quibus duos filios procreavit; alterum ex altera. Vtrique *M. Cato* proprium nomen fuit: sed natu maiori à matre *Licinia* II. *Liciniani*, minori à *Salonia* II. *Saloniani* cognomen adhæsit: ab his duæ *Catonum Licinianorum* & *Salonianorum* familiæ propagatæ sunt.

PORCII CATONES LICINIANI.

II. M. *Cato Licinianus*, qui Prætor designatus ante patrem decessit, & ex *Æmilia* L. Pauli, qui Persen vicit, filia; suscepit III. *Marcum* & *Caium Catones*; utrumque Consulem; illum an. 63.; hunc an. 639: sed utriusque Consulatus infelix; *Marcus* enim in Africa periit; *Caius* vero adversus Scordiscos cum male pugnasset Tarracinam in exilium pulsus est: *Marci* filius fuit IV. *M.* ille *Cato*; qui obiit in Gallia Prætorius.

PORCII CATONES SALONIANI.

II. M. *Catoni Saloniano*; qui Imperator mortuus est; duo filii nati sunt III. *Marcus* & *Lucius*; qui Consul an. 666; dum contra Italos ad lacum Fucinum pugnat, Marij Iunioris fraude, ut est conjectura, occubuit. III. *Marcus* Tribunitius cum Præturam peteret mortuus, ex *Livia* Livii Drusi Tribuni plebis filia *M. Catonem* & *Porciam* *L. Domitij* conjugem reliquit. IV. *M. Cato* fuit *Vticensis* ille eximium *Porciæ* gentis decus; vita morumque integritate clarissimus, qui post Præturam Pompeium contra Cæsarem secutus victis partibus, Vticæ sibi mortem conscivit: Ex *Marcia*, quam post Atiliam duxerat, duos liberos habuit V. *M. Catonem*; qui in acie Philippensi cecidit, & *Porciam*; quæ primum *Bibulo* nupsit, deinde *M. Bruto*.

Egregias *Catonis Vticensis* virtutes, & Sallustius in bello Iugurthino & Velleius li. 2. persecuti sunt: Sallustii testimonium in gente Iulia, cum de C. Cæsare egimus, supra retulimus. Hic Velleii verba appingere satis erit: ita ille.

M. Cato *genitus M. Catone principe illo familiæ Porciæ, homo virtuti simillimus; & per omnia ingenio diis, quam hominibus propior; qui nunquam recte fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat: cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet justitiam; omnibus vitiis humanis immunis, semper fortunam in sua potestate habuit.*

GENS QUINCTIA.

QVinctia gens Alba diruta à Tullo Rege inter Patricias cooptata; hic enim de Plebeia non agimus; quatuor potissimum familias complexa est *Capitolinos*, *Cincinnatos*, *Flamininos* & *Crispinos*: è quibus brevitatis causa rebus gestis clarissimos quosque tantum proferemus.

E *Capitolinis* duo maxime insignes; quorum alter *T. Barbatus Capitolinus* Sexies Consul anno 285. de Volscis, Antiatibus, & Æquis victor triumphavit; alter *Titus* & Consul an. 332. & aliquanto post Tribunus Militaris.

E *Cincinnatis* I. *Lucius* ad Consulatum ab aratro vocatus an. 28; duas dictaturas postea gessit; quarum in prima Minucium Consulem liberavit; & de Æquis sub jugum missis triumphavit, in altera vero Sp. Melium dixit à Servilio Ahala jure cæsum: è quatuor, quos susceperat, filiis II. *Lucius* ter Tribunus militaris fuit; semel magister equitum, II. *Titus* vero bis Consul contra Veios male pugnavit: illustrius III. *Titi* illius filii nomen duplici Tribunatu Militari, Dictatura, de Prænestinis & victoria & triumpho. Duos ille IV. *Titos* genuit quorum alter Consul an. 401.

Alter IV. *Titus Pennus Crispinus* Consul

an. 398. & de Gallis triumpho clarus *Crispinorum* familiæ princeps exstitit: illius abnepos VIII. *Titus Crispinus* M. Marcelli an. 545. in Consulatu collega insidiis Annibalis una cum Marcello deprehensus ex vulneribus paulo post obiit. IX. *Lucius* ex eo genitus de Lusitanis & Celtiberis triumpho Proprætor enituit. Duo præterea *Titi Crispini* Consulatum sub Augusto adepti sunt, alter an. 744 an. 759.

E *Flamininis* quatuor Consules fuisse perhibentur, quorum primi duo fratres *Titus* & *Lucius*, ambo quidem Consules; ille an. 555. hic 561. sed longe dispari gloria; *Lucius* enim ob libidinem à M. Catone Censore Senatu motus est: *Titus* vero ex quæstura, quod ipsi singulare fuit Consul Philippum Macedoniæ Regem semel atque iterum vicit; Nabin Tyrannum subegit; pacem & libertatem Græciæ reddidit; & per triduum de Philippo triumphavit: deinde Censura perfunctus ad Prusiam contra Annibalem missus est. Ex *Tito* filio Consules habuit; nepotem anno 603. & pronepotem an. 630.

GENS SEMPRONIA.

GEns *Sempronia* Patricia quidem primum fuit; sed deinde ad plebem transiit. *Atratini* enim Patricii fuisse dicuntur; *Tuditani* vero, *Blæsi*, *Sophi*, *Longi*, *Gracchi* Plebeii.

Ex *Atratinis* Tribuni militares bene multi, Consules quatuor memorantur *Aulus*; bis an. 256. & 262. illiusque filii vel nepotis *Lucius* & *Caius*, ille an. 319. hic 330. Floruit multo post *Caius Atratinus*; qui an. 719. Consul ponitur.

E *Blæsis* unus *Caius Blæsus* duplici Consulatu an 500. & 519. & triumpho de Pœnis clarus fuit.

E *Sophis* duo *Publij*, Pater & filius Consulatu, Triumpho & Censura illustres fuerunt; Primus Consul an. 449. de Æquis, alter an. 485. de Picentibus triumphavit.

E *Tuditanis* quatuor Consulatum assecuti sunt; *Marcus* anno 513. *Publius* 549. *Marcus* 568. *Caius* 624: eo major *Publij* & *Caij* gloria, quod ille contra Annibalem rem bene gesserit, & Censor fuerit, hic vero de Histris triumpharit.

E *Longis* duo *Tiberij* Scipionum in Consulatu collegæ fuerunt: alter an. 535. P. Scipionis, qui in Hispania periit; alter an. 559. Africani Majoris: ille una cum collega fusis ad Lilybæum hostibus Melitam eis eripuit; sed paulo post ad Trebiam ab Annibale victus est.

SEMPRONII GRACCHI.

SEmpronis omnibus rerum gestarum gloria *Gracchi* longe præstiterunt. Eorum princeps *Tiberius* Consul an. 515, filium habuit II. *Tiberium* bis Consulem; semel an. 538, iterum 540; qui contra Annibalem, dum rem feliciter gereret, fraude Lucani hospitis ab hostibus cæsus est: III. cujus filius *Tiberius* duos Consulatus an. 566. & 571. censuramque gessit, duos egit triumphos; primum de Celtiberis Prætor; alterum Consul de Sardis; vir tum victoriis, tum virtutibus ætatis suæ clarissimus. ex *Cornelia* Africani Majoris filia; duos mares *Tiberium* & *Caium* suscepit, totidemque fœminas: quorum altera *P. Scipioni Æmiliano* nupsit.

IV. *Tiberio* & *Caio Gracchis* par prope ingenium, par eloquentia, alia tamen alii: iidem honores delati; eadem utriusque consilia, idemque exitus fuit. Nam uterque quæstor Consulum; *Tiberius* Mancini in Hispania, *Caius* Aurelii Orestis in Sardinia; uterque Tribunus plebis leges Agrarias contra Senatus voluntatem promulgavit, quare uterque à Patribus, *Tiberius* à Scipione Nasica in Capitolio anno 620. *Caius* ab Opimio Consule in Aventino an. 632. oppressus est.

Horum fratrum naturam expresserunt, tum Velleius l. 2. tum Plutarchus: ita de *Tiberio* Velleius.

Vir alioqui vita innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus; tantis denique adornatus virtutibus, quan-

tas perfecta & natura & industria mortalis conditio recipit.

Hæc de *Caio.*

Qui Ti. Gracchum, idem Caium fratrem ejus occupavit furor, tam virtutibus ejus omnibus, quam huic errori similem; ingenio etiam eloquentiaque longe superiorem.

De utroque Plutarchus hæc habet.

Vultu & obtutu blandus erat, & compositus Tiberius; *acer* Caius, *& vehemens. Itaque in concionando ille modeste non se movebat loco; hic primus Romæ deambulavit inter dicendum, & togam ex humero divulsit ..... deinde oratio fulminans, & exaggerata affectibus; dulcior Tiberij, magisque commiserationem movens: dictione pura hac, atque exquisite elaborata, Caij artificiosa & splendida: pari modo in victu & mensa frugalis & simplex Tiberius; Caius, si cum aliis eum contendas, restrictus & continens; si cum fratre, grandis & exquisitus: mores respondebant orationi, superior lenis & placidus, iracundus alter & fervens .... audacia vero adversus hostes, justitia adversus populares; officiorum in muneribus sedulitas, & adversus voluptates continentia par in utroque.*

GENS SERVILIA.

SErviliorum alii Plebeii, alii Patricii; variis distincti cognominibus. *Priscus, Fidenas, Ahala, Structus, Geminus, Cæpio* & *Vacia.* E *Priscis* & *Fidenatibus* multi Consules numerantur, Tribuni militares multo plures: ex *Ahalis* duo tresve Consules; ex *Structis* unus & alter; de quibus, quod nascente Republica ab an. 250. ad 400. floruerunt; nihil dicemus; de aliis breviter.

SERVILII GEMINI, CÆPIONES ET VACIÆ.

PVblius *Geminus* bis Consul semel anno 501; iterum anno 505: pater fuit Cneii Gemini; qui Consul an. 536. Annibalem Fabianis artibus ad summam inopiam redegit; cujus, opinor, filii *Caius* & *Marcus*, ille Consul an. 550. hic non tam Consulatu quem anno 551. gessit, quam eximia animi corporisque fortitudine clarus extitit, singulari enim certamine vicies & tricies vicisse dicitur. Sunt tamen qui fratres illos Plebeios fuisse velint.

Geminis tamen præstitit *Cæpionum* familia I. *Cneio Cæpioni* an. 500. Consuli filius fuit, II. *Cneius* item Consul an. 550, ex quo genitus III. *Cneius* ille *Cæpio* Consulatu quidem an. 584. insignis; sed trium filiorum gloria illustrior qui omnes Consulatum adepti sunt, IV. *Q. Fabius Servilianus* in gentem Fabiam adoptatus an. 611. IV. *Cneius* 612. & IV. *Quintus* 613, qui ex Consulatu sortitus Hispaniam fœdus ab ipsius fratre *Q. Fabio Serviliano* cum Viriatho initum rescidit; illumque cum armis non posset, insidiis ac fraude per illius amicos sustulit: natus ex eo V. *Q. Cæpio*; qui post præturam & triumphi decus ex Hispania ulteriore & an. 647. Consulatum assecutus est: at paulo post, dum Proconsul Galliam regeret, ob aurum Tolosanum, ut tum creditum est, victus à Cimbris in carcere misere periit: *vir acer & fortis*, inquit Cicero, *cui fortuna belli crimini, invidia populi calamitati fuit.*

P. Servilius Vacia, *Caio* Prætorio natus Consulatum obtinuit an. 674. & expugnatis Isaurorum oppidis, ex Asia & triumphi honorem & *Isaurici* cognomen retulit. Ejus filius *P. Isauricus* bis Consul fuit, semel an. 705. cum C. Cæsare, cujus nomine Asiæ præfuit, iterum cum L. Antonio an. 711.

GENS SULPICIA.

SVlpicios omnes, alii Patricios fuisse voluint, alii nonnullos quidem Patricios, alios vero plebeios; quod verius putem: *Galbas* enim Patricios; *Rufos* vero plebeios ex antiquis denariis constat, Gens illa oriunda *Camerio* oppido, unde *Camerini* cognomen desumpsit, in multas familias divisa est; fuerunt enim *Camerini, Longi, Saverriones, Petici, Rufi, Galli, Paterculi, Galba*, &c.

E *Camerinis* multi quidem Consulatum adepti sunt; at cum ante annum urbis 450.

floruerint; de his nihil dicemus. E *Longis*, *Caius Longus* triplici Consulatu an. 416. 430. 439. Dictatura, de Samnitibus triumpho clarus fuit: E *Peticis*, *Caius Peticus* quinque Consulatibus an. 389. 392. Censura, victoria de Gallis. & de Hernicis triũpho: è *Saverrionibus* duo *Publij* Cõsulatu an. 449. & 474. è *Gallis Caius* summa eruditione, Consulatu an. 587. & de Liguribus triumpho: E *Paterculis Quintus* Consulatu an. 495. & triumpho de Pœnis illustris. E *Quirinis* duo, *Publij* Consulatu an. 717. & 741, quo anno, ut multis placet, Christus natus est. E *Rufis* duo maxime celebres fuerunt, *Publius* & *Servius*: ille ingenii & eloquentiæ laude, his juris civilis scientia floruit: ille in Tribunatu jussu Syllæ, cui bellum Mithridaticum ademerat, an. 665. necatus est; hic Consul an. 702. à Cæsare contra Pompeium in bello civili stetit. Cicero *Publium* in libris de Oratore loquentem inducit, & ad *Servium* multas scripsit epistolas.

SVLPICII GALBÆ.

I. P. *Sulpicius Galba Maximus*, etiam si nullo curuli honore perfunctus esset, Consulatum anno 542. assecutus est: & aliquanto post Dictaturam & alterum Consulatum anno 553: Ex II. *Servio filio* Prætorio nepotes habuit, III. *Caium* Prætorium & III. *Servium* patrem, IV. *Servij Galbæ* Oratoris; qui vocatus in judicium quod victus à Lusitanis eorum multa millia insigni perfidia trucidasset; populi animum precibus & lacrymis flexit, & Consulatus honorem haud multo post an. 609. adeptus est. Ex duobus filiis alter V. *Caius* primus è Sacerdotum collegio judicio publico damnatus est, alter IX. *Servius* anno 645. Consul genuit, VI. *Servium* C. Cæsaris in bello Gallico legatum; ex quo natus VII. *Servius* ille *Galba*, qui multiplicem scripsit historiam, cujus ex VIII. filio nepotes fuerunt, IX. *Caius* Consul an. 774. & IX. *Servius* duplici Consulatu an. 785. & 821. & imperatoria dignitate clarissimus.

Galbæ Imperatoris, tum virtutes, tum vitia retulit Tacitus l. 1. Hist. c. 12.

Vetus in familia nobilitas, magnæ opes, ipsi medium ingenium, magis extra vitia, quam cum virtutibus: famæ nec incuriosus, nec venditator; pecuniæ alienæ non appetens, suæ parcus, publicæ avarus: amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens: si mali forent, usque ad culpam ignarus: sed claritas natalium, & metus temporum obtinuit, ut quod segnitia erat, sapientia vocaretur: dum vigebat ætas militari laude apud Germanias floruit: Proconsul Africam moderate: jam senior citeriorem Hispaniam pari justitia continuit; major privato visus, cum privatus fuit; & omnium consensu capax imperij, nisi imperasset.

GENS TVLLIA CICERONVM.

I. M. *Tullio Ciceroni*, qui Arpini equestri loco natus erat, hic enim de *Tullia* gente, quæ patricia fuit, non agimus: *Maria Gratidia* tres liberos peperit; II. *Marcum* & *Lucium* Cicerones & *Tulliam* C. Aculeonis uxorem: I *Lucius* III. filium habuit sibi cognominem. II. *Marcus* duos III. *Marcum* & *Quintum*; quorum ille oratorum facile princeps ingenio, eruditione, eloquentia non Tulliæ modo gentis, sed totius Reipublicæ decus extitit: primus ex sua familia Curules honores, & Consulatum an. 690. adeptus est; in quo Catilinæ conjurationem oppressit: à Clodio aliquanto post pulsus in exilium Senatus decreto summo cum honore revocatus est. In dissensione civili Pompeii partes secutus; à C. Cæsare, & sibi, & aliis salutem impetravit. Denique jussu M. Antonii, in quem acriter fuerat Philippicis invectus, anno ætatis 63. occisus est: Ex *Terentia*, quam senex repudiavit. IV. *Marcum* suscepit, & *Tulliolam* quæ ter nupsit, primum *Pisoni Frugi*, deinde *Furio Crassipedi*, tum *Dolabellæ*. Repudiatam à Cicerone *Terentiam* Sallustius Historicus; & eo mortuo *Messala Corvinus* duxerunt. IV. *Marcus* filius patri longe absimilis, gulosus enim fuit & bibax, si Plinio credimus, in locum M. Antonii anno 723, quo ille ad Actium victus est, ab Augusto Consul suffectus; Asiam obtinuit. III. *Quintus* vero *Marci* oratoris frater, ex Prætura Asiæ Proconsulari imperio per triennium præfuit: tandem una

cum IV *Quinto* filio, quem ex *Pomponia* Pomponii Attici sorore genuerat, in triumvirali proscriptione periit.

De *Marco Cicerone* oratore hæc pauca Velleius.

M Cicero, *qui omnia incrementa sua sibi debuit, vir novitatis nobilissimæ, & ut vita clarus, ita ingenio maximus; qui effecit, ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur.*

GENS VALERIA.

V*Aleriorum* gens duplex fuit; Plebeia & Patricia: è Plebeia fuerunt *Publius* & *Marcus* Lævini; quorum ille contra Pyrrhum; hic contra Philippum Macedonem res magnas gessit: sed de illis non hic agimus. Gentis Patriciæ princeps fuit *Valesus Sabinus*, qui jam inde à Romuli temporibus divitiis & opibus pollens pacis Romanos inter & Sabinos ineundæ auctor fuit: cujus abnepos *M. Valerius Volesus*; tres habuit liberos *P. Valerium Poplicolam, M. Valerium Maximum* & *L. Valerium Potitum* à quibus totidem familiæ propagatæ sunt. *Valerij Maximi* ad annum Vrbis 500. *Potiti* ad Augusti Cæsaris imperium. *Poplicolæ* ad Arcadii & Honorii tempora maximis honoribus floruerunt.

VALERII POPLICOLÆ.

P. *Valerius Volusi* filius; & ob singularem quemdam in populum Romanum amorem, vulgo *Poplicola* dictus; quatuor gessit Consulatus an. 244. 245. 246. 249 duosque egit triumphos, alterum de Veientibus; de Sabinis alterum. Duo illi filii nati sunt *Publius* & *Marcus*: *Publius* duplici Consulatu anno 278. & 283; & de Veientibus, Sabinisque triumpho nobilis; qui contra Herdonium pugnans cecidit; nepotem habuit *Publium* semel sub Camillo Magistrum equitum, & quinquies Tribunum militarem; & pronepotes *Publium* Consulem an 401. & Dictatorem an. 409. & *Marcum* bis Consulem, semel an. 397. & iterum 400.

M. Valerio primi *Poplicolæ* filio duo nepotes fuerunt, *Publius* & *Marcus*; & abnepotes, ex Publio *Publius* Magister equitum, ex Marco *Marcus* ille *Valerius* qui cum Gallum singulari certamine vicisset adjuvante corvo *Corvini* cognomen invenit, Curules Magistratus 21, sex Consulatus an. 405 410. &c. Censuram, duasque dictaturas gessit, ter triumphavit de Antiatibus, Volscis, Sidicinis, Etruscis, &c. Ex qua Valeriorum familia *M. Valerius Corvus* traxerit originem apud eruditos non convenit: nonnulli *P. Valerij Poplicolæ* anno 401. Consulis filium faciunt: quod contra fastorum fidem est & historiæ: illi enim *Valerio Publius* prænomen fuit, *Corvini* vero, & patri & avo, *Marcus*. Zonaras eumque secutus Pighius à *M. Valerio Maximo* *Poplicolæ* fratre prognatum volunt, quod *Maximi* cognomen habuerit. Ipse *Corvinus* apud Livium à *P. Poplicola* qui Reges ejecit ortum se profitetur. Cui ego, quam aliis, assentiri malui. Quæ opinio si vera est, *Maximi* cognomen non avitum in eo fuit, sed virtute partum. Vt-ut est, nihil enim definire ausim; à *Corvino* propagati sunt *Valerij Messalæ*. Ejus enim filius *Marcus* Consul anno 464 pater fuit *Marci Maximi* Consulatu an. 490. Censura, de Pœnis triumpho clarissimi; cui, quod Messanam urbem Siciliæ cepisset, primum *Messanæ*, tum *Messalæ* cognomen inditum est. Ex ejus posteris *Marci* Consules multi, filius an. 527. nepos 565 pronepos 592, & Censor licet ipse prius fuisset à Censore notatus.

Ab hoc *Messala* per centum prope annos jacuit *Messalarum* domus, donec illius pronepos, *M. Messala Niger*, orator, prudens, acutus, multæque operæ Consulatum adeptus est an. 692; illiusque cognatus *M. Messala* an 700; de quo postea agemus. Ex *Marco* oratore natus est *Marcus* & ipse summus orator; qui eo nomine etiam tum juvenis à Cicerone laudatur. Victis Bruti partibus, à quibus steterat; Octavio Cæsari, à quo fuerat revocatus in urbem, contra Antonium adfuit; deinde Consulatum an. 724. de Salassis triumphum, & urbis præfecturam obtinuit. Ex duobus filiis *Lucius* in gentem Aureliam adoptatus, *L. Aurelius Cotta Messalinus* dictus est: alter *Marcus*

Consul

Consul anno 750. bello Pannonico victor ornamenta triumphalia retulit: Cujus filius & Nepos *Marci* Consulatum gesserunt, ille an. 772 hic 810. Neronis in tertio Consulatu collega.

Ex *Caio Messala* & Hortensii Oratoris sorore genitus est *M. Messala* Augur Consul an. 700; de quo paulo ante, cujus filius *M. Messala Barbatus* vir eruditissimus & Consul an. 741. genuit *M. Messalam Barbatum* qui ex *Lepida* suscepit *Messalinam*, Claudii Imperatoris uxorem.

VALERII MAXIMI.

M. *Valerius Maximus*, *Volusi* filius, & *Poplicolæ* frater, Auguratu, Consulatu an. 2, 8, dictatura, de Sabinis & Latinis triumpho nobilis; filium habuit *Marcum* Consulem anno 297. & pronepotem *Marcum* bis tribunum militarem; ex cujus filio natus est *Marcus* bis Legatus sub L. Papyrio dictatore, & Consul an. 441. & aliquanto post Censor.

VALERII POTITI ET FLACCI.

L. *Valerio Potito Volusi* filio & *Poplicolæ* fratri semel atque iterum Consuli an 268. & 283. filius fuit *Lucius* Consulatu an. 304. & triumpho de Æquis & Volscis clarus; qui duos filios habuit *Caium* & *Lucium* ambo Consules an. 343. & 361, ambo Tribunos militares, illum semel, hunc quinquies. *Lucio* natus est *Lucius* sexies Tribunus Militaris: *Caio* vero *Caius*; cujus filii *Caius* & *Lucius* Flacci dicti sunt. *Caius* quidem Consul an. 422. fuit. *Lucius* Magister equitum an. 432.

Lucius ex *Marco* filio nepotem habuit, *Lucium* Flaccum Consulem an. 492. pronepotem *Publium* Consulem an. 526, abnepotem *Lucium*, qui cum C. Milatone, quem in Vrbem evocarat, & Consulatum an. 558 & Censuram gessit; & aliquanto post princeps Senatus lectus est. Ex eo genitus *Lucius* Consul an. 60 . pater *Lucij* Consulis an. 622; qui duos filios suscepit *Caium* & *Lucium*: quorum ille semel an. 660. Consul fuit, hic bis an. 653. cum C. Mario & iterum an. 667 cum Cinna, Mario mortuo suffectus; Censor cum M. Antonio, & princeps Senatus: à Marianis in Asiam contra Mithridatem missus C. Fimbriæ legati scelere occisus est: sunt tamen qui velint *Caium* & *Lucium* cognatos, non fratres fuisse: *Lucij* filius fuit, *Lucius* ille Flaccus, qui bellum Cretense magna ex parte gessit; Pisonis & quæstor in Hispania, & Legatus in Macedonia; is ipse, quem Cicero defendit; duo illi filii nati sunt *Lucius* & *Caius*, quorum ille sub Caio Cæsare Prætor fuit, hic ine partibus Pompeii periit.

Operæ pretium facturum me putavi; si Romanorum familiis subjungerem selecta quadam ex primæ classis auctoribus testimonia; quibus expressa clarorum virorum natura est, & indoles: cum enim illorum, tum apud Valerium Maximum, tum apud alios historicos frequens occurrat mentio; qui eorum mores fuerint; quæ vitia, quæ virtutes, cognoscere studiosis, opinor, non erit injucundum. In tres quasi classes haud incommode tribui possunt; alii enim Romani, alii contra Romanos maxima bella gesserunt; alii, qui Græci, non item. Romani sunt, *P. Sulpicius Rufus*, *L. Sergius Catilina*, *C. Scribonius Curio*: *M. Vipsanius Agrippa*. *C. Cilnius Mæcenas*, & *L. Ælius Sejanus*. Romanorum hostes infensissimi, *Annibal*, *Iugurtha*, *Mithridates*: Græci, *Alcibiades*, *Epaminondas*, *Philippus Macedo*, *Alexander Magnus*. Quæ ab ipsis gesta sint pluribus persequi non est hujus loci. Cum tamen iisdem nominibus maxime apud Romanos plures usi sint, ne cui nominum similitudo errorem objiciat, pauca, quibus alius ab alio facilius dignosci possit, addere non pigebit. Primum de Romanis agemus; tum de iis, quibus adversus Romanos bellum fuit: denique de Græcis.

P. Sulpicius cum Syllæ, & exercitum, & belli contra Mithridatem gerendi potestatem ademisset: illius jussu paulo post cæsus est. Hujus eloquentiam Cicero describit in Bruto; mores Velleius lib. 2.

Cicero.

Fuit enim Sulpicius, vel maxime omnium, quos quidem ego audiverim, gran-

dis; &, *ut ita dicam*, *tragicus orator*; *vox*, *cum magna*, *tum suavis & splendida*: *gestus & motus corporis ita venustus*, *ut tamen ad forum non ad scenam institutus videretur*: *incitata & volubilis*, *nec ea redundans tamen*, *nec circumfluens oratio.*

Velleius.

P. Sulpicius *Tribunus plebis disertus*, *acer*, *opibus*, *gratia*, *amicitiis*, *vigore ingenij & animi celeberrimus* . . . . *quasi pigeret eum virtutum suarum*, *& ei bene consulta male cederent*, *subito pravus & praeceps.*

L. Catilina, qui ob conjurationem & à Cicerone Consule Vrbe pulsus est; & à Petreio C. Antonij legato oppressus: virtutes & vitia persecuti sunt; cum ipse Cicero in oratione pro M. Cælio; tum Sallustius initio belli Catilinarij.

Ciceronis verba sunt hæc.

Habuit enim ille permulta maximarum non expressa signa, *sed adumbrata virtutum*: *utebatur hominibus improbis multis*; *& quidem optimis se viris deditum simulabat*: *erant apud illum illecebræ libidinum multæ*: *erant etiam industriæ quidam stimuli ac laboris*: *flagrabant vitia libidinis apud illum*: *vigebant etiam studia rei militaris*: *neque ego unquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto*, *tam ex contrariis diversisque inter se pugnantibus naturæ studiis*, *cupiditatibusque conflatum*: *quis clarioribus viris quodam tempore jucundior*? *quis turpioribus conjunctior*? *quis civis meliorum partium aliquando*? *quis tetrior hostis huic civitati*? *quis in voluptatibus inquinatior*? *quis in laboribus patientior*? *quis in rapacitate avarior*? *quis in largitione effusior*? *illa vero in illo homine mirabilia fuerunt*, *comprehendere multos amicitia*; *tueri obsequio*, *cum omnibus communicare*, *quod habebat*: *servire temporibus suorum omnium*, *pecunia*, *gratia*, *labore*, *scelere etiam*, *si opus esset*, *& audacia*: *versare suam naturam*, *& regere ad tempus*; *atque huc & illuc torquere & flectere*: *cum tristibus severe*, *cum remissis jucunde*; *cum senibus graviter*, *cum juventute comiter*, *cum facinorosis audacter*, *cum libidinosis luxuriose vivere.*

Hæc Sallustius.

L. Catilina nobili genere natus fuit; *magna vi*, *& animi & corporis*, *sed ingenio malo*, *pravoque. Huic ab adolescentia bella intestina*, *cædes*, *rapinæ*, *discordia civilis grata fuere*; *ibique juventutem suam exercuit*: *corpus patiens inediæ*, *algoris*, *vigiliæ*, *supra quam cuique credibile est*; *animus audax*, *subdolus*, *varius*; *cujuslibet rei simulator*, *& dissimulator*; *alieni appetens*: *sui profusus*; *ardens in cupiditatibus*; *satis eloquentiæ*, *sapientiæ parum*; *vastus animus*, *immoderata*, *incredibilia*, *nimis alta semper cupiebat.*

C. Scribonius Curio patre Consulari & triumphali genitus; Tribunus plebis; una cum M. Antonio ad Cæsarem in Galliam fugit: & paulo post in Africa victus à Iuba, periit: extant nonnullæ, tum Ciceronis ad ipsum, tum ipsius ad Ciceronem Epistolæ l. 2. Famil. De ipso hæc pauca Velleius l. 2.

C. Curio *vir nobilis*, *eloquens*, *audax*; *suæ alienæque*, *& fortunæ*, *& pudicitiæ prodigus*: *homo ingeniosissime nequam*, *& facundus malo publico*; *cujus animo*, *voluptatibus*, *vel libidinibus*, *neque opes ullæ*, *neque cupiditates sufficere possent.*

M. Agrippa & C. Mæcenati, omnia prope æqualia fuerunt; genus, ætas, apud *Augustum Cæsarem* gratia; item gloria; alia tamen alii: ille enim belli, hic pacis artibus clarior: *Agrippa* victoriis ac trophæis, Mæcenas singulari in literatos amore posteritati commendatus: utriusque ingenium his verbis expressit Velleius l. 2.

M. Agrippa *virtutis nobilissimæ*, *labore*, *vigilia*, *periculo invictus*; *parendique*, *sed uni*, *scientissimus*; *aliis sane imperandi cupidus*; *& per omnia extra dilationem positus*, *consultisque facta conjungens.*

Tunc Vrbis custodiis præpositus C. Mæcenas; *equestri*, *sed splendido genere natus*; *vir*, *ubi res diligentiam exigeret*, *sane exsomnis*, *providens*, *atque agendi sciens*; *simul vero aliquid ex negotio remitti posset*: *otio ac mollitiis pane ultra feminam fluens*: *non minus* Agrippa *Cæsari charus*, *sed minus honoratus.*

L. Ælius Sejanus equestri genere ad summos honores à Tiberio provectus, post multa scelera, illius jussu ex illo fastigio dejicitur; & carnificis manu cum omni sua stirpe necatus est: de quo plane diversa tradunt Velleius & Tacitus; quod ille id temporis, quo Romæ *Sejanus* rerum potiebatur, hic vero aliquanto post ipsius mortem scripserit. Ita Velleius l. 2.

Tiberius Cæsar Sejanum Ælium *principe equestris ordinis patre natum . . . , laboris ac fidei capacissimum, sufficiente etiam vigore animi, compage corporis singularem principalium rerum adjutorem in omnia habuit; atque habet: virum severitatis latissimæ; hilaritatis priscæ; actu otiosis simillimum, nihil sibi vindicantem; eoque assequentem omnia; semper infra aliorum æstimationem se metientem; vultu vitaque tranquillum, animo exsomnem.*

Sic vero Tacitus Annal. l. 4. c. 1.

Corpus illi laborum tolerans, animus audax, sui obtegens; in alios criminator: juxta adulatio & superbia: palam compositus pudor, intus summa adipiscendi libido; ejusque causa modo largitio, & luxus; sæpius industria ac vigilantia; haud minus noxia quoties parando regno finguntur.

Annibalem, *Iugurtham*, & *Mithridatem*; appellasse satis erit: quis enim tam rudis, ut tantos duces non noverit? diversa illis fuere, genus, ætas, patria, sed æqualia prope, in Romanos odium, animi magnitudo, scientia militaris; & post ingentes victorias, tum belli, tum vitæ exitus: omnes enim victi; *Annibal* à Scipione, à Mario *Iugurtha*, à Pompeio *Mithridates*. *Iugurtha* Romæ captivus in carcere periit: alii mortem sibi consciverunt; *Annibal* veneno, ferro *Mithridates*: ille exul apud Prusiam; hic in Scythia profugus. Eorum virtutes referunt; *Annibalis* Livius, Decade 3. l. 1. *Iugurthæ* Sallustius in bello Iugurthino, *Mithridatis* Velleius l. 2.

Annibal: ex Livio.

Missus in Hispaniam primo statim adventu omnem exercitum in se convertit. Amilcarem viventem redditum sibi veteres milites credere; eumdem vigorem in vultu; vimque in oculis: habitum oris, lineamentaque intueri; deinde brevi effecit, ut patris in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset: nunquam ingenium idem ad res diversissimas parendum & imperandum, habilius fuit; itaque haud facile discerneres; utrum imperatori, an exercitui charior esset: neque Asdrubal alium quemquam præficere malle, ubi quid fortiter & strenue agendum esset; neque milites alio duce plus confidere, aut audere: Plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilij inter ipsa pericula erat: nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat: caloris ac frigoris patientia par: cibi, potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus: vigiliarum somnique, nec die, nec nocte discriminata tempora: id quod gerendis rebus superesset, quieti datum: ea neque molli strato accersita: multi sæpe militari sagulo opertum humi jacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt. Vestitus nihil inter æquales excellens, arma atque equi conspiciebantur; equitum peditumque idem longe primus erat; princeps prælium inibat, ultimus conserto prælio excedebat. Has tantas viri virtutes, ingentia vitia æquabant, inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus deûm metus, nullum jusjurandum, nulla religio.

Iugurtha tum juvenis ex Sallustio.

Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie; sed multo maxime in genio validus: non se luxu, neque inertiæ corrumpendum dedit; sed uti mos gentis illius est, equitare, jaculari, cursu cum æqualibus certare, & cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus esse; ad hoc pleraque tempora in venando agere; leonem atque alias feras primus, aut in primis ferire: plurimum facere; & minimum de se loqui.

De *Mithridate* breviter Velleius.

Mithridates Ponticus Rex, vir neque silendus neque dicendus sine cura; bello acerrimus, virtute eximius; aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Annibal.

Clarum olim apud Græcos *Alcibiadis* & *Epaminondæ* nomen fuit. Ille Atheniensis; hic Thebanus, uterque rebus gestis inclytus: uterque patriæ & decus & columen: alter tamen altero felicior, *Alcibiades* enim pulsus Athenis à Persis telis confossus est: *Epaminondas* vero post Leuctricam victoriam, Mantineæ iterum victor occubuit: & una cum ipso omnis Thebanorum virtus. Quænam fuerit utriusque indoles ex Cornelio Nepote accipe.

Alcibiades.

In hoc natura quid efficere possit videtur experta: constat enim inter omnes nihil illo fuisse excellentius; vel in vitiis, vel in virtutibus. Nam in amplissima civitate summo genere natus, omnium ætatis suæ multo formosissimus, ad omnes res aptus, consiliique plenus. Namque imperator fuit summus mari & terra: disertus, ut in primis

dicendo valeret. Et tanta erat commendatio oris atque orationis; ut nemo ei dicendo posset resistere. Idem, cum tempus posceret, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus, non minus in vita, quam victu: affabilis, blandus, temporibus callidissime inserviens. Idem, simul ac se remiserat, nec causa suberat, quare animi laborem praeferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur in uno homine tantam inesse dissimilitudinem, tamque diversam naturam.

Epaminondas.

Erat modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo: adeo veritatis diligens; ut, ne joco quidem mentiretur. Idem continens, clemens, patiensque admirandum in modum: non solum populi; sed etiam amicorum ferens injurias: imprimisque commissa celans: quod interdum non minus prodest; quam diserte dicere.

Supersunt *Philippus* Macedo & *Alexander Magnus*; quorum ille amplificato Macedonum regno; hic everso Persarum imperio clarissimus; Iustinus enumerat virtutes & vitia utriusque; Quintus Curtius *Alexandri*: primum Iustini verba appingemus; deinde Quinti Curti.

Hæc habet Iustinus l. 9. c. 8.

Fuit Rex Philippus, *armorum quam conviviorum apparatibus studiosior: cui maximae opes erant instrumenta bellorum. Divitiarum, quaestu quam custodia solertior: itaque inter quotidianas rapinas semper inops erat: Misericordia in eo & perfidia pari jure dilecta: nulla apud eum turpis ratio vincendi: blandus pariter & insidiosus alloquio: qui plura promitteret quam praestaret: in seria & jocos artifex. Amicitias utilitate non fide colebat: gratiam fingere in odio, instruere inter concordantes odia, apud utrumque gratiam quaerere solennis illi consuetudo: Inter haec eloquentia & insignis oratio acuminis & solertiae plena; ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventionum deesset ornatus. Huic, Alexander filius successit & virtute & vitiis patre major. Itaque vincendi ratio utrique diversa; hic aperte; ille artibus bella tractabat: deceptis ille gaudere hostibus; hic palam fusis: prudentior ille consilio; hic animo magnificentior: iram pariter dissimulare, plerumque etiam vincere; hic ubi exarsisset, nec dilatio ultionis, nec modus erat: vini uterque avidus, sed ebrietatis diversa vitia; patri mos erat etiam de convivio in hostem procurrere, manum conserere, periculis se temere offerre: Alexander non in hostem, sed in suos saeviebat: quamobrem* Philippum *saepe vulneratum praelia remisere: hic amicorum interfector convivio frequenter excessit: Regnare ille cum amicis nolebat, hic in amicos regna exercebat: Amari pater malle; hic metui. Literarum cultus utrique similis: Solertiae pater majoris; hic fidei; verbis atque oratione Philippus; hic rebus moderatior. Parcendi victis filio animus & promptior & honestior: frugalitati pater; luxuriae filius magis deditus erat: quibus artibus orbis imperii fundamenta pater jecit: operis totius gloriam filius consummavit.*

Hæc Quintus Curtius l. 10.

Iuste aestimantibus Regem, liquet bona naturae ejus fuisse; vitia, vel fortunae, vel aetatis. Vis incredibilis animi, laboris patientia propemodum nimia; fortitudo non inter Reges modo excellens; sed inter illos quoque, quorum haec sola virtus fuit: liberalitas saepe majora tribuentis, quam à diis petuntur: clementia in devictos: tot regna aut reddita quibus ea dempserat bello, aut dono data; mortis, cujus metus caeteros exanimat, perpetua contemptio: gloriae laudisque ut justo major cupido, ita ut juveni & in tantis admittenda rebus: jam pietas erga parentes: quorum Olympiada *immortalitati consecrare decreverat. Philippum ultus erat. Iam in omnes fere amicos benignitas; erga milites benevolentia; consilium par magnitudini animi; & quantam vix poterat aetas ejus capere solertia: modus immodicarum cupiditatum. Veneris intra naturale desiderium usus; nec ulla, nisi ex permisso voluptas: ingentes profecto dotes erant. Vitia fortunae diis aequare se, & caelestes honores accersere; & talia suadentibus oraculis credere; & dedignantibus venerari ipsum vehementius, quam par esset irasci: in externum habitum mutare corporis cultum, imitari devictarum gentium mores: quas ante victoriam spreverat: nam iracundiam & cupidinem vini, sicuti juventa irritaverat; ita senectus mitigare potuisset.*

DE POPULI ROMANI DIVISIONIBUS.

VARIAS variis temporibus institutas populi Romani divisiones ab auctoribus memoriæ proditum est: de quinque, quæ ad id, quo de agimus, maxime pertinent, nunc dicemus: de aliis alias. Prima fuit in Tribus; altera in Curias; tertia in Classes; quarta in Centurias; quinta in Senatores, Equites & Plebem: quæ licet temporum ordine tertia, ultimum tamen in locum à nobis de industria rejecta est. De singulis quærendum breviter; à quo, quando, qua ratione facta sit, quidque fuerit in his deinceps immutatum.

DE TRIBVBVS ET CVRIIS.

I. UBi *Romulus* ab exigua convenarum manu Rex salutatus Imperii assumpsit insignia, populum omnem in tres Tribus; Tribus singulas in Curias decem, Curiasque in decem Decurias tribuit: singulis singulos præfecit duces; Tribubus Tribunos, Curiis Curiones, Decuriones Decuriis. II. Quæ fuerint Tribuum nomina, inter omnes convenit; quæ Curiarum, non item: prima enim Tribus *Ramnensium*, à Romulo; altera *Tatiensium*, à Tatio Sabinorum Rege; tertia *Lucerum*, à *Lucumone* Etrusco, vel à *Lucerio* Adreate, vel (quod verius putem) à *Luco* Asyli nuncupata est. De Curiarum nominibus, cum & pleraque perierint; & alia ab aliis prodantur, affirmare nihil ausim, nisi quod ea nomina vel ab uxoribus Sabinis, ut auctor est Livius; vel à locis in quibus habitabant, ut volunt Plutarchus & Dio; vel, ut placet Varroni & Dionysio, ab iis, qui ipsis præerant ducibus petita sint. III. In prima Tribu pastores Albani fuerunt, qui una cum Romulo urbem condiderant; in secunda Sabini; in tertia Etrusci, Ardeates, Latini & perfugæ omnes, qui ad asylum confugerant.

IV. Crescente civium multitudine, crevit etiam tribuum numerus: Tarquinius Priscus tres addidisse fertur, quas ex veterum nominibus *Secundos Ramnenses*, *Tatienses* & *Luceres* appellari voluit: Servius vero Tullius, ut urbem, agrumque Romanum in partes novemdecim, ita populum omnem in totidem tribus descripsit; quatuor *Vrbanas*, quæ urbem; *Rusticas* quindecim, quæ agros incolerent: hæc enim verior est sententia, si Sigonio credimus, quamvis aliter olim Catoni & Dionysio visum est. Tribubus singulis, vel à locis, vel à collibus, quos incolebant, nomen inditum. *Rustica* tamen aliquanto post nobilium sibi familiarum nomina sibi adsciverunt. Aliæ deinceps tribus à Censoribus additæ, earumque numerus crevit ad 35. quæ ad extrema usque Reipublicæ tempora mansisse perhibentur. V. Tribubus *Vrbanis* iidem semper termini fuerunt, qui urbi; *Rusticis* vero non iidem qui agris: nascente enim & florente Republica earum tribuum longe dispar fuit seu fortuna, seu gloria. *Vrbana* quidem initio primas tulerunt, iisque maximus habitus honos; at ubi *Q. Fabius* forensem turbam, qua *Ap. Claudius* forum campumque corruperat, in quatuor tribus *Vrbanas* an. urbis 449. conjecit: tum tribubus *Vrbanis* adscribi, probro; inter *Rusticas* censeri laudi datum est: nec enim deinceps tribus aut urbis aut agri, sed civitatis partes habitæ sunt.

VI. Vt Tribuum, ita Curiarum, sicut

diximus, auctor *Romulus* extitit: urbe enim in triginta partes divisa, singula singulis Curiis attribuit. Curiam inter & Tribum cum multa fuerunt discrimina, tum hæc tria maxime: unum, quod Tribuum sæpe creverit numerus; Curiarum non item: alterum, quod tribus tum ad urbem, tum ad agros; Curiæ vero ad urbem tantùm pertinerent. Tertium denique, quod Tribus communia sacra haberent, Curiæ vero sibi propria, quibus aliæ ab aliis discernerentur. Vnde lege cautum fuit, ut qui in Curia describi vellet, is & maneret in urbe, & sacra illius Curiæ suis relictis susciperet.

DE CLASSIBVS ET CENTVRIIS.

I. VT belli pacisque munia non viritim, sicut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent jussit *Servius Tullius* anno urbis 186. dum censum instituit, & populum omnem in sex Classes, Classesque singulas in multas Centurias distribuit. Qui centum millium æris, aut majorem censum haberent, in prima Classe descripti sunt; qui septuaginta millium, in secunda; qui quinquaginta millium, in tertia; qui quinque & viginti millium, in quarta; qui undecim millium, in quinta; hoc minorem censum sextæ Classis esse voluit: hic quidem Classium numerus fuit, at Centuriarum multo major & longe dispar ratio.

II. In singulis quidem classibus multæ Centuriæ constitutæ fuerunt, sed pro numero civium, vel plures, vel pauciores: in prima 80. Centuriæ, in secunda 20. totidem tum in tertia, tum in quarta; in quinta vero 30. Sexta vero, quæ tenuiorum fuit, habuit reliquam multitudinem. Deinde quatuor Centuriæ additæ, tum opificum, tum tibicinum, quæ inermes castra sequerentur: arma enim omnibus imperata, alia tamen aliis. In Classibus singulis Centuriarum pars una seniorum fuit, altera juvenum, ut illi ad urbis custodiam præsto essent, hi vero foris bella gererent. III. Ita pedestri exercitu ornato octodecim Centurias Equitum legit ex primoribus civitatis: denique singulis honos additus; jus enim suffragii in comitiis *Centuriatis* datus omnibus, non promiscue tamen, ut antea, sed ut vis omnis penes principes civitatis esset: Equites primum vocati, tum primæ Classis Centuriæ; deinde si dissentirent, secunda Classis; aliæ vel raro, vel nunquam: nemo enim nescit in comitiis omnibus, sive *Tributis*, sive *Curiatis*, sive *Centuriatis*, eam legem fuisse, ut quod plures, sive Tribus, sive Curiæ, sive Centuriæ jussissent, id ratum haberetur.

DE SENATORIBUS, EQUITIBUS, ET PLEBE.

POstquam *Romulus* populum duas in partes distribuit, unam divitum, qui Patricii; alteram tenuiorum, qui Plebeii dicerentur; è Patriciis centum senes, ex nobilibus familiis trecentos juvenes selegit, ut illis ad Reipublicæ administrationem, his vero ad corporis custodiam uteretur. Senes & *Patres* & *Senatores*, seu ob ætatem, seu ob auctoritatem; juvenes vero *Celeres*, vel à celeritate, vel ab eorum duce, cui *Celer* nomen erat, appellari voluit. Hæc prima fuit, tum Senatorum, tum Equitum, tum Plebis origo; cum vero fuerit alia aliis temporibus eorum Ordinum ratio, de his quærendum breviter, quis eorum numerus, quæ dignitas, quæ munia.

SENATORES.

I. DVcenti Senatores à *Romulo* lecti perhibentur, centum anno urbis 2. totidem anno 5. inito cum Sabinis fœdere. Centum etiam aliquanto post anno 138. à *Tarquinio Prisco* additi: qui trecentorum Senatorum numerus ad Syllæ usque Dictatoris tempora permansit: multi quidem exactis Regibus à *L. Bruto*, in Senatum allecti; at ii non auxerunt numerum, sed cædibus à Tarquinio superbo imminutum suppleverunt. Lex vero *C. Gracchi*, qua trecentos Equites in Senatum adscribi jusserat; paulo post Philippo Consule referente, cum à Senatoribus, tum à populo etiam antiquata fuit. At *Sylla* Dictator, & ipsius & Marii crudelitate exhaustum hunc Ordinem trecentis Equitum principibus anno 672. explevit: auctus deinde ad nongentos anno 708. numerus à *C. Cæsare* Dictatore; paulo post ad mille à *Triumviris* anno 71. donec ab *Augusto*, ubi ille rerum potitus est, ad pristinum & modum & splendorem anno 724. revocatus est. II. Senatores legere primo Regum fuit, post Consulum, tum Censorum. In iis vero legendis habita ratio est census, ætatis, Magistratus, generis, ordinis. Census fuit sestertium 800. millia florente Republica; ætas 22. annorum; Magistratus, saltem Quæstura; genus Patricium ad annum 303. quo penes Decemviros summa rerum erat: deinde etiam Plebeium, Ordo Equester; è plebe enim perraro legebantur. III. E Senatoribus qui *Patricij*, sive *majorum*, sive *minorum gentium* fuerint, quique Patres Conscripti, supra diximus in Familiis Romanorum; qui vero *Pedarij* dicti sint, triplex est sententia; una Festi, altera C. Bassi apud Gellium, tertia Varronis apud eundem. *Pedarius* Senator is est, inquit Festus, qui transeundo ad eum, cujus sententiam probet, quid sentiat, indicet: vel, si C. Basso credimus, is, qui cum Magistratum Curulem nullum gesserit, in Curiam pedes eat: vel is, ut placet Varroni, qui necdum à Censoribus in Senatum adscriptus, jus tamen habeat sententiæ, sententiam tamen non rogatus, in eas, quas principes dixerint, discesserit. IV. Qui peracto censu à Censore primo loco appellabatur, is *Princeps Senatus* fuit, qui ut plurimum & Consularis & Censorius erat; & hunc honorem, quoad viveret, apud alios etiam Censores retinuit. V. Penes Senatum adeo totius Reipublicæ summa innixa est, ut ne Reges quidem, Consules aut Dictatores inconsulto Senatu quippiam molirentur.

EQVITES.

EQuester Ordo cum opibus, tum honore à Senatu proximus fuit: ad quem nihil pertinuerunt Equites ii, qui aut equis stipendia meruerunt, aut à Romulo lecti *Celeres* vulgo dicebantur; sed ii tantum, quibus à Censoribus & equus publicus, & annulus aureus datus esset: iis census equestris esse debuit, qui sestertium quadringentorum millium erat. Insigne fuit tum annulus aureus, quo à plebe, tum angustus clavus, quo à Senatoribus discernerentur. Vnum hic addere libet, Senatorum filios, qui nondum in Senatum lecti essent, fuisse inter Equites cooptatos.

PLEBS.

TErtius Ordo popularis fuit, in quo omnes ii, qui neque Senatores essent, neque Equites, sive Patricii stemmatis; sive plebeii; multo enim latius patuit

Patriciorum numerus, quam Senatorum. Vnde Patricii, si censum Senatorium haberent, Senatores erant; si Equestrem tantum, Equites; si neutrum, Plebeii. Singulis vero Ordinibus, si quis quid gravius deliquisset, aut consumpsisset patrimonium, statutum fuit pœnæ genus; Senatori, Senatu dimoveri; Equiti, tum equo publico, tum annulo aureo privari; homini vero plebeio, ærarium fieri.

DE MAGISTRATIBUS ROMANORUM.

NEC iidem semper, nec eodem numero apud Romanos Magistratus fuerunt; sed alii alio tempore, & pro numero tum civium, tum Provinciarum, vel pauciores, vel plures: cum enim res angusta domi, erant præter Reges, aut Consules admodum pauci: cum civibus, agris, Provinciis aucta, domi, foris, militiæ plurimi, quorum alii statis & locis & temporibus ex more legebantur; alii præter morem & ordinem, prout tempus, resque poscebat. Non omnes hic explicamus dignitates, sed præcipuas tantum, *Consulatum*, *Præturam*, *Censuram*, *Ædilitatem*, *Tribunatum*, *Quæsturam*, *Proconsulatum* & *Dictaturam*; de quibus si quis plura avet scire, præter veteres legat Sigonium, Grucchium, Pighium & Rosinum: nam Pomponius Lætus & Fenestella, sive potius Dominicus Floccus ea brevius quam par esset perstrinxerunt.

CONSVL.

I. Exactis Regibus anno urbis 244. Magistratus, auctore *Iunio Bruto*, creari placuit, qui & bini essent, & annui, ut & alter alterum, & imperii brevitas utrumque in officio retineret. Hi, quod civibus præessent, primum *Prætores*; deinde à judicando, *Iudices*; denique à consulendo, *Consules* dicti sunt. II. Quibus omnia fere Regum tum jura, tum insignia concessa; prætexta, sella curulis eburnea, fasces securibus armati, initio 24. paulo post consilio Poplicolæ 12. qui non erant penes utrumque Consulem, sed alternis mensibus penes alterum: nam primo mense præferri solebant Consuli, aut qui natu major, ex lege Valeria, aut cui plures essent liberi, ex Iulia. III. Consulum hæc munia fuere: sacra facere, jus secundum leges dicere, habere comitia, Senatum cogere, rogare sententias, Senatusconsulta & Plebiscita exequi, habere delectus, populi jussu bella gerere, administrare Provincias, socios tueri; & quod ipsis singulare fuit, suo tum nomine, tum Magistratu annorum signare numerum: hoc uno inferiores Regibus, quod in caput civis Romani injussu populi animadvertere vetitum, & cuivis liceret ab eis ad populum provocare. IV. Legibus cautum erat, ne quis Consul crearetur, nisi & præsens esset, & 43. annos natus, & Patricii generis: sed earum legum aliæ alia de causa interdum neglectæ fuerunt, aliæ infirmatæ: nam ante ætatem legitimam Consulatus honos & virtutis ergo *M. Valerio Corvino*, duobus *Africanis majori* & *minori*; huic etiam absenti, *Pompeioque Magno* delatus est; & per vim, tum à *C. Mario juniore*, tum ab *Octavio Cæsare* usurpatus. Per annos quidem 142. nullus nisi Patricius Consul fuisse perhibetur; sed tandem populi querelis à Patribus datum est anno urbis 387. ut Consulum alter, & aliquanto

quanto post; ut uterque etiam è plebe legeretur, quod deinceps factitatum. V. Ab anno urbis 244. quo ejecti Tarquinii ad annum 302. summa rerum penes Consules fuit; deinde per triennium plus minus penes Decemviros legum ferenda rũ; post iterum penes Consules ad annum 316. tum enim pro populi libidine modo Consules, modo Tribuni militares creati sunt ad annum 387. deinde summa potestas, si *L. Sullæ* tum brevem, tum injustam dominationem demas, per annos prope quadringentos in Consulibus fuit ad annum 706. cum *C. Cæsar*, paulo post *Triumviri*, denique *Imperatores* rerum potiti sunt. VI. Sub his tamen ex more creati Consules, sed quorum nec eadem quæ prius auctoritas, nec idem numerus: potestas enim vel parva, vel nulla: numerus pro arbitrio Principis, modo minor, modo major: nec enim bini erant, ut antea, nec annui, sed sæpe trimestres; interdum menstrui, nonnunquam diurni: & sub Commodo Consules 25. uno anno fuisse à Lampridio memoriæ proditum est. VII. Vnde hæc dignitas sensim vilescere cœpit, donec anno Christi 541. Vrbis vero 1291. quo *Basilius junior* sine Collega Consul ponitur; sub Iustiniano Consulum nomina in fastis notari desita sunt, licet nonnulli etiam postea Consules memorentur Hujus rei invidia penes *Iustinianum* Imperatorem fuit, & legum conditorem *Tribonianum*, quorum ille præpostera gloriæ cupidine Imperatorum & annis & nomine tempora signari jussit: hic vero, ut tum fama fuit, honorem illum, quem, quod paganus esset, assequi non poterat, aliis invidisse perhibetur.

CENSOR.

I. Censu, uti diximus, anno urbis 186. instituto, Regum fuit, tum Consulum, illum quinto quoque anno peragere. Cum tamen aliquanto post ob varia, quæ alia ex aliis oriebantur bella, id præstare Consulibus non liceret, anno 310. duo Censores creati sunt; quæ dignitas à parvis profecta initiis, tantum cepit incrementum, ut morum, disciplinæque Romanæ regimen, Senatus Equitumque centuriæ, decoris dedecorisque discrimen in ipsius ditione essent. II. Primis quidem temporibus mos fuit, ut Censor legeretur nemo, nisi qui & gesto Consulatu & Patricio stemmate clarus esset; postea tamen & nonnulli Censuram ante Consulatum adepti sunt, & populus pervicit anno 401. ut semper Censorum alter è plebe; anno vero 622. ut uterque interdum crearetur. Mortuo è Censoribus altero, alterum suffici religio fuit; sed alterum abdicare se, ut duo de integro legerentur institutum est: & uni hanc dignitatem bis deferri post *Marcum Censorinum*, nefas. III. Quinquennalis primum Censura fuit; paulo post *Æmilij Mamercini* Dicta oris lege an. 319. annua & semestris facta, à *C Cæsare* anno 707. sublata, vetusque tum census agendi, tum lustri condendi ratio ab *Augusto* anno 731. revocata; terque ipse, sive Censor, sive Magister morum censum egisse, bisque lustrum condidisse fertur. IV. Censorum fuit civium omnium sobolem, familiam, facultates describere, urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tueri, populum in tribus partiri, in omnium mores inquirere; legere tum Senatus, tum Equestris Ordinis principem, cives improbos notare ignominia: si quis enim quid in se gravioris criminis admisisset, pro delicti vel levitate vel gravitate varium fuit pœnæ genus; si Senator quid deliquisset, Senatu moveri; si Eques, Equestri Ordine: interdum etiam tribu, nonnunqam ærarium fieri, & in cęritum tabulas referri.

PRÆTOR.

I. VAriis districti bellis ab urbe sæpius cum abessent Consules, nec esset qui in civitate jus redderet, Prætor unus anno Vrbis 387. creatus est; ob peregrinorum multitudinem anno Vrbis 510. alter additus: ille, quod civibus jus diceret, *Vrbanus* vulgo dictus est; hic, quod peregrinis, *Peregrinus*. Eadem fere utrique quæ Consulibus insignia: sella curulis, trabea, prætexta, duo lictores, tribunal; præterea hasta & gladius. II. *Vrbani* longe major in urbe & dignitas fuit & auctoritas: illius enim erat viduas, pupillosque defendere, ludos solemnes & sacra quædam facere, Senatum absentibus Consulibus cogere, rogare sententias, comitia habere, interdum etiam ducere exercitum. *Peregrini* vero fuit de peregrinorum causis cognoscere, modo exercitui, modo classi præesse; & ad hunc honorem primum Patriciis tantum, deinde Plebeiis etiam anno 417. aditus patuit. III. Quamdiu iisdem, quibus Italiæ finibus clausum est Romanorum Imperium, tamdiu hic mansit Prætorum numerus: at ubi victi Carthaginienses Romanis cesserunt, & in bello Punico primo Siciliam & & Sardiniam; & in secundo vero utramque Hispaniam, citeriorem & ulteriorem: tum quatuor adjuncti Prætores, duo anno 526. qui Siciliam & Sardiniam; anno vero 556. totidem, qui Hispanias regerent. IV. Mutatis haud multo post civium moribus, hæc mutata ratio est: deleta enim Carthagine, deleta Numantia, Philippo, Antiocho, Perseo devictis, simul cum opibus libido, luxus, ambitio, avaritia crevere: unde admissa tum in urbe, tum in Provinciis multa & à privatis & à Magistratibus scelera; homicidia, veneficia, rapinæ, &c. quare quæstiones publicæ, quæ prius vel Consulibus, vel lectis Senatoribus extra ordinem, prout res poscebat, committi solebant, perpetuæ factæ sunt, de *repetundis*, de *ambitu*, de *majestate*, de *peculatu*, *parricidio*, *incestu*, &c. eæque anno 609. demandatæ Prætoribus: ita ut penes illos omnia essent judicia; penes *Vrbanum* & *Peregrinum* privata, penes alios publica. Quo munere ut fungerentur, lege sancitum est, ut Prætores omnes annuum Magistratum in urbe transigerent, tum inter se Provincias sortirentur, quas cum imperio vel Proconsulari vel Proprætorio administrarent. V. In Provinciis ad Prætores pertinuit, jus secundum leges dicere, tutari socios, perduelles reprimere, ducere exercitum, bellum, si opus foret, gerere, exigere vectigalia; castra, vias & opera publica munire. VI. A *L. Sylla Dictatore* anno Vrbis 673. duo adjecti Prætores, quorum alter de *sicariis*, alter de *falso* cognosceret. Totidem à *C. Cæsare* anno 707. additi, qui quod frumento præessent, *Cereales* vulgo nuncupati; tum anno 708. quatuor, denique anno 709. duo. Cæso tamen paulo post Cæsare, Prætores tantum octo, uti prius, creati, donec Augustus sub finem bellorum civilium anno 725. quatuor, & aliquanto post Claudius duo adjecit; ita ut singulis annis deinceps Prætores 14. legerentur.

ÆDILIS.

I. ÆDiles Romæ sex omnino fuisse perhibentur, duo *Plebis*, *Curules* duo, totidem *Cereales*: alia aliis origo, dignitas, munera. *Ædiles Plebis* à populo ubi è monte sacro in urbem rediit, eodem an. quo Tribuni plebis 260. consensu Patrum instituti sunt; *Curules* vero anno 387. creati à Patribus, quod *Ædiles Plebis* ludos, quos Senatus voverat, acturos se negarent. *Cereales* à C. Cæsare anno 709. II. *Ædiles Plebis* Plebeii semper generis fuere; *Cereales* Patricii, *Curules* utriusque. *Curules* cæteris dignitate præstabant; ipsis enim præmia ob laborem da-

ta, antiquior in Senatu sententiæ dicendæ locus, toga prætexta, sella curulis, jus imaginum, quæ aliis negata. III. *Ædilium plebis* officia fuerunt Tribunis inservire, matronas insimulare probri, fœneratores coërcere, inhibere popinas; ut aquæductus, cloacæ, ædificia, sive privata, sive publica, munda essent & integra, curare; providere ne annonæ penuria urbs laboraret, Senatusconsulta & Plebiscita custodire. *Curuliũ* vero fuit ludos sacros & solemnes instituere; templa, basilicas, theatra, porticus, stadia, fora, curias, mœnia & reficere & exornare. Ad *Cereales* pertinuit frumento publico præesse, præterea nihil.

TRIBVNVS PLEBIS.

I. Tribunis *Plebis* creandis causam dedit secessio Plebis à Patribus anno post Vrbem conditam 259. Plebs enim nexu gravata & delusa sæpius in montem, qui inde sacer dictus est, trans Anienem discessit. Missus ad eam placandam *Menenius Agrippa* vir populo ac Patribus juxta charus: cujus oratione delinita plebs in urbem rediit, ea tamen lege, ut Plebeios haberet Magistratus; qui ideo *Tribuni* dicti sunt, quod è Tribunis militum lecti essent, teste Varrone; vel quod populus tres in partes tum divisus esset, ut auctor est Pomponius; vel potius à tribuum suffragio, ut volunt alii. II. Duos ergo Tribunos anno Vrbis 260. plebs habere cœpit, ut verior est sententia, aliter enim placet Dionysio: tres aliquanto post an. 284. lege *Publilia* additi; & præterea quinque anno 296. modo, ne quis reficeretur eorum qui anno proximo eundem Magistratum gessissent. Decem hi Tribuni pestis Reipublicæ fuere, & inde manavit omne civile nefas. III. Omni fere auctoritas à *Sulla Dictatore* an. 672. Tribunis adempta; sed paulo post partim à *M. Cotta* an. 679. partim à *Cn. Pompeio* an 683. eis restitura: donec an. 730 consensu Patrum in *Augustum Cæsarem*, deinde in alios Imperatores translata est. Nomen tamen & umbra illius Magistratus penes plebem mansisse dicitur ad *Constantini Magni* imperium. IV. Hæc planè singularia *Tribunis* concessa sunt: eos, cum religione, tum lege sacrosanctos esse; ut qui eis nocuisset, ejus caput Iovi sacrum esset: ab urbe diem integrum, nisi Latinis feriis, abesse, nefas; eorum domum interdiu noctuque patere omnibus, quippe qui publicæ libertatis custodes essent; vel unius intercessione aliorum decreta esse irrita; eorum potestatem extra urbem nullam, in urbe maximam: repudiare Senatus decreta, quæ Plebi fraudi esse possent, & solos è Magistratibus non parere Consuli. *Tribunum* vel è Patriciis, vel è Senatoribus legi, aut in Curiam venire diu vetitum; sed postea & Patriciis, si à Plebeiis adoptati essent, Tribunatus, & Tribunis *Atinia* lege Curia patuit. V. Hæc Tribunatus & jura fuerunt & onera; sed longe plura deinceps, jure, an injuria à *Tribunis* usurpata: Senatus edicta, leges, consulta, acta Magistratuum ab iis sæpe rescissa, promulgatæ novæ leges, comitia tum Plebis, tum Senatus pro arbitrio & coacta & soluta; tributorum collationes, militumque delectus prohibiti, ducti etiam interdum eorum jussu in carcerem Consules; agri denique, vectigalia, pecuniæ publicæ, Magistratus, Provinciæ civibus seu probis sive improbis pro libidine & datæ & ereptæ.

QVÆSTOR.

I. Tria *Quæstorum* apud Romanos genera fuerunt: alii enim *Capitales*, alii *Vrbani*, seu *Ærarij*, alii *Provinciales*. Omnia *Capitalibus* & aliis erant præter nomen plane diversa; *Ærariis* & *Provincialibus* omnia, præter insignia, plane eadem. II. *Capitales* vel à Romulo, vel à Numa, vel certe à Tullo; à quo enim, obscurum est, instituti sunt. Eorum fuit in maleficia, parricidia, per-

duellionem; & alia crimina inquirere, donec anno 465. id muneris Triumviris Capitalibus demandatum; & quæstiones publicæ anno 609. uti diximus, constitutæ sunt. Sunt etiam qui eos sub Regibus pecuniæ publicæ & colligendæ & servandæ præfuisse velint. III. Quæstorum, tum *Ærariorum*, tum *Militarium* numerus alius alio tempore pro vectigalium ratione, vel minor, vel major fuit. Primum quidem an.244. duo creati à *P. Poplicola*; tum an. 333. duo additi qui Consules apud exercitum sequerentur. Vbi vero perdomita Italia est, adjecti quatuor anno 488. qui quatuor Italiæ Provincias una cum Prætoribus regerent: deinde à *Sylla* auctus ad 20. eorum numerus an.672. Sub Imperatoribus vero diversus fuit pro Provinciarum numero. IV. Ad Quæsturam, qui primus ad alios honores gradus erat, mos obtinuit, ut legeretur nemo, nisi qui & 28. annos natus esset, & decem annos stipendia fecisset, & Patricia esset familia genitus: admissi tamen anno 333. Plebeii V. Quæstoribus *Vrbanis* nullum imperium fuit; non vocatio, non prehensio, nec sella curulis, nec lictores. *Militaribus* vero & scribæ erant & lictores, & juris dicendi potestas. Illorum munus, ærario Saturni præesse, curare vectigalia, in tabulas tum accepti, tum expensi rationem referre; signa militaria ex ærario depromere, vendere prædam captam ex hostibus; civium, qui in præliis ciciderant, numerum inire; exterarum gentium legatos excipere hospitio, eisque munera Reipublicæ exhibere. *Militarium* vero fuit, legatis, cohorti Prætoriæ & exercitui suppeditare & annonam & stipendia, privatam militum pecuniam apud signa depositam custodire, manubias recipere, &c. Ad Quæstores denique, qui Provinciis Italiæ præerant, pertinuit vectigalia, tributa, portoria, pecuniam & frumentum colligere, in rationum tabulas referre; pro majestate populi Romani rem gerere, subigere hostes, & socios tueri. VI. Si quis vero avet scire quænam fuerint illæ quatuor in Italia Quæstoria Provinciæ: hæ fuerunt, ut conjicit Pighius in Annalibus Romanis ad annum Vrbis 488. prima *Ostiensis*, in qua Latini, Sabini, Marsi, Etrusci, & alii circa Romam populi; altera *Calena*, in qua Campania, Samnium & Lucania, &c. tertia *Ariminensis*, seu *Gallica*, in qua Vmbria & Gallia ad Rubiconem usque Picenum; & quarta *Lucerina*, sive *Apulia Calabria*, in qua Apuli, Hirpini, Salentini, &c. ad sinum usque Tarentinum.

PROCONSVL ET PROPRÆTOR.

CVm par prope fuerit Proprætoris ac Proconsulis dignitas, eademque fuerint utrique & insignia & munera, hic de utroque brevitatis causa agemus. I. Inter Scriptores non convenit *Proconsul*, an *Pro Consule*; *Proprætor*, an *Pro Prætore* legendum sit: *Proprætor* & *Proconsul*, ut pronepos pronepotis, Aldo Manucio probatur; Pighius vero cum Cicerone, tum fastis Capitolinis auctoribus *Pro Consule* & *Pro Prætore* legendum putat: ego utro quis modo legerit, peccaturum non crediderim. II. Alia florente ac eversa Republica Proconsulum ratio fuit: antequam enim Cæsares rerum potirentur, Proconsules erant ii, qui vel è Consulatu, vel prorogato imperio, vel è privatis extra ordinem in Provincias, ut iis præessent, mitti solebant: iis erant legati, Tribuni militum, Centuriones, Præfecti, Scribæ, lictores duodecim, Aruspices, Medici & Contubernales, quæ cohors Prætoria vulgo dicebatur: his omnibus stipendia, vestes, vasa, vehicula, tabernacula & alia id genus dari impensa publica mos erat. III. Proconsules semper cum potestate fuerunt, sæpe cum imperio; semper sine Magistratu & auspiciis: unde honos triumphi, dum vigerent leges, Proconsulibus, ut *Africano majori*, re etiam bene gesta, negatus est: postea tamen nonnullis, ut *Pompeio Magno* concessus: primis enim temporibus solemne fuit, eorum qui sine Magistratu & auspiciis vicissent, triumphare neminem. IV. Non erit, opinor, alienum,

quid potestatem inter & imperium Magistratum & Proconsulatum interfuerit, admonere paucis Potestas ad jus dicendum, ad exigenda vectigalia, ad ordinandam sive urbem, sive Provinciam; imperium vero ad socios tutandos armis, pellendos hostes, bellumque gerendum pertinuit. Magistratus alii majores, alii minores: majores, *Dictator*, *Consul*, *Censor*, *Prætor*; minores, *Quæstor Vrbanus*, *Tribunus Plebis*, *Ædiles*, tum *Plebis*, tum *Curulis*, tum *Cerealis*. Sua singulis auspicia fuere, sed alia aliis, majoribus majora, minora minoribus: omnibus item semper data potestas, imperium non item, sed Dictatori tantum, Consuli & Prætori; iisque nec semper, nec iisdem quibus Magistratus comitiis, sed & cum res posceret; & comitiis sæpe curiatis, interdum Tributis, nonnunquam etiam Senatusconsulto. V. Quænam vero *Consulares* Provinciæ fuerint, paucis accipe. Lege C. Gracchi sancitum erat, ut antequam novi, sive Consules, sive Prætores designarentur, alter Consulum ad Senatum referret, quæ Provinciæ *Consulares* essent, quæ *Prætoriæ*: quod ubi constitutum, mos fuit, ut designati tum Consules, tum Prætores eas vel sortirentur, vel inter se compararent; tum si bellum gerendum, imperium; sin minus sola potestas dabatur: deinde quæ latitudo Provinciæ, quot legiones, quod stipendium militibus, quis comitatus, & alia id genus, vel pro gravitate belli gerendi, vel pro dignitate, sive Proconsulis, sive Proprætoris, modo majora, modo minora decernebantur: eadem enim Proprætoris ac Proconsulis ornamenta; tamen Proconsulis comitatus nobilior, robustior exercitus, Provincia clarior, bellum gravius, lictores duodecim, sex tantum Proprætori. VI. Augustus Cæsar devictis Antonii partibus orbem Romanum duas in partes an. 726. tribuit; quarum alteram Senatui populoque regendam permisit, alteram sibi retinuit: quo vero penes ipsum legiones essent & totius Imperii robur, provincias, quæ paterent hosti, sibi; quæ vero procul essent à bellico tumultu, Senatui attribuit: qui Provinciis præerant Senatus nomine *Proconsules*, qui suo, & *Proprætores* & *Præfectos* appellari voluit, sed illis gladium, habitum militarem, jusque milites capite plectendi ademit: his hæc omnia concessit. Exinde quæ Provinciæ patebant Senatui *Consulares* fuere, quæ Cæsari *Prætoriæ*. VII. Quarum laterculum hic apponere libuit, quo facilius quivis intelligat quam late id temporis patuerit Romanum Imperium *Italia*, *Africa*, *Numidia*, *Asia*, *Epirus*, *Macedonia*, *Græcia*, *Sicilia*, *Creta*, *Cyrene*, *Bithynia*, *Pontus*, *Sardinia*, *Hispania*, *Bætica* Senatui permissæ; Cæsaris vero Præfectis suberant *Gallia Narbonensis*, *Lugdunensis*, *Aquitanica & Celtica*, *Hispania Tarraconensis*, *Lusitania*, *Cælesyria*, *Phœnice*, *Cilicia*, *Cyprus*, *Ægyptus*.

DICTATOR.

ANno post Reges exactos nono, post Vrbem conditam 252. cum omne Latinum nomen auctore Mamilio Tarquinii genero in Romanos conjurasset, plebsque ære alieno oppressa detrectaret militiam, nihil è re publica magis fore Patribus visum est, quam si Magistratus crearetur, penes quem summa belli pacisque potestas esset: qui, quod populo præesset *Magister populi*, quod à Consule diceretur, *Dictator* vulgo nuncupatus est. II. Huic delata sunt omnia Regum tum insignia, tum jura; purpura, sella curulis, equi phalerati, lictores cum securibus 24. summumque imperium domi forisque in militum, civium, Magistratuum fortunas & vitam. Nulla tum Consuli, nulla Prætori, nulla aliis, si Tribunos plebis excipias, Magistratibus auctoritas fuit: nec ab eo ulla provocatio fuit ad annum 304. quo lege *Duilia* cautum est, ne ullus deinceps Magistratus sine provocatione ad populum crearetur. III. Alia legendi *Dictatoris*, ac cæterorum Magistratuum causa fuit & ratio: nec enim annis singulis, uti Consules, sed tum, cum

periculum ingens vel ab hostibus, vel a civibus, vel a diis Reipublicæ imminere putaretur: nullus enim *Dictator* dictus est, nisi rei gerundæ causa, sedandæ seditionis, comitiorum habendorum, legendi Senatus, aut religionis ergo; si vel clavus figendus esset, vel ob prodigia, aut ludi Romani, aut feriæ Latinæ instaurandæ. Iubente Senatu Consulum alter penes quem tum fasces erant, de media nocte captatis auspiciis ex Consularibus quem vellet jubebat Dictatorem. IV. Hæc dignitas Romanæ rei sæpe saluti fuit: quamvis enim Regiæ prope par esset, nec invisa tamen erat populo, nec perpetua, sed semestris tantum, perraro in annum prorogata: nec enim *L. Sullæ* nec *C. Cæsari* sponte delata fuit, sed ab iis oppressa libertate contra jus fasque & usurpata & retenta diutius: vetitum etiam ne extra Italiam cum imperio esset, ne veheretur equo, donec *Q. Fabio Dictatori*, ut equo uti liceret, a Senatu honoris causa concessum est.

DE ROMANORUM SACERDOTIIS.

SACERDOTVM apud Romanos infinita prope fuit & multitudo & varietas, quorum plane diversa erant tum nomina tum munera: nomina, vel à diis, quibus inserviebant, vel à rebus, quas curabant utplurimum petita: munera jam inde à primis urbis temporibus singula singulis præscripta; sed aut pro Numæ arbitrio, aut pro varia, sive deorum, sive sacrorum indole alia aliis. Erant enim qui deorum omnium, erant qui singulorum sacris præessent: deorum omnium curabant sacra *Pontifices*, singulorum alii omnes; *Luperci* Panis, *Potitij* Herculis, *Sodales Titij* Sabinorum deorum, *Salij* Martis, *Vestales* Vestæ; *Flaminum* vero alii Iovis, alii Martis, alii Quirini. Erant præterea *Augures*, qui auspiciorũ; *Aruspices*, qui extorũ; *Feriales*, qui belli & pacis disciplinam tenerent; *Epulones*, qui ludorum epulare sacrificium; *Duumviri Sibyllini*, qui librorum Sibyllinorum sacra; *Rex sacrificulus*, qui regia sacra adornaret. Erant denique *Fratres Arvales* & *Curiones*, quorum illi pro agrorum frugibus, isti pro Curiis sacrificarent. Non est animus Sacerdotum omnium singula munera hic persequi, sed eorum tantum de quibus & meminit Valerius, & nos, in notis, ne longiores essent, nihil diximus.

PONTIFICES.

I. *Pontifices*, quibus, ut volebat Q. Mutius, à posse & facere; vel, ut Varroni placuit & Dionysio, à Ponte & facere nomen inditum est; primum à Numa Pompilio quatuor è Patriciis creati sunt; deinde ab Ogulniis Tribunis an. 454. quatuor è plebe additi, tum à L. Sylla Dictatore anno 671. septem. Vnde duplex ordo Pontificum deinceps fuisse dicitur; alter veterum, qui *majores*, alter recentiorum, qui *minores* fuerunt vulgo nuncupati. II. Cooptare Pontificem à Numæ temporibus ad annum usque 649. penes Pontificum collegium fuit; deinde lege Domitia penes populum: quam haud multo post à L. Sylla anno 671 abrogatam restituit Ti. Labienus Tribunus plebis an 690 donec sub Imperatoribus nec Collegii, nec populi, sed unius Principis arbitrio Pontifices legi cœpti sunt. III. Pontifices inter & Magistratus hæc maxime tria intererant; unum, quod

Magiſtratus annui eſſent, Pontifices perpetui; alterum, quod Magiſtratus ad reddendam rationem, ſive Senatui, ſive populo tenerentur, Pontifices non item: tertium denique, quod Magiſtratus ſemper vel poteſtatem, vel imperium, Pontifices eorum neutrum haberent. IV. Pontificum hæc munera fuere: de cauſis omnibus quæ ad ſacra pertinerent judicare, in Sacerdotum omnium mores, officia, cærimonias inquirere, pro delicti gravitate animadvertere in reos, novaſque leges de ſacris pro arbitrio condere; ita ut, ſi Ciceroni credimus, omnis Reipublicæ dignitas, omnium ſalus, libertas, aræ, foci, dii Penates, fortunæ, domicilia illorum ſapientiæ & fidei credita viderentur.

V. Pontificum Collegio præfuit Pontifex Maximus à Numa eo conſtitutus, ut eſſet, quo de rebus ſacris conſultum plebs veniret: illius enim erat, quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra tum publica, tum privata fierent, præſcribere; quibus ritibus juſta funebria peragenda, placandive manes edocere; quæque prodigia fulminibus, aliove viſo miſſa curarentur. Illum & ex Collegio Pontificum, & tributis populi comitiis legi ſemper mos fuit: primum quidem è ſolis Patriciis, deinde etiam è plebe. VI. Hanc dignitatem, mortuo Lepido, cum Auguſtus ipſe, tum cæteri deinceps poſt illum Imperatores & Pagani & Chriſtiani una cum Imperio aſſumpſerunt; ita tamen, ut Chriſtiani, cum ab hiſce muneribus abhorrerent, ſolum Pontificis Maximi nomen inter elogia ſua adſcribi paterentur. Vbi vero Gratianus Pontificem Maximum appellari ſe vetuit, haud multo poſt anno Chriſti 389. Theodoſius ſenior Sacerdotum reditibus fiſco additis, perfecit ut Pontifices, Augures, aliive Sacerdotes fieri deſierint.

AVGVRES.

I. Artem augurandi à Chaldæis ad Græcos, à Græcis vero ad Etruſcos, ab his vero ad Latinos & Romanos manaſſe memoriæ traditum eſt: cætera quæ de illius origine vulgo traduntur meræ ſunt fabulæ. II. Tres Augures à Romulo, qui & ipſe Augur fuit, ſinguli ex ſingulis tribubus creati ſunt, quibus à Ser. Tullio, ut multi ſuſpicantur, quartus adjunctus eſt, itidem ut tres alii, Patricius: deinde ab Ogulniis fratribus an. 454. quinque è plebe additi, quorum numerus uti Pontificum à L. Sylla an. 671. ad quindecim auctus eſt. Qui ætate ſenior erat, is præerat cæteris, Magiſter Collegii vulgo nuncupatus. III. Vt Pontificum, ita Augurum legendorum alia aliis temporibus ratio fuit: jus enim illud ab Augurum Collegio ad populum à Domitio an. 649. translatum eſt; à L. Sylla an. 671. reſtitutum, & à Ti. Labieno iterum an. 690. datum populo: ab Auguſto tandem, cæteriſque Imperatoribus, licet ipſi Augures non eſſent, uſurpatum. IV. Ad Augures pertinuit ex cantu, volatuve avium, aut ex pullorum tripudiis futura præſagire; de prodigiis, ſomniis, portentis, oraculis reſponſa dare, quidque per ea Reipublicæ aut boni, aut mali portenderetur, vaticinari: auguriorum enim quinque potiſſimum genera recenſentur; unum è cœlo, alterum ex avibus, tertium ex pullis, quartum ex quadrupedibus, quintum ex diris peti ſolebat. Quæ, ne longior ſim, cum de his nonnihil dixerim in notis, breviter indicaſſe ſatis erit.

FLAMINES.

I. Flaminibus, vel pileus quo utebantur, ut vult Plutarchus, vel filum, quo caput redimiti erant, ut auctor eſt Varro, nomen fecit: illos non Romulus, quod ſcripſit Plutarchus, ſed Numa, teſtibus Dionyſio & Livio, inſtituit: cum enim videret Reges ab urbe belli gerendi cauſa ſæpius abſfuturos; ne ſacra regiæ vicis deſererentur, Flaminem Iovi aſſiduum Sacerdotem creavit: huic duos ad-

jecit, Marti unum, alterum Quirino, deinde duodecim in multorum deorum honorem, alii aliis temporibus additi sunt, ejusdem quidem nominis, sed non ejusdem dignitatis: unde illi *majores*; hi vero *minores* vulgo dicti sunt, quod illi & antiquiores essent & Patricii, hi vero & recentiores & plebeii. II. At cæteris omnibus, cum auctoritate, tum insignibus longe *Dialis* præstitit: cui cum aliis commune fuit in comitiis tributis creari, inaugurari à Pontifice Maximo, & si quid admisisset sceleris, abire flaminio: hæc vero illi plane singularia, lictore, sella curuli regia, & veste insigni uti; vinctum, si ejus ædes introierit, solvere; reum, si ad ejus pedes procubuerit, verberibus eo die prohibere, illi exercitum armatum conspicere, jurare, annulo uti, Magistratum ullum aut petere, aut gerere nefas fuit. Multo plura refert Gellius l.16. cap.15. quem, si quis hæc cupit scire, consulat. III. Flamen Dialis à Numæ temporibus summo semper in honore fuit ad bella usque civilia Marii & Syllæ; tum enim pulso C. Cæsare, qui sacerdotium illud etiam tum juvenis Cinnæ gener adeptus fuerat, à Sylla sublatus est, post annos plus minus centum ab Augusto restitutus, Theodosij tandem ætate una cum aliis Sacerdotibus desiit

VESTALES.

I. Sacra Vestæ in Italiam fuisse à Trojanis adducta, templumque primum Lanuvii ab Ænea, tum ab Ascanio in Albano monte ipsi dicatum auctores plerique omnes consentiunt: uter vero Romæ Vestales instituerit, Romulus, an Numa, inter illos non convenit: ego Dionysio quàm aliis assenserim libentius, qui à Numa creatas quatuor, & aliquanto post duas à Tarquinio prisco additas affirmat. II. Vestalis enim legendę primum penes Reges jus erat, deinde penes Pontificem Maximum, quibus tamen nonquam liberet capere integrum fuit: lege enim cautum erat, ne qua patre aut servo, aut liberto nata, aut quavis corporis labe deformis, aut annis vel sex minor, vel major decem legeretur: cui vero aut soror jam Vestalis, aut pater Augur, Flamen, Salius, Septemvir Epulonum erat, illi oblatum Sacerdotium repudiare fas erat. III. Simul ut in atrium Vestæ deducta Vestalis, illi, cum à Senatu, tum à populo etiam universo, & summa jura tribui, & honores eximii deferri solebant; ea tamen lege, ut & ignem sacrum & virginitatis florem illibatum conservaret: hæc vero singulis hæc stata certaque lex fuit, triginta annis deæ sacrario inservire, primo decennio ceremonias, ritus, rationemque sacrorum discere, sequenti exercere, postremo docere alias: quo tempore fas erat positis Sacerdotii insignibus, cui vellent, nubere: quod à perpaucis, nec læto vitæ exitu, factitare memoriæ proditum est. Si vero sacer extinctus ignis esset, aut violatus pudor, certum pœnæ genus definitum erat: de quo in notis egimus.

POTITII ET PINARII.

I. De Potitiorum & Pinariorum origine, cum à Dionysio, tum à Livio aliisque Historicis hujusmodi texitur, seu historia, seu potius fabula: Simul ut Cacum ob amotas per fraudem boves clava cecidit Hercules, Evander, qui tum ea loca regebat, pastorum clamoribus excitus accurrit, & formam habitumque viri aliquanto augustiorem humana intuens, ab eo quænam facinoris causa, rogitat quis esset, unde genus? ubi vero nomen, patrem, patriamque accepit, continuo aram extrui jubet, & bove eximia sacrum fieri, adhibitis ad ministerium dapemque Potitiis & Pinariis, quæ tum familiæ maxime inclytæ ea loca incolebant: forte ita evenit, ut Potitii ad tempus præsto essent, Pinarij non

item

item; inde institutum mansit, donec Pinarium genus fuit, ne extis solennibus vescerentur. II. Potitii ab Evandro edocti hujus sacri antistites per multas ætates fuerunt, donec anno ab Vrbe condita 461. Potitia gens cum auctore Appio Claudio Censore servos publicos ministerii delegandi causa solemnia ejus sacri docuisset, intra annum, licet duodecim familias compleсteretur, omni cum stirpe interiit; & Censor ipse Appius haud multo post luminibus captus est. Hæc fere Livius l. 1. & 9.

LVPERCI.

I. Alia alii de *Lupercalibus* tradunt auctores: ab Evandro ex Arcadia in Italiam translata volunt Dionysius, Livius & Plutarchus; à Romulo & Remo instituta propter factam sibi ab avo Numitore Vrbis in monte Palatino, ubi educati fuerant, condendæ potestatem tradit Valerius Maximus: à Romanis celebrata refert Ovidius ob beneficium à lupa Romanis præstitum in educandis pueris Romulo & Remo, templumque ad ficum Ruminalem ab iis extructum testatur, quod *Lupercal* vocatum est. II. Quod *Lupercal* Romanis dictum est *Lycæum* Græcis fuit: idem enim apud Græcos λύκος sonat, quod apud Romanos lupus; sive à lupis arcendis, ne pecori nocerent, vox illa deducta sit, sive à Lycæo Arcadiæ monte, ubi Pan præcipuo honore colebatur. III. Luperci canem immolabant, vel in gratiam lupæ, à qua nutritus Romulus, vel in Panis honorem, cui canis ob fidelem armentorum curam gratus esset. Si tamen Servio credimus, *Lupercal* spelunca fuit sub monte Palatino, in qua capro litabatur. IV. Mos fuit ut *Luperci* xv. Kalendas Martias (is enim dies *Lupercalibus* sacer erat) rem divinam nudi agerent, & per vicos urbis cursitantes scuticis è caprina pelle, cum obvios quosque, tum præcipue mulieres ferirent, ut fœcundæ magis redderentur. V. Lupercorum vero tres sodalitates fuisse perhibentur, una *Fabiorum*, altera *Quintiliorum*, tertia *Iuliorum*: illa jam inde ab Vrbis primordiis instituta, hæc multo post in honorem Iulii Cæsaris: illis nomen à suis ducibus inditum est *Fabio* & *Quintilio*, quorum alter à Romuli, alter à Remi partibus steterat. VI. Hæc sacra post cædem C. Cæsaris neglecta ab Augusto restituta sunt, teste Suetonio, & ad Anastasii Imperatoris tempora, ut auctor est Onuphrius, Romæ permanserunt.

LIBRI SIBYLLINI ET DVVMVIRI
SACRIS FACIUNDIS.

I. Sibyllæ apud Ethnicos deorum Sacerdotes ut plurimum fuisse perhibentur, quas virginitatis honos, & maxime prædictio futurorum posteris commendavit. Afflatus divinus illis nomen fecit: Σιὸς enim, vox est Æolica, idem plane valet, quod Θεὸς Deus, & βουλὴ id quod consilium: unde *Sibylla*, quasi Θεοβουλή, hoc est divini particeps consilii dicta est. Sibyllarum numerus alius ab aliis proditur: unam agnovit Diodorus Siculus, cui nonnulli Sancti Patres subscripsere; at de nomine non consentiunt: ab aliis enim *Daphne* dicitur, ab aliis *Manto* Tiresiæ filia, quæ 27. annis ante Trojæ excidium direptis Thebis, ubi hactenus manserat, Delphos ab Epigonis missa est. Duas inducit Martius Capella, *Cumanam* & *Erythræam*: tres & Plinius & Solinus, *Delphicam*, *Erythræam* & *Cumanam*; at Lactantius, S. Augustinus, & alii plerique omnes, auctore M. Varrone, decem numerant, *Persicam*, *Libycam*, *Delphicam*, *Cumæam*, *Erythræam*, *Samiam*, *Cumanam*, *Hellesponticam*, *Phrygiam*, *Tiburtinam*. III. Quænam harum Sibyllarum, Cumæa, an Erythræa, an Cumana potius libros Sibyllinos Romam detulerit? utri Tarquiniorum, Prisco, an Superbo illos vendiderit, incertum est. Prisco oblatos

volunt Lactantius & Servius, Superbo Dionysius & Gellius. In re igitur perobscura, quod similius vero mihi visum est, paucis accipe. Sibylla Cumana, in qua plerique consentiunt, cui nomen vel *Amalthea*, vel *Demophile* fuit, regnante Tarquinio Prisco (tempora enim magis congruunt) Romam appulit, Regique libros novem ex multarum Sibyllarum carminibus contextos obtulit, modo trecentos nummos ipsi solveret: despecta à Rege tres libros in ignem abjicit, deinde pro aliis idem iterum pretium poscit; iterumque Rex ridere mulieris insaniam: at illa continuo combussit librorum partem alteram, & tantumdem pro reliquis petit. Tum mulieris pertinaciam Rex admiratus, ex Augurum consilio, & pretium persolvi, & libros servari jussit. A nobis Plinius in eo dissentit, quod & tres tantum libros oblatos Tarquinio, & duos à Sibylla exustos, & unum flammis ereptum velit. IV. Hos libros inter sacra Romani Imperii Tarquinius haberi, & in Capitolini Iovis sacrario sub terràm in arca lapidea deponi voluit: qui eos servarent creavit è Patriciis *Duumviros*, quorum numerus anno Vrbis 388. à C. Licinio & L. Sextio Tribunis ad decem eo auctus est, ut eorum pars una è plebe, è Patribus altera legeretur: quibus à L. Sylla anno 671. quinque additi; unde *quindecimviros sacris faciundis* apud auctores passim legere est. V. Ad illorum munus pertinuit libros Sibyllinos custodire, eosque ex Senatusconsulto, si tumultu, si fame, si peste Vrbs laboraret, si ingens accepta clades, aut quid mali Imperio portenderetur, consulere: tum quæ legissent referre Senatui; ludos sæculares, cæremonias, supplicationes, sacrificia, & alia id genus, quæ libri Sibyllini præscriberent, procurare. VI. Quo casu libri Sibyllini perierint affirmare non ausim; quid certi ab Historicis memoriæ proditum sit, proferam: tuum esto, Lector, judicium. Anno Vrbis 670. L. Scipione & C. Norbano Coss. cum Capitolium, sive oblato, sive fortuito incendio deflagrasset, unà cum aliis donariis hos etiam libros flammis absumptos affirmat Dionysius, alii non meminerunt. Restituto haud multo post à L. Sylla Capitolio, bis in varia loca missi sunt qui carmina Sibyllina undique colligerent: primum anno 677. Erythras ex Senatusconsulto, Cneio Octavio & C. Curione Consulibus, *P. Gabinius*, *M. Otacilius*, & *L. Valerius*, qui, ut auctor est apud Lactantium Fenestella, descriptos à privatis versus circiter mille Romam retulerunt: deinde ab Augusto Ilium, Erythras, Samum, & in Africam, & per colonias Italiæ, ut tradit Tacitus: cum enim permulta Sibyllarum nomine ferrentur, quidquid erat fatidicorum librorum Græci Latinique generis supra duo millia contracta undique cremari, ac solos Sibyllinos, hosque delectu per *Quindecimviros* habito, teste Suetonio, duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi servari voluit; tum alios è Capitolio in idem templum à Pontificibus descriptos, quia caracteres exolescebant, deferri; cumque multo post sub Aureliano templum Apollinis arsisset, à flammis illæsi ablati sunt, ut referunt Flavius Vopiscus & Ammianus Marcellinus: anno tandem Christi 389. cum Theodosius senior omnia deorum idola everti jussisset, Stilicon, qui tum Italiæ præerat, carmina Sibyllina combussit.

DE MILITIA ROMANORVM.

QVÆ ad Romanorum militiam pertinent, ad quatuor potissimum capita brevitatis causa revocamus: agemus enim primo de militum delectu, tum de exercitu, ejusque partibus; post de variis ducum militumque ordinibus: postremo denique de militum armis, signis, stipendio, præmiis & pœnis. Si quis plura requirat, è veteribus Polybium, Frontinum & Vegetium; è recentioribus, Lipsium, Sigonium, Rosinum & Dempsterum consulat.

DE PEDITVM DELECTV.

QVi Milites; qua ætate, quave ratione, & legerentur, & dimitterentur, paucis accipe. Vbi Servius Tullius populum omnem tribuit in classes: cum multa, tum hæc duo illius lege præscripta sunt; unum, ut plebs infima, cujus census undecim æris millibus minor erat, Militia esset immunis: alterum, ut in classibus singulis centuriarum pars una seniorum esset, juvenum altera; ut illi urbis mœnia, hi vero fines imperii foris tuerentur. Vnde cuivis intelligere licet servos, libertinos, pueros, seniores capite censos, Histriones omnes, si Atellanos exceperis, in legionibus scriptos non esse; sed eos tantum, qui, & ingenui essent, & juniores: *Ingenuus* fuit, qui in classibus præter sextam adscriptus erat; *Iuvenis*, qui nec 17. annis minor, nec 46. major: his enim terminis juventus à Tullio rege definita: ita tamen, ut, qui debita stipendia, eques dena, pedes vicena non confecisset; is ad ea explenda ad annum usque quinquagesimum cogi posset: postea non item.

In illis tamen legibus nonnihil aliquanto post immutatum est: cum enim ingens plebis multitudo munerum omnium expers esset, anno circiter ab urbe condita 500, è re publica fore visum est; si sexta classis, quæ tenuiorum erat, tres in partes divideretur. Prima intra 1200. usque ad 400. drachmarum censum constituta: altera intra 400. ad 150. hoc minor census reliquam multitudinem habuit: qui in secunda parte censebantur, vulgo *Proletarij* dicti sunt; qui in tertia *Capite censi*: pars prima, itidem ut aliæ classes, in legionibus deinceps allecta fuit; secunda & tertia non item. Quare *Proletarios*, *Capite censos*, *Libertinos* ante annum 646 ad nauticum usum, quæ militia vilior erat, servari mos fuit: bella vero, aut foris, aut cum legionibus gerere nefas: si quid tamen repentini tumultus oriretur; tum iis arma data, quibus urbis mœnia una cum seniorum centuriis tuerentur; donec anno 646. & *Proletarij*, & *capite censi* à C. Mario ad bellum Iugurthinum; deinde *Libertini* anno 663. & 664, tum à Prætoribus, tum à Consulibus ad Marsicum legi cœpti sunt.

Delectus habendi hæc ratio fuit. Designatis Consulibus, si bellum foris gerendum esset, in quatuor legiones, quæ tum scribi solebant, 24. Tribuni militum, partim à populo, partim à Consulibus legebantur; ex equitibus quatuordecim, decem ex peditibus; illi, quod post quina stipendia Tribuni crearentur, *Iuniores* vulgo dicti sunt; hi vero, quod post dena, *Seniores*: usus enim tum obtinuerat, ut in Tribunum assumeretur nemo, qui dimidiata non confecisset stipendia, quæ equiti dena præscripta erant, pediti vicena: deinde Consules diem edicebant, quo omnes, qui ætate erant militari, vel in Capitolium convenirent, vel in Campum Martium; ne Tribunorum plebi intercessioni locus esset. Tum Tribuni omnes, sive *Iuniores*, sive *Seniores* eo ordine; quo, vel à populo, vel à Consulibus lecti erant, in quatuor legiones, sex in singulas, distribuebantur; in primam *Iuniores* quatuor; duo *Seniores*: in secundam tres *Iuniores*; *Seniores* totidem; Tertiæ legionis eadem ratio fuit, quæ primæ; quartæ, quæ secundæ.

Postea Tribuni Tribus, si bellum esset grave, omnes: si leve, aliquot tantum in suas, tum classes, tum centurias ire jubebant: & ex tabulis; ubi cujusque ætas, census, vires, genus scripta erant, centurias singulas evocabant, sæpe pro Consulum arbitrio; interdum etiam sorte, ne qua, aut tribus, aut centuria ad graviora bella injuste legeretur. Ex centuria, quæ sorte exierat, quatuor primum Iuniores, deinde ætate majores, & viribus, & corporis habitu prope pares simul producebant; unum primæ legionis Tribuni, deinde secundæ, tum tertiæ, postremo quartæ, atque ita deinceps cooptabant in suas quisque legiones: ea tamen habita ratione, ut qui primus una vice legerat, altera ultimus eligeret; ne qua esset legio aliis viribus impar. Si spes aliqua lucri in bello affulgeret; tum multi ultro sese offerre: si vero laboris multum; utilitatis, aut parum, aut nihil, pauci: at eos, qui militiam detrectarent, Consulis erat, aut carcere, aut flagris

cogere: nonnullorum etiam, si quid egissent audacius, aut bona vendita: aut ipsi, quæ pœna gravior erat, veluti mancipia venundati.

DE EQVITVM DELECTV.

CVm equites jam in certas classes essent à Censoribus descripti, eorum delectus multo, quam peditum, facilior fuit: illorum duplex erat ordo, quibus præter nomen nihil commune: alii enim equo publico militabant, alii privato: qui publico, jam inde à primis Reipublicæ temporibus instituti; qui privato, multo post in bello Veienti. Si Livio credimus: his, dum mererent, haud aliter ac pediti stipendia dabantur, duplo quidem majora; illis vero ad emendum equum semel æris dena millia, bina in singulos annos ad alendum: quibus id solemne fuit; ubi debita confecerant stipendia, equum publicum ad Censores in forum reducere, & quibus in locis, quibus Imperatoribus, quot annis meruissent adhibitis testibus probare.

DE MILITVM VACATIONIBVS.

VT scribendi militis, sic etiam dimittendi diligens observata ratio est. Missio vero duplex fuit, una honesta: causaria altera: honesta eorum, quibus justa militiæ vacatio esset; causaria eorum, quibus necessaria: justa petitur, vel ab ætate, cum quis major annis 50; vel ab emeritis stipendiis; si quis, vel dena, si eques, vel vicena, si pedes fecerat stipendia; vel ab honore, si Magistratus esset, aut sacerdos: vel à beneficio; si quis enim quid gessisset fortiter, ipsi aliquando ad tempus, aliquando in omne ævum; interdum etiam ipsius liberis, aut Senatus, aut Consulis jussu militiæ vacatio data est. Vacatio necessaria fuit; si cui, aut manus abscissa, aut membrum debile, aut imbecilla valetudo: ne quid tamen fraudis subesset, Censorum fuit inquirere, quæ cuique causa vacationis esset, justa, an secus. Si tumultus ex improviso oriretur, nullus tum vacationi locus; si bellum Gallicum ingrueret nulla sacerdotum, senumque vacatio; adeo Romanis olim nomen Gallicum terrori fuit.

DE EXERCITV EIVSQVE PARTIBVS.

ROmanorum exercitum tres in partes tribuimus, in Romanas legiones, socios, & auxilia; Legiones ex civibus, socii ex Italis, auxilia ex nationibus exteris constabant: Legiones à Romulo institutæ; socii, dum res Romana angusta fuit, vel nulli, vel pauci: ubi adolevit, pro variis imperii finibus, modo pauciores modo plures: postquam perdomita Italia est, Romanis semper numero, aut pares fuerunt, aut superiores: Auxilia ante bella Punica, nulla memorantur, primo Punico Galli pecunia conducti: teste Zonara; secundo Celtiberi ex Livio: aliis deinceps bellis alii ab amicis Regibus plerumque in auxilium missi. Socios inter & auxilia hæc duo maxime intererant: unum, quod socii, si frumentum excipias, gratis militarent; Auxiliaribus vero copiis stipendia ut plurimum solverentur: alterum, quod socii, & in legiones haud aliter ac Romani describerentur, & militare sacramentum emitterent: Auxilia non item. Postquam anno 663. sub finem belli Marsici universæ Italiæ civitas lege Iulia data est; tum, & Socii in Romanas legiones, & Auxiliares in Sociorum locum adscribi cœpti sunt. Quæ de militum Romanorum delectu paulo ante diximus: eadem de Sociis dicito; eadem enim fere ratione, qua à Tribunis militaribus Romani, à suis Magistratibus jussu Romani Consulis legebantur.

DE LEGIONE, COHORTE, MANIPVLO, &c.

LEgio certa peditum, equitumque manus fuit; pedites in decem cohortes, equites in totidem turmas distributi: cohors tres manipulos complexa est, manipulus duas centurias, turma tres decurias: unde legio semper habuit peditum cohortes decem, triginta manipulos, decurias sexaginta; equitum alam unam, turmas decem, triginta decurias. Peditibus sex Tribuni præerant, centuriones sexaginta, singulis centuriis singuli: equitibus triginta decuriones; quorum alii turmas singulas regebant, præfectus alam integram.

QVOT MILITES IN LEGIONE.

MIlitum numerus, sive peditum, sive equitum alius aliis temporibus fuit: Legio jam inde à Romulo trium millium peditum, & trecentorum equitum instituta est; ex singulis enim tribubus conscripti sunt pedites mille, & centeni equites: deinde, sive à Romulo post victos Sabinos, ut vult Plutarchus; sive, ut Lipsius, à Tullo Hostilio mille pedites additi: exactis certe Regibus legio peditum quatuor millium fuit: postea vero pro Senatus arbitrio bellique magnitudine in militum numero variatum est: ita ut legio, modo quatuor, modo quinque, modo sex millium peditum; itemque, modo ducentorum, modo trecentorum equitum scriberetur: Volsco enim bello ut tradit Livius quatuor legiones scriptæ quaternum millium; Gallico quaternum millium & ducentorum peditum; Latino singulis legionibus peditum quina millia data, equites duceni: Punico secundo & Macedonico, in gratiam Africani Majoris & Æmilii Pauli peditum sena millia, equites treceni: aliquanto post, modo ad quatuor, modo ad quinque millia reditum est, teste Polybio; donec C. Marii, non Senatus imperio contra Iugurtham legiones sex millium & ducentorum peditum scribi jussæ: Caii tamen Cæsaris ætate legiones non Marianis modo, sed Polybianis etiam numero inferiores erant, maxime veteranæ, ut auctor est Hircius.

Ex his, quæ modo diximus, cuivis colligere licet, nec certum, nec statum semper fuisse in singulis, sive cohortibus, sive manipulis peditum numerum: sed pro varia legionis ratione, modo majorem, modo minorem: dum legio 4200. peditum fuit; tum cohors 420. manipulus 140, centuria 70. erat: cum legio 5000; cohors 500, manipulus 167, centuriæ 83: si legio 6000. cohors 600. peditum fuit, manipulus 200, centuria 100.

QVÆ PRIMA COHORS? QVÆ PRÆTORIA?

PRima cohors cæteris, cum dignitate, tum militum numero præstabat: quod in ea Tribuni, & nobilitate, & fortitudine clarissimi legerentur; & interdum, ut scribit Vegetius, 1100. pedites haberet Erat præterea cohors Prætoria, quæ ducem semper sequeretur, ab ipso, vel ex amicis, vel ex fortissimis quibusque delecta. Hujusmodi cohortem prætoriam A. Posthumius Dictator habuisse perhibetur à Livio, Africanus major à Festo, Scipio Æmilianus ab Appiano; Marius & Petreius à Sallustio, & ab aliis alii: novem cohortes Prætorias Augustus ad corporis custodiam adhibuit, quæ primum quidem certum stabiliendi imperii firmamentum & decus extiterunt: postea vero, & Imperatorum, & Reipublicæ pernicies.

QVOT EQVITES IN LEGIONE.

VT peditum, ita equitum varius in legione numerus fuit: Polybius tamen super hac re, nec cum Livio, nec secum consentit: unde aliter Sigonio, aliter Lipsio visum est. Vult enim Sigonius ex Livio equites singulis Legionibus, dum

erant, vel quatuor, vel quinque millium, fuisse ducenos; dum sex millium, trecenos: Polybius vero, ut interpretatur Lipsius, jam inde à Romulo trecentos equites legionibus adjunctos, cum vero centum equites additi dicuntur, tum fuisse quadringenos. Vtri assentiri malis, tute ipse videris: id unum certi habeo, quod scribam, in decuria equites fuisse decem; in turma triginta, in ala modo ducenos, modo tricenos ex Sigonio; vel, modo trecenos, modo quadringenos ex Lipsio.

QVOT LEGIONES ROMANI HABVERINT.

DVm summa rerum penes Consules multo ante bella Punica fuit, quatuor legiones in annos singulos scribi solebant, binæ singulis Consulibus: ubi vero multis, cum urbibus, tum provinciis auctum imperium est: socii ad quatuor Romanas legiones totidem addere jussi sunt: si bellum gravius esset; crescebat legionum numerus. In bello Punico secundo legiones plus minus 25. per Italiam, Siciliam, & Hispanias dispersas Romani habuerunt. In dissensione Mariana L. Cinna 30, in bello civili Pompeius & Cæsar 40; in Mutinensi Antonius & Consules 50; in Actiaco Octavius Cæsar 40; nec ipsi Legionum, aut virtute, aut numero inferior erat Antonius. Non mirum quidem est tantas copias ab Romanorum ducibus contractas esse id temporis, cum eorum imperium ab ultimis Europæ finibus ad Euphratem usque pertineret. Vnum est, quod magis mirere; Gallico tumultu anno Vrbis 528. L. Æmilio Pappo & C. Attilio Regulo Consulibus Romanos exercitum 800. millium militum ex sola Italia collegisse; quod ex Q. Fabio Pictore, qui tum vivebat, referunt Eutropius & Orosius: quibus ego vix assentiar; nisi idem, & à Plinio, & à Polybio memoriæ proditum esset: Plinius enim numerat peditum 700. millia. Equitum 80. Polybius vero eorum, qui tum Romanis parebant, peditum 500. millia, equitum 60; omnemque exercitum ex sola Italia fuisse peditum 700. millia, equitum 70. Ita ille.

QVIS SOCIORVM ORDO: QVI EXTRAORDINARII: QVI ABLECTI.

SOcii, & in castris, & in acie ita dispositi erant; ut Romanas legiones utrimque tegerent: unde *alares* vulgo dicti: cum enim eorum pedites Romanos æquarent, & equites duplo superarent: multas in partes, ne quid novi molirentur, eos distrahi moris fuit, & ordinis causa, & securitatis: In iis vero distribuendis hæc habita ratio est, ut ex alaribus equitibus tertia pars: hoc est ut ex sexcentis ducenti; ex peditibus quinta, id est, ut legio Polybiana nobis exemplo sit; ex quater mille ducentis, octingenti quadraginta in *Extraordinarios* secernerentur: tum ex *Extraordinariis*, pars item quinta, hoc est, ex ducentis quadraginta in *Ablectos*; quorum erat Consulem, in via, in castris, in pugna & comitari, & tueri. Eadem ratione pro militum numero, modo pauciores, modo plures, & in *Extraordinarios*, & in *Ablectos* subducti: ut plurimum tamen circa se Consul habuit ex utraque ala duas equitum turmas, alteram ex altera; & cohortes peditum quatuor cæteris aliquanto minores. Ex his quivis intelligat legiones sociorum Romanis equite superiores fuisse, pedite paulo inferiores: nam ex 600. equitibus & peditibus 4200; si 200. equites, pedites 840. in *Extraordinarios* detrahas; reliqui erunt equites 400. pedites 3360; qui cohortes decem 336. militum efficiunt: an vero cohortes illæ, in manipulos & centurias, itidem ac Romanæ, descriptæ essent, obscurum est.

QVID CORNV: QVID ALA.

NOn abs re fuerit duo hoc in loco annotare: unum, sociorum ducibus, non *Tribuni* nomen, sed *Præfecti* inditum fuisse: alterum, quod interdum, vel cru-

ditis negotium facessere solet, in exercitu Romano, non idem per *cornu* ac per *alam* intelligi. Vult quidem Polybius socios in cornu dextrum & sinistrum tribui; cornu tamen cum apud Livium, tum apud alios plerosque omnes de Romanis etiam legionibus dicitur: unde, ut mihi quidem videtur, inter *cornu* & *alam* id fuit discriminis; quod *cornu* de legionibus Romanorum & sociorum sæpe dicatur; *ala* de Romanis perraro, sæpe de sociorum turmis & cohortibus: fuit enim *ala* florente Republica aliquando Romanorum, ut plurimum sociorum equitatus; sub Imperatoribus Auxiliares copiæ *ala* & *alares* dicti sunt.

DE VARIIS MILITVM ET DVCVM ORDINIBVS.

QVatuor potissimum fuerunt militum genera. *Velites, hastati; principes*, & *triarij*: ducum totidem, *Centuriones*, *Tribuni. Legati*, *Imperator.*

QUI VELITES, HASTATI, PRINCIPES ET TRIARII.

PEditum ordinibus, ut nomen, ita ætas & arma plane diversa fuere. Iuniores in *Velites* selecti: ætate proximi in *hastatos*: his & robore & annis paulo majores in *principes*: natu maximi in *triarios*: in iis tamen legendis non ætatis tantum ratio habita est sed etiam generis, ita ut opes prodessent multis, paupertas obesset nemini: qui enim juvenis & dives, is *hastatus* erat: qui pauper, at grandior ætate, *triarius*. Illis vel ab armis, vel ab ordine, quo pugnabant nomen factum est. *Velites* à celeritate dicti, quasi volantes: *hastati* ab hastis: *principes*, quod à principio gladiis: *triarij*, quod tertio ordine scuto, hasta, & ense rem agerent.

Quot erant in legione *principes*, tot erant & *velites* & *hastati*; *triarij* semper numero impares: illorum enim, pro ratione legionis crescebat numerus: *triariorum* non item, qui semper sexcenti, nec plures, nec pauciores, quod illis, tum *Evocati*, tum *Imperator* ipse in acie jungeretur. In singulis cohortibus tres erant manipuli, unus *hastatorum*, alter *principum*, tertius *triariorum*: *velitum* vero nullus: Illis enim, quod, & juniores essent, & levis armaturæ nulli præcipui duces præerant: sed in omnes *hastatorum*, *principum* & *triariorum* manipulos pro numero æqualiter dispersi, Centurionibus manipulorum, quibus erant adscripti, parebant.

QVI MILITES LEVIS ARMATVRÆ.

LEvis armaturæ milites, quæ minimæ fiduciæ manus erat; alii aliis temporibus fuere. Primum quidem *Ferentarij*, *Rorarij*, *Accensi*, eo nomine adjecti ad Censum, ut supplendis legionibus præsto essent: deinde *Velites* in obsidione Capuana, ut auctor est Valerius, à Q. Nævio Centurione instituti: denique ubi Latinis data civitas est, in eorum locum selecti *antesignani*, *veloces*, tum *sagittarij* & *funditores*: eorum fuit, cum, & cursu leves essent, nec armis impediti; ante congressum, telis, lapidibus, sagittis pugnæ præludere.

QVI FVERINT EVOCATI.

AT cæteris militibus, cum dignitate, tum fortitudine longe præstabant *Evocati*. Miles erat spectatæ virtutis, manu strenuus, & peritus militiæ, qui emeritis stipendiis, è civibus, è sociis, ex pedite, ex equite modo literis, modo precibus, interdum etiam nuntiis ab Imperatore ad bellum evocabatur. Multa illis, quæ aliis negata, jura delata sunt, & honoris ergo, & virtutis; nec in legiones, nec in cohortes, nisi illis præessent, adscribi; nullis ducibus, sive Tribunis, sive Centurionibus subesse; sed uni Præfecto: ab excubiis, ab operibus, tum valli, tum castrorum immunes esse: & in castris manere propter prætorium, & in acie una cum Imperatore inter Triarios dimicare.

DE DVCIBVS.

DVcum tres veluti classes erant; alii enim solis peditibus præerant; alii solis equitibus, alii omnibus. Qui peditibus *Centuriones* & *Tribuni* dicti sunt; qui equitibus *Decuriones*; qui omnibus *Legati* & *Imperator*.

DE CENTVRIONIBVS.

C*Enturiones* à Tribunis Imperatoris jussu ex singulis militum generibus præter velites legi moris fuit: ita ut hastati hastatis, princeps principibus, & triariis triarii præessent: cum vero in singulis legionibus essent 60, sex in cohorte, in manipulo duo; quo facilius constaret, uter alteri præstaret; non simul omnes; sed alii post alios legebantur, primum triginta ex singulis aciebus deni; paulo post totidem: qui primum lecti, manipulorum dextra cornua regebant: qui deinde, sinistra: suus quidem singulis honos fuit, sed alius alii pro genere militum, cohortis numero & centuriæ situ, vel major, vel minor: qui manipuli dextrum cornu ducebat: is altero honestior fuit: qui primæ cohortis manipulum, cæteris ejusdem generis; qui primæ cohortis primum manipulum, aliis omnibus, sive ejusdem, sive diversi generis. Prima cohortis hæc præcipua dignitas fuit, ut qui in ea hastatorum centurio esset, *primus hastatus*, qui principum, *primus princeps*, qui triariorum *primipilus* vulgo diceretur, cui hoc plane singulare fuit; Aliis centurionibus imperare, consilio cum Tribunis adesse, tueri aquilam, eamque, & figere humi, & humo vellere.

Apud auctores *noni*, *decimi* ve & *hastati* & *principis*, &c. frequens occurrit mentio; quare non erit, opinor, alienum, quî voces illæ accipiendæ sint, annotare paucis. In legione, uti diximus, cohortes erant decem, in cohortibus sex Centuriones; his à cohortium numero ita nomen inditum; ut qui in decima erant cohorte omnes *decimi*; qui in nona *noni*; qui in octava *octavi*; & sic deinceps *septimi*, *sexti*, &c. dicerentur: eo tamen discrimine; ut, qui in legione decima, hæc nobis exemplo sit, triariis præerat, *decimus pilus*; qui principibus *decimus princeps*; qui hastatis *decimus hastatus* vocaretur.

Quo vero fortissimi quique ad gloriam militarem vehementius excitarentur, singulis virtutis ergo superior gradus patebat; militibus Centuriatus; Centurionibus, & Centuriatus honestior, & etiam Tribunatus. Quis quid egerit fortiter, isque tum fuerit in decima cohorte hastatorum secundus Centurio; hoc enim exemplo conjectura facile fieri potest de cæteris; primum quidem hastatorum primus erit Centurio; hoc est *decimus hastatus*: deinde *decimus princeps*, tum *decimus pilus*, idque in eadem cohorte: qua expleta ex *decimo pilo nonus* erit, tum *octavus*; post *septimus*: donec, si, & fortuna, & virtus faverit, aut *primum pilum*, aut *Tribunatum* assequatur. Promovendi militis hæc ut plurimum servata ratio est, à duce tamen aliquando, aut immutatata, aut neglecta.

DE TRIBVNIS MILITARIBVS.

VT Peditum, ita Tribunorum militarium numerus in legione alius aliis temporibus fuit: dum legio trium erat millium, Tribuni lecti sunt in singulas terni, ex tribubus singulis singuli: unde illis nomen: dum quatuor millium, quaterni; ubi vero, aut quinque, aut sex millium, seni. In Tribunorum lectione, perinde ac in numero variatum est; primum omnes à Regibus & Consulibus creati sunt: tum anno 393, sex populi suffragiis legi cœpti sunt, anno 444 sexdecim, & aliquanto post bellum Persicum Senatus decreto sancitum est, ut à populo duodecim, totidem à Consulibus crearentur: illi à Populi comitiis *Comitiati*, hi à Rutilio Rufo, qui de eorum juribus legem tulit, *Rutuli* & *Rufuli* dicti sunt. Pompeii

Cæsarisque

Cæſariſque temporibus cum legiones non jam, ut antea, temporaneæ eſſent, ſed perpetuæ; Tribuni à Proconſulibus in provinciis ut plurimum creati: Eorum inſigne fuit florente Republicâ annulus aureus; ſub Imperatoribus, ſi Dioni credimus, præterea clavus, latus quidem, ſi Senatorio eſſent ſtemmate; anguſtus, ſi equeſtri. Tribunorum hæ partes fuerunt, jus dicere militibus, ſignum dare excubiis; vigilias, exercitia, munitiones & alia id genus curare, legioniſque pedites ita regere, ut nullus aliis plus poſſet, nec unus uni parti præeſſet, & alter alteri; ſed integræ legioni ſinguli: Non ſimul tamen; ſed per ſtatas vices bini.

DE EQVITVM DVCIBVS.

EQuitum duces alii præfecti, alii Decuriones vocabantur. Illi peditum Tribunis, hi Centurionibus reſponderunt. Vt enim Tribuni legionem & Centuriones cohortes manipuloſque ducebant, ita præfecti equitum alam, & Decuriones turmas & decurias. Ala, ut diximus, 300. equitum fuit, turma triginta, decuria decem.

DE LEGATIS.

LEgati, aut à Senatu Imperatoribus dati, aut ab Imperatoribus ipſis aſciti, aut certe lege aliqua extra ordinem delecti; viri, ut plurimum, prudentia inſignes, & militiæ periti: quorum conſilio & opera in rebus, tum belli, tum pacis Proconſul uteretur. Numerus, nec certus fuit, nec ulla lege definitus; tres interdum fuerunt, plerumque quatuor, raro plures: ratio enim habebatur, & prætoriæ, & Conſularis dignitatis, & provinciæ, & belli: Imperator, cum ipſi, quos vellet, eligere per Senatum licuit, eos maxime, qui jam provinciis cum imperio præfuerant, ſibi legavit: Conſul Conſulares, Prætor Prætorios; amicum amicus, frater fratrem, patremque filius. Legati hæc jura fuere, de cauſis privatis cognoſcere, imperare toti exercitui; Proconſulem juvare conſilio, fide, opera; & cum imperii eſſet particeps, lictoribus & ſecuribus uti. Duo Legatorum genera Auguſtus induxit; quorum alii *Conſulares* eſſent, alii *Pretorij*, ut illi univerſo præeſſent exercitui; hi vero legionibus ſingulis: quod eo conſilio inſtituiſſe fertur, ut cum Legati ipſius, tum nomine, tum auſpiciis rem gererent, jus omne triumphi ipſi tribueretur, præterea nemini.

DE IMPERATORE.

TRiplex apud Romanos hujus vocis acceptio fuit; una, qua is intelligitur, cui jus datum propriis auſpiciis belli gerendi: altera, qua quis profligatis magno prælio hoſtibus Imperator à militibus appellabatur. Tertia Auguſtis & Cæſaribus ſingularis, penes quos everſa Republica imperii ſumma fuit: ſed hæc nihil ad nos: de aliis breviter. Illi tantum propriis auſpiciis bellum gerere fas erat; qui, aut Conſul eſſet, aut Prætor, aut Dictator, aut Proconſul, aut Proprætor; cui, ſi tum erat Magiſtratus, imperium deferebatur lege Curiata; ſi privatus, Plebiſcito. Vbi imperium inierat, continuo in Capitolio votis nuncupatis factoque ſacrificio cum paludatis lictoribus, paludatus & ipſe ex Vrbe egrediebatur. Cum nihil, aut domi, aut militiæ inauſpicato fieret, auſpicia in exercitu unius fuerunt Imperatoris; quare alii alienis, ille ſuis auſpiciis pugnare dicebatur. Vnde nec Imperatoris nomen, nec ſupplicatio, nec triumphus, aut legato, aut quæſtori delatus unquam eſt. Duo vero auſpiciorum genera adhiberi mos fuit, unum coactum, hoc eſt tripudium, alterum ex acuminibus. Cum vero magno prælio, vel per ſe, vel per legatos hoſtes viciſſet, tum Imperatoris nomen primum à militibus, deinde à Senatu illi dari ſolebat, & ante reditum decerni ſupplicatio, & aliquanto poſt, ſi ingens eſſet victoria, triumphus.

QVÆ ACIEI FORMA FVERIT.

NOn abs re fuerit, si hoc in loco, quo ordine aciem ad pugnam instruxerint Romani, paucis descripserim: id enim cognoscere habet & voluptatis nonnihil, & etiam utilitatis. Apud Romanos acies, aut duplex fere fuit, aut triplex: duplex, cum tota acies in duo cornua divisa, dextrum & sinistrum: triplex, cum inter duo cornua tertia acies media fuit: quod usurpatum sæpe; cum, aut duæ tantum essent, aut plures legiones: tum enim Romani in medio positi, socii ad utrumque cornu. At duplicis, triplicis-ve aciei alia ratio est, cum præter simplicem illam divisionem à tergo etiam sectio fit; ut, si quis quatuor habeat legiones, duas in fronte cum sociis collocet, totidem à tergo, velut in subsidiis, seponat: Idem in duabus etiam factum est; cum, aut cornu utrumque sociorum subjunctis legionibus præpositum, aut subductis sociis legiones præmissæ: fuerunt etiam aliæ formæ cum à C. Cæsare, tum ab aliis inductæ ducibus: sed satis erit aciei vulgatæ, quam tradiderunt Polybius & Livius, formam breviter explicare, ut de cæteris conjectura fieri possit.

Exemplo nobis sit exercitus quatuor legionum; quarum duæ Romanorum sint, totidem sociorum: sic instructa acies est: Legiones Romanæ in medio collocatæ; &, quæ aut virtute illustrior erat; aut ordine prior, ad dexteram: duæ sociorum in cornibus: una in dextro, in sinistro altera: equites in turmas descripti ad latera ita dispositi, ut socii cornu sinistrum tegerent, dextrum Romani; quibus, quod pauciores sociis essent, extraordinarii ad dexteram adjuncti.

Legionis vero singulæ triplex ordo fuit, unus hastatorum, alter principum, tertius triariorum; prima frons hastatorum manipulos omnes, ex legionibus singulis decem, ex omnibus quadraginta habebat: hastatos interjecto spatio excipiebant principum totidem manipuli. Triarii vero, in quibus maxima spes victoriæ, in extremam aciem rejecti: his in mediis inter secundam aciem, & utrumque cornu extraordinarii erant pedites, duas in partes distincti; in una sex manipuli, sex item in altera. Vt legiones à legionibus, ita ab ordinibus ordines, & à manipulis manipuli disjuncti, sive viis, sive intervallis, inter manipulos angustis, inter legiones & ordines latioribus, in quibus nullo certo ordine dispersi Velites.

Evocati, vel cum Imperatore, vel in manipulis pugnabant, ut aliis animos adderent. Centuriones in suis singuli centuriis. Tribuni alii alia in parte, pro ut res poscebat. Legati duo mediam aciem regebant, duo utrumque cornu, alter alterum. Imperator omnem exercitum, & sæpe Triarios inter, & Principes paulo ante aquilas cum ablectis & cohorte Prætoria consistebat.

Manipuli ita in quadrum dispositi, ut inde quadrata totius legionis forma existeret; in singulis enim, erant lineæ duodecim; in singulis lineis deni milites, hoc est in legionis Polybianæ 4200. prima fronte centum; Triariorum enim erant tantum lineæ decem, & in singulis milites deni. Ante Velites institutos, cum Rorarii & accensi in tertio essent agmine cum Triariis; inire pugnam hastatorum fuit, postea Velitum: si, nec ipsi, nec hastati sustinendis hostibus pares essent, continuò pede presso per intervalla pone principes se recipere solebant. Tum principum pugna erat, apud quos, si nec satis prospere certatum esset; à prima acie ad Triarios sensim referebantur. Inde rem ad Triarios rediisse, cum laborabatur, proverbio usurpatum est. Vbi hastati & principes in intervalla ordinum recepti, continuo Triarii compressis ordinibus vias claudere, unoque continente agmine in hostem ferri, tumque certa, aut clades, aut victoria.

DE SIGNIS, ARMIS, STIPENDIIS, PRÆMIIS ET POENIS.

SIGNA.

Signa alia peditum fuerunt, alia equitum, alia legionis, alia manipulorum. Primum quidem *Aquila*, *Lupus*, *Minotaurus* ex Vegetio, *Equus* & *Aper* ex Plinio; tum præ cæteris principatum obtinuit *Aquila*, ut aliis in castris relictis sola in acie ordines anteiret: quam denique C. Marius secundum Consul, tanquam felix victoriarum omen, repudiatis aliis, legionibus Romanis consecravit. Fuit Aquila aureum aquilæ simulacrum hastæ præpilatæ suffixum: signum legionis erat Romanæ, una unius, inter Triarios primæ cohortis semper collocata, nec enim sociorum fuit, nec manipulorum: quibus alia quædam signorum genera fuisse perhibentur. Primum fœni manipuli è perticis suspensi, deinde in summa parte hastæ transversum ligneolum cruci haud absimile: tum ex ligneolo, & orbiculi, & clypeoli appensi, supra quos manus eminebat: denique in orbiculis positæ, tum Deorum, tum Imperatorum imagines. An suum singulis Romanorum cohortibus signum fuerit: an singulis sociorum manipulis, an cohortibus tantum: obscurum est.

Tria signorum genera posterioribus temporibus usurpata, *Elephas*, *Sphinx*, & *Draco*. *Elephas* à C. Cæsare, quod quinta legio elephantas vicisset. *Sphinges* unde, incertum est. *Draconibus*, & Daci, & Persæ usi sunt, unde illis à Trajano, his ab Aureliano una cum Zenobia victis, Dracones ad terrorem adhiberi cœpti sunt: ea enim Dacorum signa in columna Trajani etiam nunc videre licet: unde post Trajanum apud scriptores Latinos Draconum frequens est mentio, ante illius ætatem, nulla. Equitum vexilla, quæ flammulas vocat Vegetius, vela quædam erant modica, quæ in quadrum efformata ad hastam appendebantur: in iis Imperatorum nomina aureis literis inscribi moris fuit.

ARMA.

Armorum singula genera, & qua quæque, aut forma, aut figura fuerint, sigillatim persequi infinitum sit: quibus quisque miles usus sit paucis accipe. Veliti datus gladius Hispaniensis, hastula trium pedum, spiculum, parma, sive scutum tripedale, & cassis seu galea, aut è pelle, aut è corio. Hastatis, principibus & triariis scutum latum pedes duos & semis, longum quatuor, gladius Hispaniensis, galea ærea cum cristis, ocreæ, lorica, vel è lamina ærea, vel ex catenis, aut squammis compacta, pila duo, alterum altero majus: quæ etsi per se gravia; pediti tamen oneri non fuerunt; scutum enim, gladium, *&c.* in onere non plus numerabant, quam humeros, lacertos, & manus, cum arma militis esse membra dicerent. Præter arma alia his multo graviora sæpe ferebant, secures, serram, corbem, lorum, falcem, molam, catenam, ollam, veru, ternos aut quaternos vallos, & nonnunquam frumentum dierum triginta: ætate Polybii gladius ad latus dextrum appensus est, ne movendo scuto obstaret. Sub Vespasiano, si Iosepho credimus, Pediti duo erant gladii; longior ad sinistrum latus, ad dextrum brevior. Equitum arma, scutum, lorica, galea, gladius, hasta.

STIPENDIVM.

Iam inde à primis Romæ nascentis temporibus militi datum frumentum est, pecuniæ vero nihil ante annum 348. paulo ante Vrbem à Gallis incensam;

rum enim pediti in dies singulos dati duo oboli, seu tres asses; quibus fere florente Republica nihil, aut subtractum, aut additum est; donec C. Cæsar peditibus singulis sex asses tribui voluit; decem Augustus, alii deinceps quindecim, alii viginti: Vespasianus 25: quibus in menses singulos singulos aureos Domitianus addidit. Centurionibus, Signiferis, Optionibus datum stipendium duplex, equiti triplex, Tribunis & equitum præfectis duplum, quam centurionibus: an equitum, itidem ac peditum, duplicata sint stipendia, incertum est.

Frumentum certo die in mensem distributum; pediti, sive Romanus esset, sive socius, medimni attici duæ partes, hoc est quatuor modii; equiti Romano frumenti medimni duo, quibus, & se, & servos; hordei septem, quibus equos aleret: sociorum equitibus medimni quarta pars eo detracta est, quod, & dignitate Romanis essent aliquantò inferiores, & pauciores servos haberent: præter frumentum dabatur etiam sal, legumina, & caro suilla: è stipendio nonnihil à quæstore ad vestes & arma diminutum.

PRÆMIA.

Præmia vocamus *munera militaria*, cohortis Prætoriæ communionem, stipendium, prædam, & dona imperatoria. Munera militaria fuere, aut centuriatus, aut præfectura virtutis ergo militi data; de quo paulo ante diximus: cohors prætoria, quæ, nisi civi Romano, patuit nemini, strenuo militi permissa; ex qua qui fuisset, in beneficiis ab Imperatore ad ærarium deferebatur. Stipendium, si quis quid egisset fortiter, datum, vel duplex, vel triplex. Præda etiam interdum capta de hostibus, post pugnam illi concessa. Dona militaria erant, quæ militibus ab Imperatore, vel post victoriam, vel ante triumphum dari solebant; ut torques, phaleræ, armillæ, hastæ puræ, cornicula, coronæ, & alia id genus: de quibus singulis breviter agemus.

Parta victoria moris fuit Imperatorem pro tribunali sedere, vocatoque exercitu laudare milites, quid à quoque fortiter gestum prædicare, nominatim appellare singulos, illisque dona militaria largiri. Hasta Pura sive graminea erat sine ferro. Phalerarum nomine dicitur, quidquid equorum fronti, maxillis, & pectori ad ornamentum additur: armillæ brachiis, torques collo, coronæ capiti decori erant: at sicut coronæ aliæ aliis præstabant, ita aliæ aliis de causis dabantur: qui victoriam suis virtute militari peperisset, donabatur aurea corona: qui subiisset primus murum hostilem, murali: qui obsidione liberasset, aut cives, aut socios, obsidionali; qui primus in hostium castra vi irrupisset, castrensi: qui in navem, navali: qui hoste cæso civem servasset, civicâ. Castrensis, muralis, navalis plerumque aûreæ, sed obsidionalis graminea; civica primum iliginea, deinde æsculea, denique quernea: qui civicam retulerat id habuit præ cæteris singulare; ut, & ipsi, & patri, & avo vacatio omnium munerum daretur, locusque ad ludos spectandos Senatui proximus.

POENÆ.

Non eadem apud Romanos militaris disciplina fuit, quæ urbana; aliusque in castris militi, alius in Vrbe civi terror propositus: civem, aut cædere virgis, aut securi ferire magistratibus vetitum; at Imperatori, aut mortis, aut alterius, ut libebat, supplicii metu militem in officio coërcere fas erat. Animadversiones vero aliæ aliis graviores erant; quæ ignominiam tantum inurerent, leviores, ut stipendio legitimo privari, hastam dare, ab exercitu removeri, tentorii locum mutare, hibernare extra oppidum, cibum stantem capere, fossam fodere, discinctum destitui, hordeo pasci, sanguinem mitti: graviores erant, quæ detrimentum inferrent, ut virgis cædi, venire, fuste & securi percuti, decimari, in crucem tolli. Sed de his hactenus.

VALERII

VALERII MAXIMI
EXEMPLORUM MEMORABILIUM
LIBER PRIMUS.
AD TIBERIUM CÆSAREM AUGUSTUM.
PROLOGUS.

POPULI *Romani, exterarumque gentium facta ſimul ac dicta memoratu digna, quæ apud alios latius diffuſa ſunt, quam ut breviter cognoſci poſſint, ab illuſtribus electa auctoribus deligere conſtitui:* [a] *ut documenta ſumere volentibus longæ inquiſitionis labor abſit. Nec mihi cuncta complectendi cupido inceſſit. Quis enim omnis ævi geſta, modico* [1] *voluminum numero comprehenderit?* [b] *Aut quis compos mentis, domeſticæ peregrinæque hiſtoriæ ſeriem, felici ſuperiorum ſtylo conditam, vel attentiore cura, vel præſtantiore facundia, traditurum ſe ſperaverit? Te*

INTERPRETATIO.

a *Ut, qui cupiunt diſcere exempla virtutum, id poſſint ſine magno labore conſequi.*

b *Aut quis prudens confidat Romanorum cæterarumque nationum res geſtas, ſcriptas eleganter ab antiquioribus auctoribus; aut diligentius, aut elegantius ſe ex ordine litteris mandaturum.*

NOTÆ.

1 *Voluminum numero.*] Sunt, qui volumen inter & librum hoc intereſſe velint; quod liber aliquanto latius, quam volumen pateat: cum liber pro codice integro, volumen vero pro libri tantum parte ſumatur. Recte an male? viderint alij. Idem certe quod illi, ſentire videtur Plinius Orator, cujus hæc verba ſunt. *Libri tres in ſex volumina propter eorum amplitudinem diviſi.*

igitur huic cœpto, [c] penes quem hominum Deorumque consensus [1] maris ac terræ regimen esse voluit, certissima salus patriæ, Cæsar, invoco: cujus cœlesti providentia virtutes, de quibus dicturus sum, benignissime foventur; vitia severissime vindicantur. Nam si prisci Oratores ab Jove Opt. Max. bene orsi sunt; [d] si excellentissimi vates a numine aliquo principia traxerunt: mea parvitas eo justius ad favorem tuum decurrerit, quod cætera divinitas opinione colligitur, tua præsenti fide [2] paterno avitoque [3] sideri par videtur; quorum eximio fulgore multum [4] ceremoniis nostris inclytæ claritatis accessit. Deos enim reliquos accepimus, [5] Cæsares dedimus. Et quoniam initium à cultu Deorum petere in animo est, de conditione ejus summatim disseram.

Interpretatio.

c *Qui ex consensu Deorum & hominum, mari & terra imperas.*

d *Si Poëtæ præstantissimi solent invocare Deum aliquem initio* operum suorum, *multo magis ego longe illis inferior debeo implorare tuum favorem: quod* incerta tantum *opinione cognoscimus divinitatem aliorum Deorum, tuam* vero *præsentem oculis cernimus, æqualem divinitati* tui *patris* Augusti, *& tui avi* Iulij Cæsaris; *quibus in Deorum numerum ascriptis, ingens cæremoniis Romanorum splendor accessit.*

Notæ.

1. *Maris ac terra*] Non orbi tamen universo imperabat Tiberius; cum & immensi illi Oceani tractus, qui ad Indias usque pertinent, ne noti quidem istis essent temporibus; & multi populi suis legibus uterentur, non in Asia solum, ubi Parthicum florebat imperium Romani æmulum, sed in Africa etiam, & Europa; in qua nec omnes Germanorum gentes domitæ, nec devicti Britanni.

2. *Paterno avitoque.*] Augustum, Iuliumque Cæsares intelligit; illumque Tiberij patrem, hunc avum appellat: Nec Iulij tamen Augustus, nec Augusti Tiberius natura filius fuit: sed ille à Iulio ex Accia sororis filia nepos; hic ab Augusto ex Livia conjuge privignus, hæres testamento scriptus est.

3. *Sideri.*] Dum in honorem, sive Veneris genitricis, ut vult Plinius; sive Iulij Cæsaris, ut scribit Suetonius, ludos ederet Augustus: crinitum sidus per septem dies Septentrionem versus fulsisse dicitur; creditumque vulgo est animum Cæsaris esse in cœlum recepti: ideoque illius, tum statuis, tum nummis stella addita. Ita Suetonius. Unde etiam Virgilius,

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

Et Horatius,

——— *Micat inter omnes*
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Stellam vero post Augusti obitum apparuisse nemo, quod sciam, memoriæ prodidit: non defuit tamen, si Suetonio credimus, vir Prætorius, Numerius nomine, qui animum illius euntem in cœlum vidisse se jurejurando confirmaret; cujus mendacij præmium, teste Dione, l. 57. decies sestertium à Livia dono accepit. Utrique tamen sidus non immerito tribuitur; cum in Deorum numerum uterque adscriptus esset.

4. *Ceremoniis.*] Ceremonia ritus est sacer, voce deducta, vel à Cerere, vel potius à Cære Hetruriæ oppido, quod Livius l. 7. appellat *sacrarium populi Romani, diversorium sacerdotum, ac receptaculum sacrorum.* Quod etiam paulopost affirmat Valerius n. 10.

5. *Cæsares dedimus.*] Iulium & Augustum, quorum ille ab Augusto, hic à Tiberio in Deorum numerum adscriptus est;

CAP. I.

DE RELIGIONE.

OBSERVATA.

1. *A populo Rom.*
2. *L. Metello Pont. Max.*
3. *Ti. Graccho & Coss.*
4. *Sacerdotum Collegiis.*
5. *Q. Fabio Dict. & C. Flaminio Magist. Eq.*
6. *P. Crasso Pont. Max.*
7. *Æmiliæ Vestalis discipula.*
8. *M. Marcello v. Cos.*
9. *Furio Bibaculo Prætore.*
10. *L. Albinio.*
11. *C. Fabio Dorsone*
12. *Q. Petillio Spurino Prat.*
13. *L. Tarquinio Rege.*
14. *M. Atilio Regulo.*
15. *Senatu Romano.*

NEGLECTA.

16. *A C. Terentio Varrone.*
17. *Ap. Cæco, & gente Potitia.*
18. *Milite Romano, & Brenno Gallo.*
19. *P. Turullio præfecto classis.*
20. *Q. Fulvio Flacco Cens.*
21. *Q. Pleminio legato Proprat.*

Externa exempla observatæ vel neglectæ Religionis.

1. *Pyrrhus Epirotarum Rex.*
2. *Masanissa Numidarum.*
3. *Dionysius major Siculorum.*
4. *Thymasitheus Liparitanorum.*
5. *Alexandri Regis milites.*
6. *Persa.*
7. *Athenienses.*
8. *Diomedon Atheniensium*

OBSERVATA.

[1] [a] I. MAJORES nostri [2] statas solennesque ceremonias, [3] Pontificum scientia; [4] bene gerendarum rerum auctoritates,

INTERPRETATIO.

a *Majores nostri voluerunt ceremonias certo die constitutas & solemnes explicari scientia Pontificum; auspicia vero & ritus sacrificiorum, quæ ad res feliciter gerendas multum valere putantur, observatione Augurum;* ob*scura Apollinis de rebus futuris oracula, libris Vatum; rationem, qua mala à portentis prænuntiata depelli debent, disciplina Etruscorum.*

NOTÆ.

1. *Majores nostri.*] Hic locus, quod operarum negligentia corruptus sit, aliter ab aliis legitur. Nos Pighium secuti sumus, qui præclare, ut solet, illum emendavit ex Ciceronis oratione de Aruspicum responsis, unde tantum non ad verbum expressus est. Ciceronis vero locum; cum & sententiæ sententiis, & verba verbis fere respondeant, hic adscribere nihil opus est.

2. *Statas solennesque ceremonias.*] Hoc est sacrificia, quorum alia, ut tradit Festus Pompeius, quod certis quibusdam & diebus & statutis celebrarentur, stata, alia vero, quod singulis quibusq; annis semel fierent, solennia dici moris erat.

3. *Pontificum scientia.*] A quo fuerint instituti Pontifices? quæ eorum dignitas? quæ munera? Illa te docebit, quam præmisimus, de sacerdotiis Romanorũ disputatio.

4. *Bene gerendarum rerum auctoritates.*]

[1] Augurum observatione; [2] Apollinis prædictiones, [3] vatum libris; [4] portentorum depulsa, [5] Etrusca disciplina explicari voluerunt. Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur, cum aliquid commendandum est, precatione: cum exposcendum, voto: cum solvendum, [6] gratulatione: [7] cum inquirendum vel extis, vel [8] sortibus, [9] impetrito: cum [10] solenni ritu peragendum, [11] sacrificio. [12] [b] Quo etiam ostentorum ac fulgurum denunciationes procurantur.

Interpretatio.

[b] *Mala etiam, quæ portentis & fulguribus denunciantur* sacrificio alio, *ne eveniant, avertuntur.*

Notæ.

Quæ erant sacrificia ante prælium fieri solita, & felici quodam exitu confirmata: quod exemplo planius fiet. In more positum erat, ut ante pugnam, vel Iovi, vel Marti, aliive Deorum ab Imperatore litaretur: deinde vero, si adversa esset in prælio fortuna, infandum sacrificium: si secunda, solemne haberi solebat: quod è re bene gesta fuisse diis acceptum nosceretur.

1. *Augurum observatione.*] Consule disputationem de sacerdotiis Romanorum.

2. *Apollinis prædictiones.*] Si quando, vel gravi peste, vel bello diuturno, aliave calamitate urbs laboraret: è civibus Delphos mittebantur, qui Apollinem, quid facto opus esset, consulerent. Tum si Phœbas, erat Apollinis sacerdos, vel tauro, vel agno; illo, aliove ritu; Neptuno, aut Mercurio aliisve Diis sacrificandum præcepisset: hoc sacrificium inter solennia non referri nefas erat.

3. *Libris Vatum.*] Præcipue libris Sibyllinis, de quibus dicemus infra.

4. *Portentorum depulsa.*] Si quid enim mali ostenta portenderent: & sacrificia, & preces, quibus depelleretur, imperabant Aruspices.

5. *Etrusca disciplina*] Aruspicinam intelligit, cujus ortum paucis accipe. Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cum terra araretur, & sulcus altius esset impressus, extitisse repente puerili quidem specie, sed senili prudentia. Ejus aspectu cum obstupuisset bubulcus, clamoremque majorem edidisset, concursus ingens factus est. Tum ille plura locutus, oratioq; illius fuit ea, qua Aruspicinæ disciplina contineretur. Hæc paulo pluribus Cicero l. 2. de Divinatione.

6. *Gratulatione.*] Id est, gratiarum actione. Nam *gratulari*, cum ad Deos refertur, idem valet, quod gratias agere.

7. *Cum inquirendum.*] Si quid adversi accidisset, tria vulgo inquirebant: an irati Dii? qua de causa? qua ratione placandi? Id vero, vel per exta, vel per sortes explorabant. Exta; si pallida; si aliqua parte mutila; si pustulis, aut livore deformia, aut duritie contracta; Deos iratos: si vero læta, vivida, & integra; placatos significabant.

8. *Sortibus.*] Sortes tessellis talisve jactatis captabantur, cumque ex tesserarum superficie de eventu judicarent; si sortes auctæ, omnia prospera; si diminutæ, tristia portendebantur.

9. *Impetrito.*] Augurale est vocabulum, quasi ad impetrandum faustum rei exitum: quasi impetratum, inquit Festus, hoc est firmum vel stabile; vel ex aliis in petra fixum. Ita Plautus in Asinaria,

Impetritum inauguratu'st quovis admittunt aves.

Vnde ad inquirendos rerum futurarum eventus, sacra impetrita celebrari mos erat, quæ certa petentibus denunciarent.

10. *Solenni ritu.*] Qui non semel tantum in anno fieret, ut quidam volunt; sed qui admodum celebris esset.

11. *Sacrificio.*] Infinitus ego sim, si quo ritu, quibusve ceremoniis singula sacrificia celebrarentur, persequi velim. Varia enim erant genera; alia votiva pro votis publicis. alia soteria pro salute principum; alia gentilitia, & cujusq; gĕtis propria; alia Ambarvalia, quibus arva & fruges porc lustrabant.

12. *Quo etiam ostentorum ac fulgurum.*] Si lapidibus, si sanguine pluisset, aliaque id genus contigissent, portentum fuit. Si vero tecta publica de cœlo tacta, fulgur,

Tantum autem ſtudium antiquis non ſolum obſervandæ, ſed etiam amplificandæ religionis fuit, ut è florentiſſima tum & opulentiſſima civitate, [1] decem principum filij S. C. ſingulis Etruriæ populis, percipiendæ ſacrorum diſciplinæ gratia traderentur.

Cereri quoque, quam [2] more Græco venerari inſtituerant, ſacerdotem à [3] Velia; cum id oppidum nondum civitatis nomen accepiſſet, Calcitanam peterent, vel, ut alii dicunt, Calliphenam: ne Deæ vetuſti ritus perita deeſſet antiſtes. Cujus cum in urbe [4] pulcherrimum templum haberent, [5] Gracchano tumultu moniti [6] Sibyllinis libris, ut vetuſtiſſimam Cererem placarent, [7] Ennam (quoniam ſacra ejus inde [8] orta credebant) decem viros ad eam propitiandam miſerant. Item [9] matri Deûm ſæpenumero Imperatores noſtri, compotes victoriarum, ſuſcepta vota [10] Peſſinuntem profecti ſolverunt.. An. M. 3921. Ol. 161. 4. Vrb. C. 620. Ant. Ch. 132.

2. [11] Metellus vero [12] Pontif. max. [13] Poſtumium Conſulem, eundemque An. M. 3812. Ol. 134. 3. Vrb. C. 511. Ant. Ch. 241.

NOTÆ.

Non eodem tamen ſacrificio oſtentum, & fulgur curabantur: illud enim novemdiali ſacrificio, hoc vero majoribus hoſtiis: & præterea ex Tagetis præſcripto ſancitum erat, ut locus ille, bidental deinceps appellatus, aris etiam poſitis in poſterum religioſe coleretur.

1. *Decem principum filii.*] Sex tantum numerat Cicero de Divinatione: at non dubium eſt, quin & illius, & Valerii locus corruptus ſit: cum enim conſtet apud omnes duodecim fuiſſe Etruriæ populos, & ſingulis, ſingulos principum filios in diſciplinam traditos uterque velit; inde conſequens eſt, nec ſex, ut Cicero, nec decem, ut Valerius: ſed duodecim, ut neuter, principum filios, legendum eſſe.

2. *More Græco.*] Fama tenet ab Arcadibus, qui à Græcis oriundi ſunt, in monte Pallantio, quem illis Faunus conceſſerat, Cereri, & ædem extructam, & ſacra inſtituta: quibus id, teſte Livio, præ cæteris ſingulare fuit; ut ad ea, nec vinum, nec alios ſacerdotes, quam matronas adhibere fas eſſet. In his vero duobus nihil à Romanis immutatum teſtatur Dionyſius l. 1.

3. *Velia.*] Oppidum eſt Lucaniæ à Phocenſibus in ſinu Pæſtano conditum. Elea quoque à fluvio cognomine dicitur apud Strabonem. Nunc deſtructa.

4. *Pulcherrimum templum.*] Ab A. Poſtumio Dictatore Anno Vrb. 257. de Volſcorum ſpoliis conditum, non procul à Circo maximo. Illud enim, cum initio bellivictus inopia laboraretur, libris Sibyllinis monitus voverat.

5. *Gracchano tumultu.*] Id paulo poſt cædem Ti. Gracchi, P. Mutio, L. Calphurnio Coſſ. contigit. Ex Ciceronis Verrina 6.

6. *Sibyllinis libris.*] Quæ ad hos libros pertinent, vide in diſputatione de ſacerdotibus Romanorum, pluribus explicata.

7. *Ennam.*] Siciliæ oppidulum, juxta montem Ætnam, nunc *Caſtro Ioanni.*

8. *Orta credebant.*] Vetus eſt opinio, inſulam Siciliæ totam eſſe Cereri, & Liberæ conſecratam; & natas iis in terris Deas; raptamque fuiſſe Proſerpinam ex Ennenſium nemore: qui locus, quod in media inſula eſt ſitus, *Vmbilicus Siciliæ* appellatur. Cicero.

9. *Matri Deûm.*] Quæ vulgo Cybele dicitur, apud Syros Aſtarte, apud Perſas Mithra, apud Ægyptios Luna, ex Plut. apud Afros Vrania, ex Herodiano.

10. *Peſſinuntem.*] Vrbem Phrygiæ templo Cybeles nobilitatam: cui hoc ἀπὸ τοῦ πεσεῖν nomen inditum eſt, quod illius Deæ ſimulacrum è Cœlo lapſum divinis honoribus ibi coli cœptum ſit. Ita Herodianus. Nunc *Poſſene.*

11. *Metellus.*] L. Cæcilius Metellus duobus Conſulatibus, Magiſterio equitum, Dictatura, & triumpho illuſtris. Vide quæ de Cæcilia gente diximus.

12. *Pontifex Maximus.*] De Pontifice maximo multa in Sacerdotiis Romanorum, item de Flamine Martiali, & de poteſtate Conſulum in Magiſtratibus Romanorum.

13. *Poſtumium.*] A. Poſtumium Albi-

Flaminem Martialem, ad bellum gerendum [1] Africam petentem, ne à sacris discederet, multa indicta urbem [2] egredi passus non est: religionique summum imperium cessit: quod tuto se Postumius certamini commissurus non videbatur, ceremoniis Martis desertis.

An. M. 3892. Ol. 154. 3. Vrb. C. 591. Ant. Ch. 161 3. [c] Laudabile [3] XII. fascium religiosum obsequium: laudabilior quatuor & viginti in consimili re obedientia; à [4] Ti. enim Graccho ad collegium Augurum literæ sunt [5] ex provincia missæ, quibus significabat, se, cum libros ad sacra populi pertinentes legeret, animadvertisse, [6] vitio tabernaculum captum [7], comitiis [8] consularibus, [9] quæ ipse fecisset; ea-

INTERPRETATIO.

c *Laudabilis* quidem *religiosa obedientia* unius consulis Posthumii, *cui duodecim* erant lictores *cum fascibus: sed laudabilior est duorum consulum* C. Figuli & Scipionis Nasicæ; quibus erant 24. lictores *cum fascibus*.

NOTÆ.

num è Patricia Postumiorum gente, quæ his præcipue cognominibus distincta fuit Tuberti, Regillensis, Albi, & Albini: quæ familia fuit omnium nobilissima.

1. *Africam petentem.*] Dum bellum in Sicilia utrimque acriter geritur.

2. *Egredi passus non est.*] Quod causæ fuit, ut duo Prætores Romæ primũ crearentur: quorum alter in urbe civibus jus diceret, alter in bello adesset Consuli. Quod ex Liviana epitome probãt Sigonius & Pighius.

3. *XI. fascium.*] Primum regiæ, deinde consularis potestatis fuerunt insignia, quæ lictores, seu Regibus, seu Consulibus ad terrorem præferebant. Virgarum erant fasciculi, in quibus ita securis erat alligata, ut ferrum in summo fasce extaret. Hoc instituit Romulus, sive ex numero avium, quæ augurio regnum ipsi portenderant, sive ab Etruscis adsciverit, de quibus hoc ab auctoribus proditum est; quod cum ex duodecim constarent populis, singuli singulos lictores, omnium consensu, creato Regi mitterent.

4. *Ti. enim Graccho.*] Gracchorum, qui novarum rerum cupidi in tribunatu necati sunt, ille pater fuit: vir belli pacisque artibus clarissimus. Vide plura in gente Sempronia.

5. *Ex provincia missæ.*] Sardinia, quam ex secundo Consulatu prorogato imperio extra ordinem obtinuerat.

6. *Vitio tabernaculum captum.*] Tabernaculum vitio captum dicebatur, si is cujus erat augurium capere, capto tabernaculo, egisset quidpiam aliud, quod ad augurium nihil pertineret. Ita Plut. In eo vero peccaverat Gracchus, quod cum cepisset tabernaculum in hortis Scipionis, & pomœrium postea intrasset, Senatus habendi causa; in redeundo, cum idem transiret pomœrium, auspicari esset oblitus: sicque imprudens inauspicato pomœrium transgressus est. Hæc Cicero in l. 2. de Natura Deorum, & 1. de Divinatione.

7. *Comitiis.*] A coëundo dicta sunt: quod vero populus modo in tribus, modo in curias, modo in centurias divisus suffragium ferret; ideo triplicis erant generis comitia, Tributa, Curiata, & Centuriata: in quibus omnibus ea fuit populi auctoritas, ut quod plures, sive tribus, sive curiæ, sive centuriæ jussissent, id ratum haberetur.

8. *Consularibus.*] Centuriata erant, in quibus Consules, Censores, Prætores, Proconsules, interdum Reges sacrorum, Tribuni militares consulari potestate, & Decemviri creari moris erat. Nominis ea fuit ratio, ut si Consulis eligendi causa convocarentur, Consularia: si Censoris, Censoria: si Prætoris, Prætoria dicerentur. Idem de aliis Magistratibus intellige: fuerunt enim Comitia Ædilitia, Tribunitia, & Quæstoria.

9. *Quæ ipse fecisset.*] Fuit illius, qui tum erat Consul, indicere Comitia; quibus tum Consules, tum alii omnes Magistratus in annum sequentem legerentur: nec enim Prætori, Prætoria; nec Censori Censoria

que re ab Auguribus ad Senatum relata, jussu ejus [1] C. Figulus [2] è Gallia [3] Scipio Nasica è [4] Corsica Romam redierunt, & se consulatu abdicaverũt.

4. Consimili ratione [5] P. Clœlius Siculus, [6] M. Cornelius Cethegus, [7] & C. Claudius, propter [8] exta parum curiose admota aris Deorum immortalium, variis temporibus, bellisque diversis [9] flaminio abire jussi sunt, coactique etiam. [10] At Sulpicio inter sacrificandum [11] apex è capite prolapsus, sacerdotium abstulit.

5. Occentus autem soricis auditus, [12] Fabio Maximo [13] Dictaturam, [14] C. Flaminio [15] magisterium equitum deponendi causam præbuit. An. M. 3835 Ol. 139. 4. Vrb C. 532. Ant. Ch. 220.

NOTÆ.

cogere licebat. Si ambo Consules essent in urbe, inter se sortiebantur, uter eorum præesset comitiis. Si abesset uterq; , ducta sorte alter redibat. Si vero nullus esset: tum Comitiorum causa Interregẽ creari opus fuit

1. *Figulus.*] E Martiorum gente, non patricia, sed plebeia. Ipse Prætor in bello Macedonico classi præfuit, & iterum Consul contra Dalmatas rem bene gessit.

2. *E Gallia.*] Cisalpina, quæ in Cispadanam & Transpadanã vulgo dividi solet.

3. *Scipio Nasica.*] *Corculum* vulgo dictus, vir ingenio, eloquentia, & juris scientia præstantissimus.

4. *Corsica.*] Insula inter mare Ligusticum & Tyrrhenum, rupibus & montibus aspera. Nunc *Corse.*

5. *P. Clœlius.*] Clœlii patricii fuerunt Alba diruta, in urbem ab Hostilio Rege translati; quos nomen à Clœlio Æneæ comite traxisse auctor est Dionysius. Tres quatuorve hujus nominis Consules memorantur. Quis hic fuerit; incertum: is forte qui Tribunus militaris ann. urb. 376. appellatur à Livio.

6. *M. Cornelius Cethegus.*] E gente Cornelia: hujus familiæ hic princeps fuit.

7. *Claudius.*] Duplex Romæ gens Claudiorum fuit, altera patricia, altera plebeia, utraque nobilis. Ille Caius, quisquis est; ann. urb. 543. Flamen Dialis erat.

8. *Exta parum, &c.*] Cæsa victima, sacerdotis erat exta primum diligenter admovere altaribus, tum suscipere, denique omedere.

9. *Flaminio.*] Id est sacerdotio Flaminis: ut enim à Pontifice Pontificatus, ita à Flamine Flaminium dicitur.

10. *Sulpicio.*] Ser. Sulpicio Galba è patricia Sulpiciorum familia, qui Fabio Maximo in Pontificatu successit.

11. *Apex.*] Erat in summo Flaminis pileo tenuis virga, in qua extrema floccus eminebat.

12. *Fabio Maximo*] *Cunctatori*, qui & à Verruca in labris *Verrucosus*, & à mansuetudine *Ovicula* dictus est: de quo multa reperies in gente Fabia. Hic oritur quæstio perdifficilis: Cunctator enim ille Fabius, cum apud Livium, tum in fragmentis etiam Capitolinis, bis Dictator fuisse perhibetur: at quo anno, quave de causa Dictaturam primam gesserit; nec Livius, nec fragmenta illa produnt: alteram enim eo anno, quo C. Flaminius ad Thrasimenum cæsus est, gessisse apud omnes liquet. Cum vero & Plutarchus in Marcello Polybium secutus, illũ hoc fere tempore Dictatorem fuisse dicat, & uterque Consul propter bellum Istricum abesset; non temere, nisi mea me fallit opinio, suspicor, illum hoc anno Dictatorem comitiorum causa dictum fuisse. In eo tamen Plutarchus à Valerio dissentit, quod Dictaturam non à Fabio Maximo, sed à M. Minutio ob soricis occentum depositam velit. Cur Valerio potius, quam Plutarcho hac in parte assentiar, duo me movent: unum, quod M. Minutius à nemine, si Plutarchum exceperis, Dictator appelletur; alterum, quod Minutii nomen, pro Maximo, in Plutarchi textum librariorum vitio facile potuerit irrepere; cum præcipue Minutius Fabio Maximo iterum Dictatori Magister equitum fuerit.

13. *Dictaturam.*] Quæ fuerit illa dignitas, diximus in militia Romanorum.

14. *C. Flaminio*] E Quintiorum gente patricia. Ille ipse est, qui in primo Consulatu triumphavit de Gallis: in altero ad Thrasimenum ab Annibale victus cecidit.

15. *Magisterium equitum.*] Vbi creatus

An. M. 3848. Ol. 143. 3. Vrb. C. 547. Ant. Ch. 205.

6. Adijciendum his, quod [1] P. Licinio pontifici maximo virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens [2] æterni ignis custos fuisset, digna visa est quæ [3] flagro admoveretur.

7. [d] [4] Maximæ vero virginis [5] Æmiliæ discipulam, extincto igne, tutam ab omni reprehensione [6] Vestæ numen præstitit; [7] qua adorante, cum [8] carbasum, quam optimam habebat, [9] foculo imposuisset, subito ignis emicuit.

8. Non mirum igitur si pro eo imperio augendo custodiendoque pertinax Deorum indulgentia semper excubuit, [e] quod tam scrupulosa cura,

INTERPRETATIO.

[d] *Ipsa vero Vesta discipulam Æmiliæ virginis Maximæ vindicavit à supplicio*, quod illi parabatur *ob ignem extinctum; cum enim* Æmilia *adorans Vestam, injecisset in foculum pallium, quod optimum habebat, subito ignis emicuit.*

[e] *Quod maxima diligentia examinet res vel minimas, quæ ad religionem pertinent.*

NOTÆ.

erat Dictator, continuo sibi ipse deligebat Magistrum equitum; cujus eadem fuit apud Dictatorem potestas, quæ, & antea apud Reges Tribuni Celerũ, & multo post apud Imperatores Præfecti prætorio. Summum enim jus illi fuit, tum in milites, tum in accensos omnes: vetitum tamen illi fuit injussu Dictatoris confligere cum hoste, oppugnare urbes, & quidquid ad summam rerum pertineret, aggredi.

1. *P. Licinio*] Crasso, qui Pontifex Maximus etiam tum juvenis, cum sella curuli necdum sedisset, Crassorum familiam ad summos honores evexit. Ipse aliquanto post, & Consul, & Censor factus. Consule Liciniorum gentem.

2. *Æterni ignis.*] Cavebant enim diligenter, ne sacer ille ignis restingueretur, *ut ad simulacrum cœlestium syderum*, inquit Florus, *custos imperii flamma vigilaret.* Si quando tamen, seu Vestalis culpa, seu quovis alio casu extinctus esset; alio igne, quam cœlesti illum accendi nefas: puram enim & sinceram è Solis radiis flammam elicere noverant, qua sopitus ille ignis excitaretur.

3. *Flagro admoveretur.*] Quidquid Vestalis deliquisset, illam certum supplicii genus manebat: aliud tamen pro genere delicti alio gravius. Si sacer restinctus ignis, virgis cædi; si damnata incestus crimine, suffodi viva jubebatur. Erat ad portam Collinam caverna altius humi depressa & inculta tenebris, in qua stratus lectulus, ardens lucerna, ac, ne rea continuo fame periret, panis, lac, oleum. Hunc in locum postquam demissa erat Vestalis, clausumque ostium, altum fuit illo die per totam urbem silentium, ingensque mœror. Ita Dionys. & Plut.

4. *Maxima.*] Non familiæ, sed honoris hoc nomen fuit: sicut enim inter Pontifices, Pontifex Maximus; ita inter Vestales Virgo Maxima principem locum tenebat, quæ & doceret alias, & earum collegio præsideret.

5. *Æmilia.*] Gens una fuit Æmiliorum, multæ familiæ: ex quanam hæc fuerit Æmilia, obscurum est.

6. *Vestæ numen*] Seu à vi stando, seu à vestiendo Vesta dicatur, Ovidio terra est, quod & vi sua stet, & floribus herbisque vestiatur; Ciceroni vero ignis, voce à Græcis deducta: ἑστία enim ad focos pertinet. Quænam autem fuerit Vesta; docet vel historia, vel fabula potius. Diodorus Saturni filiam, Fabius Pictor Iani uxorem facit, quæ ignis æterni custodiam puellis mandaverit.

7. *Qua adorante.*] Insons Æmilia extensis super aram manibus, Vestam alta voce precata est, fasciamque à carbasea veste discissam super altare projecit: tum ex frigido cinere flamma per carbasum subito emicuit; ita civitati nec lustratione, nec novo igne opus fuit.

8, *Carbasum.*] Pallium è serico, vel tenui lino, quo fœminæ nobiles utebantur.

9. *Foculo.*] Locus est in quo fovetur ignis.

parvula

parvula quoque momenta religionis examinare videtur: quia nunquam remotos ab exactissimo cultu ceremoniarum oculos habuisse nostra civitas existimanda est. In qua cum [1] Marcellus quintum consulatum gerens templum [2] Honori, & Virtuti [3] Clastidio prius, deinde [4] Syracusis potitus, [5] nuncupatis votis debitum consecrare vellet; à collegio Pontificum impeditus est, negante unam cellam duobus Diis recte dicari. Futurum enim, si quid prodigii in ea accidisset, ne dignosceretur, utri rem divinam fieri oporteret: nec duobus [6] nisi certis Diis una sacrificari solere. Ea Pontificum admonitione effectum est, ut Marcellus, separatis ædibus, Honoris ac Virtutis simulacra [7] statueret. Neque aut collegio Pontificum auctoritas amplissimi viri, aut Marcello adjectio impensæ impedimento fuit, quominus religionibus suus tenor, suaque observatio redderetur.

An. M. 3846. Ol. 143. 1. Vrb. C. 545. Ant. Ch. 207.

9. Obruitur tot etiam illustribus [8] consularibus [9] L. Furius Bibaculus, exemplique locum vix post Marcellum invenit. Sed pii simul ac religiosi animi laude fraudandus non est: qui Prætor à patre suo collegii [10] Saliorum magistro jussus, sex [11] lictoribus præcedentibus

An. M. 3817. Ol. 135. 4. Vrb. C. 516. Ant. Ch. 236.

NOTÆ.

1. *Marcellus*] Fabii Cunctatoris æmulus: his genus, ætas prope, æqualia fuerunt, magnitudo animi par, item gloria: sed alia alii. Fabius cunctando, ne vinceret Annibal, obstitit: Marcellus pugnando illum vinci posse docuit; eamque laudem uterque adeptus est, ut populi Romani, ille scutum, hic gladius vulgo diceretur.

2. *Honori & Virtuti.*] Quibus tria Romæ templa à summis Imperatoribus dicata sunt: unum à Q. Fabio Maximo bello Ligustico; ex Cicer. l. 2. de Nat. Deorum. Alterum à M. Marcello captis Syracusis, quo de hic agitur. Tertium à C. Mario Cimbris devictis, teste Vitruvio l. 7. Quo verò Romana juventus una virtute veram solidamque gloriam comparari intelligeret, ea ratione hæc templa erant inter se disposita, ut ad Honoris ædem nullus, nisi per Virtutis templum pateret aditus.

3. *Clastidio*] Vrbe Galliæ Cisalpinæ, supra Placentiam. Strabo l. 5.

4. *Syracusis.*] Vrbs fuit Siciliæ totius his temporibus amplissima ad montem Pachynum; quæ tum ex quatuor quasi urbibus constabat, teste Cicer. l. 4. in Verrem. Vna *Insula*, altera *Acradina*, tertia *Tyche* à nobili fortunæ templo, quarta *Neapolis* dicebatur. Quintam addit Strabo *Epipolas*: nunc vocatur *Saragossa*.

5. *Nuncupatis votis.*] Votum duplex, conceptivum, quod animo tantum concipitur: nuncupativum, quod exprimitur verbis. Qui vota nuncupassent, ea libellis inscripta affigebant porticibus.

6. *Nisi certis Diis.*] Quibusdam enim, quod societate quadam inter se conjuncti crederentur, una sacrificandi mos fuit, ut Castori & Polluci; item Apollini & Dianæ.

7. *Statueret.*] Ne hoc templum dedicaret mors improvisa impediit, ex Plinio; dum enim tumulum dumis obsitum explorat imprudentius, insidiis Annibalis circumventus occubuit.

8. *Consularibus.*] Qui Consulatu perfuncti essent.

9. *Furius Bibaculus.*] An ex nobili Furiorum gente fuerit? incertum. Hujus filius in prælio Cannensi Quæstor cecidit.

10. *Saliorum Magistro*] Salios alii à saltando, alii à Salio quodam Samothrace, qui Æneæ Comites saltationem docuisse fertur, dictos volunt. Duodecim à Numa primum instituti; totidem à Tullo Hostilio additi: illi Palatini, hi verò Collini appellati: quibus omnibus insignia data sunt, super pectus tegmen æneum; dextra loricam, læva ancile, ensem ad latus, in capite apices gestare: jussique per Vrbem carmina canentes cum tripudiis, solemnique saltu incedere.

11. *Lictoribus*] Lictores dicuntur, in-

[1] arma ancilia tulit: [a] quamvis vacationem hujus officii, honoris beneficio haberet. Omnia namq; post religionem ponenda semper nostra civitas duxit, etiam in quibus summæ majestatis conspici decus voluit. [b] Quapropter non dubitaverunt sacris imperia servire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si divinæ potentiæ bene atque constanter fuissent famulata.

An. M. 3665. Ol. 97. 4. Vrb. C. 364. Ant. Ch. 388.

10. Quod animi judicium in privatorum quoque pectoribus versatum est. Urbe enim [2] à Gallis capta, cum [3] Flamen Quirinalis Virginesque Vestales sacra onere partito ferrent, easque [4] pontem Sublicium transgressas, & clivum qui ducit ad [5] Janiculum, descendere incipientes [6] L. Albanius plaustro conjugem & liberos vehens aspexisset; [c] propior publicæ religioni, quam privatæ charitati, suis ut plaustro descenderent, imperavit: atque in id virgines & sacra imposita, omisso cœpto itinere, [7] Cære in oppidum pervexit: Ubi cum summa veneratione recepta, gra-

INTERPRETATIO.

[a] *Quamvis beneficio dignitatis Prætoriæ non teneretur ad portanda ancilia.*

[b] *Quapropter Imperatores non dubitaverunt servire rebus divinis, existimantes se futuros rectores rerum humanarum, si famulati ipsi fuissent bene & constanter divino numini.*

[c] *Præferens* cultum *religionis publicæ, privato amori* erga suos.

NOTÆ.

quit Festus, quod fasces virgarum ligatos ferant. His Consules, Prætores, Interreges, Dictatores utebantur, ut summoverent populum; sontesque, vel cæderent virgis, vel securi ferirent. Ita Livius.

1. *Arma Ancilia*] Regnante Numa scutum breve è Cœlo lapsum dicitur; simulque audita vox potentissimam fore Civitatem, quandiu cœleste illud munus in ea mansisset. Scutum à figura, ex utroque enim latere recisum erat, ancile dictũ est: ne verò ab hostibus dolo sublatum nascentis Imperii ruinam secum traheret, Mamurio cuidam negotium datum est, complura hujus similia effingendi, ne cœleste dignosceretur: quod, cum ille mira arte perfecisset, mercidis loco petiit, ut Salii sub extremos suos versus ipsius nomen recitarent: idque per multa tempora, tum in Sacris, tum in Comitiis servatum esse testantur Festus & Plut.

2. *A Gallis capta*] Brenno Duce, ut dicemus infra.

3. *Flamen Quirinalis*] In honorem Romuli à Numa institutus. Quirinalis verò vocatur, vel à Romulo, qui Quirinus dictus est, vel à Curibus Sabinorum oppido, ex Varrone, vel ab hasta, quam Flamen ipse ferebat, ex Festo: Curis enim & hasta, idem est.

4. *Pontem Sublicium*] Qui Pontificibus nomen dedit, quod ab iis, & primum factus, & sæpe restitutus sit. Pons etiam Sacer, *Æmilius*, *Herculus*, & *Lepidi* dicitur. *Sublicum* non secus ac *obliquum* dici putat Scaliger. Apparent etiam nunc illius fundamenta ex solido marmore in alveo fluminis.

5. *Ianiculum*] Mons fuit trans Tiberim ab Anco Martio urbi additus, cæteris quidem altior, sed ob aëris gravitatem infrequentior, licet inde prospectus in totam urbem pateret. Inde nomen invenit, si Festo credimus, quod per hunc collem, quasi per januam in agrum Etruscum populus Romanus irrumperet; Si Macrobio, quod ibi Ianus, vel habitarit, vel sepultus sit, quod verius putem: à flavis arenis *mons aureus* nunc dicitur.

6. *L. Albanius*] melius legeris *Albinus*, qui homo plebeius fuit.

7. *Cære*] urbem Etruriæ olim nobilissi-

ra memoria ad hoc usque tempus hospitalem humanitatem testantur: Inde enim institutum est, sacra Cæremonias vocari, quia Cæretani ea, in fracto Reip. statu, perinde ac florente coluerunt, [a] Quare agreste illud & sordidum plaustrum, tempestive capax cujuslibet fulgentissimi triumphalis currus, vel æquaverit gloriam, vel antecesserit.

11. Eadem reipublicæ tempestate [1] C. Fabius Dorso memorabile exemplum servatę religionis dedit. Namque Gallis [2] Capitolium obsidentibus: ne statum [3] Fabiæ gentis sacrificium interrumperetur, [4] Gabino ritu cinctus, manibus humerisque sacra gerens, per medias hostium stationes, [5] in Quirinalem collem pervenit, [b] ubi omnibus solenni more peractis, in Capitolium post divinam venerationem victricium armorum, perinde ac victor rediit.

An. M. 3665.
Ol. 97. 4.
Vrb. C. 364.
Ant. Ch. 388.

INTERPRETATIO.

[a] *Quare agreste illud plaustrum & sordidum, quod opportune* simulacra Deorum *exceperit, vel adæquasse, vel superasse videtur gloriam cujuslibet currus triumphalis etiam fulgentissimi.*

[b] *Vbi sacrificio peracto solenni ritu, rediit in Capitolium quasi victor, postquam veneratus esset arma victricia* Romuli ibi posita

NOTÆ.

nam, quæ primum à Pelasgis *Agilla*, deinde à Lydis *Cære* appellata fuit; inde Cærites tabulæ, in quibus Censores scribebant eorum nomina, quos notæ causâ privarent suffragiis: Cæretanis enim, jus quidem Civitatis concessum, suffragii non item. Nunc *Ceructere.*

1. *C. Fabius Dorso*] vel *Dorsuo* ex nobili Fabiorum familia.

2. *Capitolium*] Templum in monte Tarpeïo Iovi sacrum: cui id nomen inditum est; quod, dum illius fundamenta jacerentur, hominis caput repertum sit; ut volunt Liv. & Plut. vel ut mavult Scaliger, quod supra totam urbem emineret: quod enim Græcis ἄκρα, verbum è verbo latinis *capitolium* est. Illud bello Sabino uovit Tarquinius Priscus, jecitque illius fundamenta; ex hostium spoliis Servius Tullius altius extruxit; perfecit Tarquinius Superbus: Horatius Pulvillus Consul dedicavit. Post hæc tempora ter, seu incendio, seu ruina eversum est: semel in dissensione civili Marium inter & Syllam, L. Scipione & C. Norbano Coss.; iterum sub Vitellio, tertium sub Tito: ter etiam restitutum, primum à L. Sylla Dictatore, tum ab Imperatore Vespasiano, denique à Domitiano, cujus ea fuit hoc in opere munificentia, ut in deauratione duodecim talentorum millia, hoc est septem milliones impenderit. Erant in hoc Templo tres ædes, una Iunonis, altera Minervæ, tertia, quæ, & media, & maxima fuit, Iovis. Illius limina ænea, inaurata laquearia, vasa argentea, ambitus duodecim jugerum, &c. si quis plura requirat Dionysium consulat.

3. *Statum Fabiæ gentis*] Quod gens Fabia certis diebus in colle Quirinali sacrificare teneretur.

4. *Gabino ritu cinctus*] Quæ nam togæ componendæ ratio *ritus Gabinus* diceretur, sic commode explicari potest. Togæ lacinia, quæ sinistro brachio imponi vulgo solebat, primum in tergum rejicienda, post contrahenda tum ita retrahenda ad pectus; ut in nodum; qui togam breviorem redderet, necteretur. Hic ritus à Gabiis Latii urbe nomen invenit, quod illi cives dum forte sacris operantur togati, ingruentibus hostibus, subito contractis eâ ratione togis obviam ire ausi sint, iisque fusis victores redierint. Hoc modo præcinctus Consul solebat bella indicere, Imperator sacra facere, cremare hostium spolia, &c.

5. *In collem Quirinalem*] Sextæ regionis pars erat præcipua; nomen illi factum, vel à Curetibus, qui una cum Tatio Curibus Romam venerunt; ita Varro; vel à Templo, quod ibi Quirino dicatum est,

An. M. 3873. Ol. 149. 4. Vrb. C. 572. Ant. Ch. 182.

12. Magna conservandæ religionis etiam [1] P. Cornelio, & Bæbio Tamphilo Coss. apud majores nostros acta cura est. Siquidem in agro L. Petillii [2] scribę sub Janiculo cultoribus terram [3] altius versantibus, [4] duabus arcis lapideis repertis: quarum in altera scriptura indicabat, Corpus [5] Numę Pompilii Pomponis filii fuisse: [6] in altera libri reconditi erant Latini septem de jure Pontificum, totidemque Græci [7] de disciplina sapientiæ [8]: Latinos magna diligentia asservandos curaverunt: Græcos, quia aliqua ex parte ad solvendam religionem pertinere existimabantur [9] L. Petillius Prętor Urbanus [10] ex authoritate Senatus [11] per vi-

NOTÆ.

ut placet aliis apud Festum. Multis annis post *Caballus* dictus est à duabus Statuis marmoreis Alexandri magni Bucephalum domâtis; quarum alteram Phidias, alteram Praxiteles finxerat; utramque Constantinus Imperator Alexandria Romam deferri, & in thermis, quas ipse in colle Quirinali extruxerat, collocari jussit. Hæc Onuphrius.

1. *P. Cornelio, & Bæbio Tamphilo.*] De his Consulibus certum est, unum *P. Cornelium*, alterum M. Bæbium nominatum fuisse, illumque è patricia Corneliorum, hunc verò è plebeia Bæbiorum gente: at, quod utrique cognomen fuerit, incertum. Cornelius enim à Livio & Cassiodoro vocatur *Lentulus*; à Probo in Annibale, Plinio l. 13. c. 13. & tabulis Capitolinis *Cethegus* appellatur. Bæbius etiam, ab aliis *Tamphilus*, ab aliis *Pamphilus* dicitur. Cum Ligures ad duodecim millia improviso oppressos cepissent, omnium primi, inquit Livius, nullo gesto bello triumpharunt.

2. *Scribæ.*] Erant Librarii in multas translati decurias, Quæstoriorum, Ædiliciorum, Prætoriorum, &c. quorum erat rationes publicas in tabulas referre, leges, actaque omnia perscribere, &c.

3. *Altius versantibus*] Hoc est dum terram fodiendo inverterent: ita etiam scribit Livius. Plutarchus verò tumulum, in quo arcæ defossæ erant, imbribus perruptum tradit, arcasque aquarum impetu è loco avulsas.

4. *Duabus arcis.*] Cassius Hemina apud Plinium in duobus à Valerio dissentit; quod & Scribam Cn. Terentium nominet, & unius tantum arcæ meminerit.

5. *Numæ Pompilii.*] qui genere Sabinus, Curibus oriundus, Tatii gener post Romulum Rex electus, clauso Iani templo perpetuum suis otium fecit, sacra constituit, &c.

6. *In altera libri.*] Quæ titulum Regis sepulti habuerat, inanis inventa sine ullo vestigio humani corporis; in altera vel lapis repertus ut vult Plinius l. 13. c. 13. vel duo fasces ut Livius l. 40. candelis involuti, & in singulis septem libri non integri modo, sed recentissima specie. Vt arcarum, ita librorum numerum alii alium produnt, Livius quidem Valerio consentit, sed apud Plinium duodecim Varro; quinque Valerius Antias numerant.

7. *De disciplina sapientiæ.*] Pythagoricos fuisse tradit Valerius Antias; Pythagoræ enim discipulum fuisse Numam multi putarunt, verè an secus, nihil ad hunc locum pertinet.

8. *Latinos magna diligentia.*] Omnes sine discrimine combustos memorant Livius & Plut.

9. *L. Petilius.*] Dicitur à Livio Q. Petilius Spurinus, qui Consul anno urbis 578. dum adversus Ligures pugnat incautius, hastili trajectus occubuit.

10. *Autoritate Senatus.*] Cum eos libros perlegisset Prætor, palam asseveravit illos, nec legi, nec servari oportere: quare Senatus in comitio primo quoque tempore cremandos censuit. Hæc pluribus Livius l. 40. Nefanda quamplurima edoctum à Dæmone Numam scribit S. Augustinus; quæ, cum perficere non auderet, humi secum defoderit.

11. *Per Victimarios.*] Erant Sacerdotum ministri, quorum fuit ligare victimam, cultrum, aquam, molam, & alia hujusmodi parare, quæ in Sacrificiis usui esse possent.

ctimarios igne facto, in conspectu populi cremavit. Noluerunt enim prisci viri quicquam in hac asservari civitate, quo animi à Deorum cultu avocarentur.

13. [1] Tarquinius autem Rex [2] M. Tullium [3] Duumvirum, quod librum secreta civilium sacrorum continentem, custodię suę commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, [4] culeo insutum in mare abjici jussit: Idque supplicii genus [5] multo post parricidis lege irrogatum est. Justissime quidem: quia pari vindicta parentum ac Deorum violatio expianda est.

14 Sed in his quæ custodiam religionis attinent, nescio an omnes. [6] M. Atilius præcesserit, qui [7] ex victore speciosissimo [8] insidiis [9] Asdru- An. M. 3803. Ol. 132. 2. Vrb. C. 502. Ant. C. 250.

NOTÆ.

1. *Tarquinius.*] Prisco, an Superbo libri Sibyllini oblati sint, non liquet. Prisco, Solinus, Lactant. & Servius: Superbo datos volunt Varro & Dionys. Quod similius vero videtur cum Duumviros à Superbo creatos testentur plerique.

2. *M. Tullium.*] Virum nobilem fuisse ex eo patet, quod Tarquinius Duumviros è Nobilium numero legerit.

3. *Duumvirum.*] Lege quæ in Sacerdotiis Romanorum multis super hac re, & de Sibyllis disseruimus.

4. *Culeo insutum.*] Corium erat lupinum, in quo gallus, serpens, simia, & reus inclusi in fluvium projiciebantur, idque supplicii genus eo fuit gravius, quod gallus serpentem, serpens simiam, simiaque hominem dilaceraret.

5. *Multo post parricidis.*] Cum Hostius quidam patrem occidisset haud multo post bellum Punicum secundum, latam hanc legem vult Sigonius; quam, & Sylla Dictator renovavit, & Pompeius Magnus Consul; qui jussit parricidas primum virgis sanguineis cædi, deinde una cum cane, gallo, vipera, & simia consui in culeo, tum in mare projici. Ita Modestinus & Iustinianus.

6. *M. Atilius.*] Regulus suis & victoriis & cladibus illustris ex nobili Atiliorum gente.

7. *Ex victore speciosissimo.*] Navali pugna Hannonem & Amilcarem, terrestri tres alios hostium duces vicerat: centum ceperat urbes ex Eusebio, oppida ducenta ducentaque hominum millia, ex Victore; tantamque spem delendæ Carthaginis conceperat, ut & pacem æquis conditionibus oblatam repudiarit, & Carthaginis portas metu obsignatas tenere se Romam scripserit.

8. *Insidiis.*] Dum Romani castra tuentur negligentius, Xanthippus ex improviso eos adortus victoriam retulit. Ita Zonaras: refert tamen Polybius, cui libentius crediderim, non insidiis actum esse, sed instructa utrimq; acie iusto prælio dimicatum.

9. *Asdrubalis.*] Cum in Valerio nomen illud sæpius occurrat, pluresque fuerint hoc nomine Pœnorum duces; ne cui forte errorem objiciat nominum similitudo, operæ pretium facturum me putavi, si hoc in loco paucis apponerem ea, quibus alius ab alio facile dignosci possit. Quinque potissimum fuerunt Carthaginiensium duces, quibus omnibus idem Asdrubalis nomen fuit. Vnus is, quem hic appellat Valerius, Hannonis filius, qui haud multo post à Metello victus à suisque occisus est. Alter Amilcaris & gener, & in Hispania successor, qui necatus à servo Annibali uxoris fratri imperium reliquit. Tertius frater Annibalis, cui dum auxilium ferret in Italiam, à Claudio Nerone & Livio Salinatore victus ad Metaurum flumen cecidit. Quartus Gisconis filius, & Sophonisbæ pater, qui ab Africano majore sæpius, tum in Hispania, tum in Africa superatus est, missusque Romam pacem obtinuit. Quintus ille fuit, qui Carthagine à Scipione Æmiliano capta, clam ad ipsum perfugit, relicta in arce conjuge, quæ liberos, ut Asdrubali ignaviam exprobraret, sua manu interfecit.

balis, [1] & Xanthippi Lacedæmonii ducis, [2] ad miserabilem captivi formam deductus, ac missus ad S. P. Q. R. legatus, ut ex se & uno, & sene, complures Pœnorum juvenes pensarentur: [3] in contrarium dato consilio, [4] Carthaginem [5] repetit: non ignarus ad quam crudeles, quamque etiam [6] merito infestos sibi Deos reverteretur: Verum his juraverat, si captivi eorum redditi non forent, ad eos se rediturum. Potuerunt profecto Dii immortales efferatam mitigare sævitiam: ceterum quo clarior esset Atilii gloria, [a] Carthaginenses moribus suis uti passi sunt [7] tertio Punico bello religiosissimi spiritus [8] tam crudeliter vexati, urbis eorum interitu justa exacturi piacula.

An. M. 38,8. Ol. 141. 1. Urb. C. 537. Ant. Ch. 215.

15. Quanto nostræ civitatis Senatus venerabilior in Deos! qui post Cannensem cladem decrevit, ne matronæ ultra [9] trigesimum diem luctus suos extenderent, uti ab his sacra Cereris peragi possent: quia [10] majore pene Romanorum virorum parte in execrabili ac diro solo jacente, nullius penates mœroris expertes erant. Itaque matres ac filiæ, conjugesque, & sorores, nuper interfectorum abstersis lachrimis, de-

INTERPRETATIO.

[a] *Visi sunt Dii permittere ut Carthaginenses sibi innata crudelitate Attilium lacerarent, ut ipsi Dii sumerent supplicia merita ob* Regulum *virum religiosum tam crudeliter vexatum, eversione illorum Civitatis in tertio bello Punico.*

NOTÆ.

1. *Xanthippi.*] Lacedæmonii, qui Carthaginiensibus auxilio venerat.

2. *Ad miserabilem captivi, &c.*] Capti etiam cum duce Romani quingenti, cæsa vero 20 millia ex Polyb. & Cresio. Numerum auget Eutropius, qui 5. millia capta scribit, occisa vero 30 millia; tantaque accepta clades, ut ex potentissimo exercitu, vix duo millia Clupeam fuga pervenerint.

3. *In contrarium dato consilio.*] Cum negaret se, aut diu victurum, qui dudum Carthagini venenum ebibisset: ita enim Gellius & Zonaras; aut mansurum in ea civitate, in qua dignitatem honesti civis Pœnorum captivus retinere non posset. Ita Eutrop. Eaque fuit, seu fide in Pœnos, seu severitate in suos, ut nec urbem ingredi, nec uxorem ad colloquium admittere sustinuerit.

4. *Carthaginem*] Romæ his temporibus æmulam. Tyriorum colonia fuit in ora Africæ maritima, suis etiam victoriis & clade clarissima. *Cartin* ex ejus ruinis Tunetum exercuit. De his fusius in Iustino.

5. *Repetit.*] Iurejurando enim adstrictus erat, ut, si nec pacem, nec captivorum permutationem obtineret, rediret ad vincula.

6. *Merito infestos.*] Quod multa ipse Pœnorum millia occidisset.

7. *Tertio bello.*] Cum à Scipione Æmiliano capta & incensa Carthago est; penitusque subversa.

8. *Tam crudeliter vexati.*] Diris sane suppliciis cruciatus est Atilius: primum quidem, & id tantum cibi datum est, unde vitam ægre sustentaret; & adductus elephas, à quo territus, nec animo, nec corpore conquiesceret: tum præcisis palpebris, ne connivere posset, solis radiis objectus est: in dolio denique inclusus præfixo claviculis, quorum aculeis misere laceratus interiit. Hæc fere Gellius & Zonaras. Quod ubi Romam allatum est, Pœnorum captivorum nobilissimi quique Attilii liberis dediti sunt, & ab iis haud absimili mortis genere interempti.

9. *Trigesimum diem.*] Per annum lugere moris erat.

10. *Majore parte Romanorum, &c.*]

positisque doloris insignibus, candidam induere vestem, & aris dare thura coactæ sunt; [a] Qua quidem constantia obtinendæ religionis, magnus cœlestibus injectus est rubor ulterius adversus eam sæviendi gentem; quæ ne injuriarum quidem acerbitate ab eorum cultu absterreri potuerat.

NEGLECTA.

16. Creditum est, [1] Varronem Consulem [2] apud Cannas cum Carthaginiensibus tam feliciter dimicasse ob iram Junonis: quod cum [3] Lu-

Interpretatio.

a *Qua quidem constantia in observanda religione pudore quodam affecit Deos, & illos movit ne deinceps adversarentur illi nationi, qua non potuerat avocari ab eorum cultu, magnitudine cladis accepta.*

Notæ.

qua navalis certaminis species exhibebatur Quadraginta millia peditum cæsa dicuntur, tria fere equitum. In his Consulum alter Æmilius Paulus, duo præcedentis anni Consules, Quæstores duo, 20 Tribuni militares, Consulares quidam, Ædilitii, Prætoresque multi, 80. præterea Senatores, capta peditum tria millia, equitesque trecenti. In hoc omnes consentiunt auctores: de annulis infra.

1. *Varronem.*] C. *Terentius Varro* dictus est, humili loco natus; pater enim illius, teste Livio, lanius fuit, mercisque institor, filioque in servili ejus artis ministerio usus. Is mortuo patre proclamando pro sordidis hominibus adversus rem famamque bonorum, primo in populi notitiam, deinde ad honores pervenit. Quæstura duplici, Ædilitate tum plebeia, tum curuli, Præturaque perfunctus Consulatum adeptus est homo temerarius; cui post cladem Cannensem, cujus author fuerat, in urbem redeunti, & à populo, & à Senatu gratiæ actæ sunt, quod de Republica non desperasset, oblataque Dictatura. Liv.

2. *Apud Cannas.*] Apuliæ oppidum, non procul ab Aufido flumine. Nunc illius tantum supersunt rudera, diciturque *Canna destrutta.*

3. *Ludos Circenses.*] Ludi apud Romanos duplicis erant generis; alii Scenici à Scena; alii Circenses, à Circo dicti. De Circensibus tria potissimum hic quærenda mihi visa sunt, quid Circus fuerit, unde hoc illi nomen, quique ludi in eo exhiberentur. 1. Cum Romana res nondum adolevisset, in insula Tiberina ludi primum celebrati: erant pro meta enses ex una parte, ex altera Tiberis. Ita Servius. Deinde Tarquinius Priscus inter Palatinum & Aventinum montem Circum maximum extruxit, cujus longitudo trium stadiorum cum dimidio, latitudo quatuor jugerum: tum tectum impositum, sedilia facta, loca in triginta curias divisa: à duobus lateribus Euripo cingitur, qui aquas recipiat; post Euripum exstructæ triporticus, ex quibus una conficitur amphitheatralis octo stadiorum amplitudine, capax 150 millia hominum. Hæc & plura Dionysius. Omnia persequi ornamenta infinitum sit. 2. Circus dicitur, vel quod circum metas & pompa ferretur & equites currerent, vel quod spectaculis undique in circuitu ædificatis in medio ludi celebrarentur. 3. Hi ludi in septé quasi classes tribui possunt; quarum prima, pugna fuit cum cæstibus, pugnis, fustibus, gladiis, pilis, hastis, &c. ad quam pertinet, tum gladiatura, tum certamen cum bestiis, quorum utrumque ingenuis infame fuit: tum etiam lucta, cum alter alterum seu vi, seu agilitate corporis humi sternere nitebatur. Altera, cursus. Tertia saltatio in æquo campo, aut ex inferriori loco ad superiorem, & contra: aut cum in equos insiliebant, vel nudi vel cataphracti. Quarta, jaculatio discorum, sagittarum, pilarum, telorum. Quinta, equestris pugna. Sexta, aurigatio, qua bigæ, quadrigæve certabant. Septima, naumachia,

An. M. 3833. dos Circenſes [1] Ædilis faceret, in [2] Jovis Opt. Max. templo eximia facie puerum [3] hiſtrionem ad excubias tenendas poſuiſſet: [a] quod factum
Ol. 139. 4. poſt aliquot annos memoria repetitum, [4] ſacrificiis expiatum eſt.
Vrb. C. 532.
Ant. C. 220.

17. [5] Hercules quoque detractæ religionis ſuæ, & gravem & manifeſtam pœnam exegiſſe traditur. [b] Nam cum [6] Potitii ſacrorum ejus ritum (quem pro dono genti eorum ab ipſo aſſignatum, velut hæreditarium obtinuerant) [7] auctore Appio [8] Cenſore, ad humile ſervorum miniſterium tranſtuliſſent: qui erant numero ſuper XXX. puberes, [9] intra annum extincti ſunt, nomenque Potitium [10] in duodecim familias diviſum, prope interiit. Appius verò [11] luminibus captus eſt.

An. M. 3742.
Ol. 117. 1.
Vrb. C. 441.
Ant. D. 311.

18. Acer etiam ſui numinis vindex Apollo, qui Carthagine à Romanis oppreſſa, [c] veſte aurea nudatus, id egit, ut ſacrilegæ manus inter

An M. 3908.
Ol. 158. 3.
Vrb. C. 607.
Ant. C. 145.

INTERPRETATIO.

[a] *Quod ſcelus revocatum in memoriam, poſt aliquot annos, purgatum eſt ſacrificiis.*

[b] *Nam cum Potitii permiſiſſent ſervis peragere ſacra ipſius* Herculis: *quod munus ab Hercule ſua genti aßignatum pro dono ſemper obtinuerant tanquam hereditarium.*

[c] *Cum Apollinis ſimulacrum aurea veſte nudatum eſſet à milite, effecit, ut* illius *manus ſacrilega abſciſſa à corpore reperirentur inter fragmenta* veſtis *illius.*

NOTÆ.

1. *Ædilis.*] Quæ fuerit hæc dignitas, in Magiſtratibus Romanorum explicuimus.

2. *Iovis Opt. Max. templ.*] Capitolio Iupiter ob beneficia, optimus; ob vim, maximus dicitur.

3. *Hiſtrionem.*] Sunt qui hiſtrionem ab Iſtria dictum putent: quod, qui primus Romæ ſcenicam artem exercuit, ab Iſtria venerit; verius tamen Livius l. 7. teſtatur Ludiones an. Vrb. 389. ex Etruria accitos, qui ſine carmine ullo ad tibicinis modos ſaltantes, haud indecoros motus more Thuſco dabant: cumque ludio Thuſco vocabulo diceretur hiſter; inde iis omnibus, qui perſonati, tum voce, tum corporis geſtu, ſeu Comœdias, ſeu Tragœdias agerent, hiſtrionis nomen factum eſt.

4. *Sacrificiis expiatum.*] In eo peccaverat Varro, quod ad excubias poſuiſſet, & hiſtrionem, quod genus hominum infame, & eximia facie puerum, à quo cum ipſe, tum populus poſſet ad libidinem incitari.

5. *Herculis quoque.*] Quot fuerint Hercules, quidque ſinguli geſſerint, fabulis notiſſimum.

6. *Potitii.*] De Potitiis in Romanorum Sacerdotiis egimus.

7. *Auctore Appio.*] Claudio, qui vulgo Cæcus dicitur, quique & ſenex & cæcus turpes pacis cum Pyrrho conditiones oratione ſua diſcuſſit. De illo plura reperies in Claudiorum gente.

8. *Cenſore.*] Conſule Magiſtratus Romanorum, ubi quæ fuerit Cenſoria poteſtas, pluribus diſſeruimus.

9. *Intra annum.*] In duobus Feſtus diſſentit à Valerio, quod & omnes Potitios, & intra diem trigeſimum interiiſſe dicat ob ſpretum Martis numen; cujus ſacrificiis adeſſe ſervis, libertis, mulieribuſque nefas erat.

10. *In 12. familias.*] Hoc gentem inter & familiam intereſt, quod gens multo latius, quam familia pateat. Sed hac de re in familiis Romanorum ſuperius egimus.

11. *Luminibus captus.*] Non cæcus fuit Appius, ſi Diodoro credimus: ſed ut Senatus effugeret invidiam, ſe continuit domi, cæcitatemque ſimulavit: Cenſor enim multos in Senatum eo ordine indignos, etiam è libertinorum cenſu legerat, qui paulo poſt, cum Senatus cogeretur à Conſulibus repudiati, ſunt. Ex Livio.

fragmenta

fragmenta ejus abscissæ invenirentur. [1] Brennus Gallorum dux, [2] Delphis [3] Apollinis templum [4] ingressus, [5] Dei voluntate [6] in se manus vertit.

19. Nec minus efficax ultor contemptæ religionis filius quoque ejus [7] Æsculapius, qui consecratum templo suo lucum [8] à Turullio præfecto [9] Antonii, ad naves ei faciendas, magna ex parte succisum dolens, [a] inter ipsum nefarium ministerium [10] devictis partibus Antonii, An. M. 4024.
Ol. 187. 3.
[11] imperio Cæsaris destinatum morti Turullium, manifestis numinis sui Vrb. C. 723.
viribus eum in lucum, quem violaverat, traxit: effecitque Deus, ut ibi Ant. Ch. 29.
potissimum à militibus Cæsarianis occisus, eodem exitio, & eversis jam arboribus pœnas lueret, & adhuc superantibus, impunitatem consimilis injuriæ pareret: suamque venerationem, quam apud colentes maximam semper habuerat, multiplicaret.

INTERPRETATIO.

a *Dum naves fierent sacrilego illius ministerio, superato ad* Actium *exercitu Antonii, Æsculapius potentia sua divinitatis Turullium destinatum neci jussu Augusti traxit in lucum ipsum, quem violaverat; & efficit, ut à militibus Cæsaris interfectus* in eo loco potius, quam alibi, *& puniretur ob succisas jam arbores, & impediret, ne similis injuria inferretur arboribus adhuc extantibus, & multum augeret venerationem, quam cultores ipsius* Æsculapii *erga illum semper habuerant maximam.*

NOTÆ.

1. *Brennus.*] Qui vastata Pannonia cum 150 peditum, 20 equitum millibus in Græciam penetravit.

2. *Delphis.*] Vrbs fuit Phocidis, ad Parnassum montem, Apollinis oraculo celeberrima. *Delpho* etiam nunc, *Castri* Sophiano, & *Salona* Nigro.

3. *Apollinis templum.*] Hujus templi originem ita tradit Diodorus. Erat ingens terræ hiatus, quo forte accedentes capellæ continuo sonos & gestus mirificos edere: quod ubi vidit pastor, & ipse accessit; quem incolæ plerique imitati, idem, quod capellis acciderat, experti sunt: quare quisque hoc oraculo rebus in dubiis pro se uti cœpit: cum vero alienata mente in patentem hiatum præcipitarentur, placuit vaticinandi munus, primum virgini, deinde vetulæ sacerdoti committi, quo ut tutius fungeretur, machina super hiatum extructa; quæ, quod tres pedes haberet, tripodis nomen obtinuit.

4. *Ingressus.*] Templum non ingressus est, illius enim potiundi spoliandique causa, cum montem superare niteretur, repulsus est.

5. *Dei voluntate.*] Qui in speciem juvenis mira pulchritudine apparuisse, animosque suis addidisse fertur.

6. *In se manus vertit.*] Pugione vitam finiit, ex Iustino, cum dolorem vulnerum ferre non posset. Veneno, ex Pausania: largius hausto mero, ex aliis.

7. *Æsculapius.*] Medicinæ præses, ideo Apollinis filius fingitur. Multa de illo fabulantur Poetæ.

8. *Turullio.*] Qui inter C. Cæsaris percussores proscriptus Cassii Quæstor fuit, postea in bello Actiaco ab Antonii partibus stetit: sed ab illo jam victo traditus Octavio, cujus jussu in insula Coo, ubi lucum Æsculapii classis parandæ causa succiderat, occisus est; ut habet Dio.

9. *Antonii.*] Triumviri, qui Antonii Cretici filius fuit: de cujus moribus & gestis Antoniorum familiam consule.

10. *Devictis partibus Antonii.*] Ad Actium, ubi, cum æquo Marte pugnaretur, Antonius subito refugientem temere Cleopatram homo uxorius persequitur, pugna deserta, in qua de orbis imperio dimicabat.

11. *Imperio Cæsaris.*] Octavii, qui ab

An. M. 3880. 20 [1] Q. autem Fulvius Flaccus impune non tulit, quod in censura
Ol. 151. 3. [2] tegulas marmoreas ex [3] Junonis Laciniæ templo in ædem [4] Fortunæ E-
Vrb. C. 579. questris [5] quam Romæ faciebat, transtulit. Negatur enim, post factum,
Ant. Ch. 173. mente constitisse: quin etiam per summam ægritudinem animi expiravit, cum ex duobus filiis [6] in Illyrico militantibus, alterum decessisse, alterum graviter audisset affectum. [a] Cujus casu motus Senatus [7] tegulas [8] Locros reportandas curavit: decretique circumspectissima sanctione impium opus Censoris retexuit.

An. M. 3850. 21 [b] Tam me hercule, quam [9] Q. Pleminii legati [10] Scipionis, [11] in-

INTERPRETATIO.

[a] *Cujus Fulvii calamitate permotus Senatus & jussit tegulas referri Locros, & impium facinus Censoris reparavit prudentissima sanctitate edicti.*

[b] *Mehercule Senatus prudenti edicto tam delevit crimen Censoris, quam punivit avaritiam Pleminii, &c.*

NOTÆ.

avunculo Iulio Cæsare hæres scriptus sibi Cæsaris nomen assumpsit.

1. *Q. autem Fulvius Flaccus.*] Fulvii Flacci quater Consulis filius, qui ex Prætura sortitus Hispaniam, ter Celtiberos vicit. Vide gentem Fulviam.

2. *Tegulas marmoreas.*] In quibus, si quis nomen suum ferro incidisset, illa scriptura, dum ille viveret, mansisse: ubi mortuus esset, continuo evanuisse dicitur. Servius.

3. *Iunonis Laciniæ.*] Fuerunt Iunonis varia pro variis illius officiis nomina: Regina, Moneta, Sospita, Lucina, &c. dicebatur, & Lacinia, vel à Lacinio promontorio, vel à Rege, qui hoc templum condidit, vel à Lacinio latrone nobilissimo, quem cum occidisset Hercules, Iunoni, quam sibi iratam senserat, templum dedicavit, cui à latronis nomine nomen indidit. Vnde Virgilius,

Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur: attollit se diva Lacinia contra.

4 *Fortunæ Equestris.*] Vt Iunoni, sic Fortunæ multa Romæ fuerunt, & templa, & nomina: erat Primigenia, Obsequens, Publica, & Equestris, quod illius effigies equo insideret.

5 *Quam Romæ faciebat.*] Decedentem è Provincia Fulvium Celtiberi in loco saltuoso adoriuntur: tum ille pro re & tempore instruere aciem, suos hortari; ubique, ut potest, resistere: facies tamen totius negotii varia, fœda, & miserabilis: equi, viri, hostes, cives permisti: nihil consilio, nihil imperio agi, fortuna omnia regere; cum equites una impetu facto initium victoriæ fecerunt: quod ubi advertit Fulvius, Fortunæ Equestri templum, Iovi ludos vovet. Nec mora, fusi fugatique hostes, & ad 17. millia cæsi.

6. *Illyrico.*] Quod ex una parte ad mare Adriaticum, ex altera ad Pannoniam & Macedoniam pertinebat.

7. *Tegulas Locros reportandas.*] Vix dubium est, quin *illico* non *Locros* legendum sit; licet enim montem Lacinium in agro Locrensi fuisse dicat Plinius; Livius tamen l. 34. Strabo l. 6. Servius, aliique omnes in Crotoniensium ditione collocant.

8 *Locros.*] Fuit magnæ Græciæ civitas ad Zephyrium promontorium in Brutiorum confinio, quæ & Naricia à Virgilio dicitur, vel à Locrensibus Ozolis Evante duce, vel ab Ajace Oïleo condita, ut ait Solinus. *Gueraci.*

9. *Q. Pleminii legati.*] Penes quem absente Imperatore summa potestas erat. Plura leges in Militia Romanorum.

10. *Scipionis.*] Africani majoris, de quo sæpius dicemus.

11. *In Thesauro Proserpinæ.*] Pleminius à Scipione cum præsidio Locris præfectus, templum Proserpinæ, quod ibi nobilissimum erat & opulentissimum, diripuit.

thesauro [1] Proserpinæ spoliando sceleratam avaritiam justa animadversio- Ol. 144. 1.
ne vindicavit. Cum enim [2] vinctum Romam pertrahi jussisset, is ante causæ Vrb. C. 549.
dictionem in carcere teterrimo genere morbi [3] consumptus est: pecu- Ant. Ch. 205.
niam Dea ejusdem Senatus imperio, & quidem summam duplicando, recuperavit.

Externa exempla observatæ vel neglectæ religionis.

1. Quod quidem ad Pleminii facinus pertinuit; bene à Patribus Con- An. M. 3778.
scriptis vindicatum est. Quod ad violentas Regis [4] Pyrrhi sordeis atti- Ol. 526. 1.
nuerat, [a] seipsam potenter atque efficaciter Dea defendit. [5] Coactis enim Vrb. C. 477.
Locrensibus, ex thesauro ejus, magnam illi pecuniam dare, cum onu- Ant. Ch. 275.
stus nefaria præda [6] navigaret, vi subitæ tempestatis [b] tota cum classe vicinis Deæ littoribus illisus est; in quibus pecunia incolumis reperta, sanctissimi thesauri [7] custodiæ restituta est.

2. At non similiter [8] Masinissa Rex; cujus cum præfectus classis [9] Me- An. M. 3850.
litam appulisset, éque fano Junonis denteis eburneos eximiæ magnitu- Ol. 144. 1.
dinis sublatos, ad eum pro dono attulisset: ut comperit unde advecti essent, Vrb. C. 549. Ant. Ch. 205.

INTERPRETATIO.

a *Dea ulta est potenter & efficaciter violentam avaritiam Pyrrhi.*

b *Tota illius classis illisa est littoribus vicinis templo Deæ Proserpinæ.*

NOTÆ.

1. *Proserpinæ.*] Non est animus quæcunque de Diis Poëtæ commenti sunt, huncin librum transferre; cum vel pueris nota sint: Quis enim Proserpinam Iovis fuisse, Cererisque filiam nesciat, raptamque à Plutone, dum in campis Ennæis flores legeret.

2. *Vinctum Romam, &c.*] Post direptam pecuniam, tantus omnibus est injectus furor, ut dux in ducem, milesque in militem insurgeret: cumque Pleminius in Tribunos seditionis auctores animadvertisset paulo severius, à militibus naso, auribusque abscissis, exanguis relictus est. Qua re audita Scipio Messana Locros advolat, Tribunosque in vincula conjectos Romam duci jubet. At Pleminius ira impotens, cum Tribunos omnes, tum multos etiam Locrensium omnibus laceratos suppliciis enecat: quare legati à Locrensibus Romam missi, qui de Pleminii crudelitate querantur. Ita Livius l. 36.

3. *Consumptus est.*] Clodius Licinius apud Livium in Tulliano carcere necatum tradit, quod de urbe per sceleratos homines incendenda cogitasset; id tamen multis post annis, Scipione iterum Consule contigit: alii volunt illum continuo in vinculis mortuum.

4. *Pyrrhi sordes.*] Epirotarum Regis, qui genere materno ab Achille, paterno ab Hercule oriundum se gloriabatur. De illo postea.

5. *Coactis enim Locrensibus.*] E Sicilia rediens cum Locros classe prætervehcretur, Proserpinæ thesauros ad eam diem intactos secum abstulit.

6. *Navigaret.*] Ipse relicta classe terra iter habebat.

7. *Custodiæ restituta est.*] Fractis tempestate navibus nihil integrum præter pecuniam relictum est. Qua clade admonitus Pyrrhus pecuniam omnem Locros referri jussit.

8. *Masinissa.*] Gelæ Massæsulorum Regis filius, primum Carthaginensium, deinde Romanorum amicus, cujus frequens fiet mentio.

9. *Melitam.*] Insulam maris Siculi, in qua templum erat Iunonis perantiquum, Nunc *Malte*.

[1] quinqueremi reportandos Melitam, inque templo Junonis collocandos curavit, insculptos gentis suæ literis, significantibus Regem ignorantem eos accepisse & libenter Deæ reddidisse. [a] Factum Masinissæ plus animo, quam Punico sanguini conveniens: [b] quanquam quid attinet mores natione pendi? in media barbaria ortus, sacrilegium rescidit alienum.

An. M. 3657.
Ol. 95. 4.
Vrb. C. 356.
Ant. Ch. 396.

3. [c] Syracusis [2] Dionysius genitus, tot sacrilegia sua, quot jam recognoscimus, jocosis dictis prosequi voluptatis loco duxit: fano enim Proserpinæ spoliato Locris, cum per altum secundo vento classe veheretur, ridens amicis, Videtisne ait, quam bona navigatio ab ipsis Diis immortalibus sacrilegis tribuatur? Detracto etiam [3] Jovi Olympio magni ponderis aureo amiculo, quo eum Tyrannus [4] Hiero è manubiis Carthaginensium ornaverat, injectoque ei laneo pallio, dixit; æstate grave amiculum esse, hieme frigidum: laneum autem ad utrumque tempus anni aptius. Idem [5] Epidauri Æsculapio [6] barbam auream demi jussit: quod affirmaret, non convenire patrem Apollinem imberbem, ipsum barbatum conspici. Idem mensas argenteas, atque aureas è fanis sustulit: quodque in his more Græciæ scriptum erat, bonorum Deorum eas esse, uti se bonitate eorum prædicavit. Idem [7] victorias aureas, pateras, & coronas, quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, tollebat; &

Interpretatio.

[a] Quod factum magis conveniens animo Masinissa, qui pius erat; quam genti Punica.

[b] Quanquam non debent mores æstimari à loco in quo contigit nasci: sacrilegium enim quod alter commiserat, vir pius, licet in media ortus barbarie expiavit.

[c] Dionysius natus Syracusis delectabatur jocari dictis impiis de tot sacrilegiis suis, quot jam recensemus.

Notæ.

1. *Quinqueremi.*] Genus navis quoddam est, cui quinque remorum ordines.

2. *Dionysius.*] Senior, qui occupata per fraudem tyrannide, sua crudelitate nobilitatus est: vir tamen bello strenuus, à quo victi sæpius Carthaginenses.

3. *Iovi Olympio.*] Haud procul à Syracusis templum illud fuit, ex Cicer. Orat. in Verrem. Iupiter dicitur *Olympius* ab Olympo Thessaliæ monte, in quo, quod olim habitarit, Cœli regnum sortitus à Poëtis fingitur: eadem enim est, & Cœli, & hujus montis propter altitudinem appellatio.

4. *Hiero.*], Tres fratres Syracusis rerum potiti sunt Hiero, Hippocrates, & Gelo: non tamen ab Hierone, ut vult Valerius, sed à Gelone victi Carthaginenses. Dum Xerxes invadit Græciam, Carthaginenses icto cum ipsis fœdere impulit, ut Siciliam totis viribus aggrederentur: sed ut Xerxes à Græcis victus, fugatusque est; ita ipsi Gelonis dolo & virtute tanta strage cæsi, ut amissis suorum 150. millibus, vix pauci cladis nuntii domum redierint. Sed hæc pluribus in Iustino.

5. *Epidauri.*] Falsus est opinione sua Servius, dum Epidaurum in Epiro collocat. Sita enim est in Peloponneso ad sinum Saronicum; ibique Æsculapius religiosissime colebatur. Dicitur nunc *Malvasia*: Sophiano vero, *Esculapio*: Nigro, *Pigiada.*

6. *Barbam auream.*] Apud Sicyonios tamen Æsculapii simulacrum imberbe fuisse testatur Pausanias. Barbatus ille pingi solebat, quod Medicorum princeps esset; imberbis Apollo, quod vi Solis floreant omnia.

7. *Victorias aureas.*] Deæ Victoriæ statuas quas Imperatores parta de hostibus

eas ſe accipere, non auferre, dicebat: [a] perquam ſtultum eſſe argumentando: à quibus bona precamur, ab his porrigentibus nolle ſumere. Qui tametſi debita ſupplicia [1] non exſolvit [2] dedecore tamen filii, mortuus pœnas rependit, quas vivus effugerat. Lento enim gradu ad vindictam ſui divina procedit ira: tarditatemque ſupplicii gravitate compenſat.

4. In quam ne incideret Thymaſitheus [3] Liparitanorum princeps, con- An. M. 3664.
ſilio ſibi pariter, atque [4] univerſæ patriæ, utili providit exemplo: [b] Ex- Ol. 97. 3.
cepta namque in freto à civibus ſuis piraticam exercentibus magni pon- Vrb. C. 363.
deris aurea cratera, incitatoque ad eam partiendam populo; ut compe- Ant. Ch. 389.
rit à Romanis [5] Pythio Apollini [6] decimarum nomine dicatam, manibus venundantium ereptam Deo Delphos [7] perferendam curavit.

5. Mileſia [8] Ceres, [9] Mileto [10] ab Alexandro capta, milites qui tem- An. M. 3720. Ol. 111. 2.
plum ſpoliaturi irruperant, flamma objecta privavit oculis. Vrb C. 419. Ant. Ch. 333.

6. Perſæ [11] mille navium numero [12] Delum compulſi, templo Apol- An. M. 3574. Ol. 75. 1.

INTERPRETATIO.

a Sic enim *ille argumentabatur: perabſurdum eſſe à* Diis multa *bona precari*, ea vero quæ *ultro ipſi porrigere videntur, nolle accipere.*

b *Cum cives, qui exercebant piraticam, cepiſſent in mari auream crateram ingentis ponderis; & populus vellet illius pretium partiri in ſingulos, &c.*

NOTÆ.

victoria conſecrabant.

1. *Non exſolvi.*] Obiit ex crapula, cum in Lenæis ludis victorem Athenis ſe renuntiatum audiiſſet.

2. *Dedecore tamen filii.*] Dionyſii Iunioris; qui ob crudelitatem Syracuſis à Timolconte pulſus Corinthum miſſus eſt, ubi ludimagiſtrum profeſſus, pueros in triviis docere non erubuit, ut narrat Iuſtinus l. 21. Vnde Ovid. de Ponto.

Ille Syracuſia modo formidatus in urbe,
Vix humili duram reppulit arte famem.

3. *Liparitanorum.*] Qui Liparam inſulam unam ex Æoliis incolunt, cui à Liparo Auſonii filio nomen datum eſt. Nunc *Lipari.*

4. *Vniverſæ patriæ utili*] Vbi legati Romam redierunt, hoſpitium cum eo ex Senatuſconſulto factum, donaque publice data.

5. *Pythio Apollini.*] *Pythius* à Pythio ſerpente dicitur.

6. *Decimarum nomine.*] Camillus decimam prædæ partem, ſi Veiis potiretur, voverat Apollini: quare in exilium pulſus eſt: ubi vero è Gallis victor in urbem rediit, verecundiam viri non tulit Senatus, quin ſtatim votis liberaretur: Delphoſque miſſi legati, qui ferrent crateram auream, donum Apollini.

7. *Perferendam curavit.*] Thymaſitheus, vir, inquit Livius, l. 5. Romanis ſimilior, quam ſuis: qui tum erat in ſummo magiſtratu, legatos in publico hoſpitio excepit: eoſque cum præſidio navium Delphos uſque proſecutus eſt, Romam inde ſoſpites reſtituit.

8. *Ceres*] Saturni & Opis filia, frugum inventrix: de qua multa Poëtæ.

9. *Mileto.*] In finibus Cariæ & Ioniæ urbs clariſſima, à Mileto Myconis filio condita, ex Euſtathio: vel à Sarpedone, ex Strabone l. 12. *Melaſſo.*

10. *Ab Alexandro capta.*] Perſæ ad Granicum victi, Miletum, Memnone duce, fugerunt. Vrbs continuo ab Alexandro terra marique obſeſſa, & per muri disjecti ruinas vi capta.

11. *Mille navium numero.*] Eundem numerum habet Æſchylus: at multo plures recenſet Diodorus. 1200. triremes Hippagogas 850. & 3030. remis inſtructas.

12. *Delum.*] Maris Ægei inſulam Apol-

Vrb. C. 373. Ant.Ch. 479. linis irreligiosas potius manus quam rapaces adhibuerunt.

7. Athenienses [1] Diagoram philosophum pepulerunt, quia scribere ausus fuerat, primum ignorare se, an Dii essent: deinde si sint, quales sint. Iidem [2] Socratem damnaverunt, quod novam religionem introducere videbatur. [a] Iidem [3] Phidiam tulerunt, quamdiu is marmore potius quam [4] ebore Minervam fieri debere dicebat, quod diutius nitor esset mansurus: sed ut adjecit, & vilius, [5] tacere jusserunt.

An. M. 3640. Ol. 91. 3. Vrb. C. 339. Ant. Ch. 413.

8. Diomedon unus ex decem ducibus, qui [6] Arginusæ eadem pugna [7] Atheniensibus victoriam, sibi vero [8] damnationem pepererunt: cum jam ad immeritum supplicium duceretur, nihil aliud locutus est, quam ut vota pro incolumitate exercitus ab ipso nuncupata solverentur.

An. M. 3648. Ol. 93. 3. Vrb. C. 347. Ant. Ch. 405.

INTERPRETATIO.

a Iidem Athenienses libenter audierunt Phidiam, quandiu is dicebat statuam Minervæ debere fieri potius è marmore, quam ex ebore: quia candor mansurus erat diutius in marmore; sed jusserunt silere, postquam addidit, minore etiam impensa statuam fieri ex marmore.

NOTÆ.

linis & Dianæ incunabulis nobilem, ubi templum clarum oraculis. *Sdilles.*

1. *Diagoram.*] Qui ἄθεος cognominatus est: metu populi profugit ex Attica; talentumque argenti præconis voce ei, qui ipsum occidisset, ab Atheniensibus oblatum. Ex Diodoro.

2. *Socratem.*] Philosophorum in Græcia principem. Is ab Anyto & Melito, & læsæ pietatis in Deos, & corruptæ juventutis accersitus, capite damnatus est, haustaque cicuta periit: ita Diodor. Sunt qui velint Socratem, Iudæorum more, unum Deum prædicasse.

3. *Phidiam.*] Statuarius fuit clarissimus, Diis quam hominibus effingendis artifex melior, teste Quintiliano l. 12. Illius maxime laudantur & Atheniensis Minerva, & Olympius in Elide Iupiter.

4. *Ebore Minervam.*] Ex auro & ebore Plinius, ex ære & ebore Ovidius, ex auro conflatam fuisse scribit Plut.

5. *Tacere jusserunt.*] Quasi non recte de ipsorum pietate locutum, cum diceret, illos parcere sumptibus in iis, quæ ad Deorum cultum pertinerent.

6. *Arginusæ.*] Sunt tres modicæ insulæ Lesbo vicinæ, ad Malcam Mitylenæ promontorium.

7. *Atheniensibus victoriam.*] Spartiatarum dux Callicratidas Atheniensium classem adortus, lævum quidem cornu vicit, sed dum in dextrum impressionem facit imprudentius, seu in mare delapsus, seu telis confossus, ut vult Diod. nusquam comparuit, partaque illius morte Atheniensibus victoria.

8. *Damnationem.*] Quod occisorum corpora sepulturæ non mandassent, primum conjecti in vincula, deinde capite damnati, excepto Conone, qui prælio non adfuerat; cumque paulo post populum facti pœniteret, acriter in accusatores sævitum est, ut tradunt Diod. & Xenoph. l. 1.

Cap. II.

DE SIMULATA RELIGIONE.

A Romanis.	Ab Externis.
1. *Numa Pompilio Rege.*	1. *Minoë Cretensium Rege.*
2. *P. Scipione Africano majore.*	2. *Pisistrato Atheniensi.*
3. *L. Cornelio Sulla.*	3. *Lycurgo Spartiano.*
4. *Q. Sertorio.*	4. *Zaleuco Locrensi.*

1. NUma Pompilius, [a] ut populum Romanum [x] sacris obligaret, volebat videri sibi cum Dea [1] Ægeria congressus esse nocturnos: ejusque monitu accepta Diis immortalibus sacra instituere. An. M. 3344. Ol. 17. 3. Vrb. C. 43 Ant. Ch. 709.

2. [2] Scipio Africanus non ante ad negotia publica vel privata ibat, quam [3] in cella Jovis Capitolini moratus esset: & ideo [4] Jove genitus credebatur. An. M. 3847. Ol. 143. 2. Vrb. C. 546. Ant. Ch. 206.

3. [5] L. Sulla, quoties prælium committere destinabat, parvum Apollinis signum Delphis sublatum, [6] in conspectu militum complexus, orabat uti promissa maturaret. An. M. 3970. Ol. 174. 1. Vrb. C. 669. Ant. Ch. 83.

4. [7] Q. Sertorius per asperos [8] Lusitaniæ colles [9] cervam albam trahebat: ab ea se, quænam aut agenda aut vitanda essent, prædicans admoneri.

Interpretatio.

[a] *Vt populum Romanum redderet* magis *addictum rebus divinis.*

Notæ.

1. *Ægeria.*] Vel Nympha, vel Musarum una, cui Romæ, & ædes, & lucus juxta portam Capenam, ex Festo. Lucum medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua, quo se Numa sine arbitris sæpe inferebat. Ita Livius l. 1. multaque addit Dionysius.

2. *Scipio Africanus.*] Major, qui etiam tum adolescens paternæ cædis ultor in Hispaniam missus est.

3. *In cella Iovis Capitolini.*] A Capitolio Capitolinus dictus est: illi cella inter Junonis & Minervæ media fuit.

4. *Iove genitus.*] Interdum se à Iove sub specie serpentis genitum dicere solebat.

5. *L. Sylla.*] Dictator ex nobilissima Corneliorum gente.

6. *In conspectu militum.*] Dum ad portam Collinam cum Telesino Samnitium duce de summa rerum dimicaret, illud Apollinis signum exosculatus est, cum diceret: *Felicemne Cornelium Syllam, Pythi Apollo, quem tot in præliis præstitisti victorem; hunc in locum adduxisti, ut in ipso patriæ limine una cum civibus turpi clade victus caderet.* Hæc Plut. in Sylla.

7. *Q. Sertorius.*] Marianarum partium dux nulli secundus, qui desperatis in Italia Marii rebus, ex fuga Hispaniam occupavit. De illo sæpe agemus inferius.

8. *Lusitaniæ.*] Quæ id temporis Durio flumine à Tarraconensi provincia, Ana fluvio à Bætica discreta erat. *le Portugal.*

9. *Cervam albam.*] Quomodo Lusitanos hujus cervæ ope sæpe Sertorius luserit, narrat Plut. in illius vita.

EXTERNA.

An. M. 2650. Ant. Ch. 1403. 1. [1] Minos Cretensium Rex unoquoque anno in quoddam præaltum, & vetusta religione consecratum specus secedere solebat: & in eo moratus tanquam à Jove, [2] quo se ortum ferebat, traditas sibi leges perrogabat.

An. M. 3496. Ol. 55. 3. Vrb. C. 195. Ant. Ch. 557. 2. [3] Pisistratus in recuperanda tyrannide, quam amiserat, simulatione reducentis se in arcem Minervæ est usus: cum per ostentationem ignotæ mulieris, quæ Phya vocabatur, [4] formatæ ad habitum Deæ, Athenienses deciperet.

An. M. 3183. Ant. Ch. 870. 3. [5] Lycurgus [6] consilio Apollinis gravissimæ Lacedæmoniorum civitati leges compositas ferre se persuasit.

An. M. 3200. Ant. Ch. 853. 4. [7] Zaleucus sub nomine Minervæ apud Locrenses prudentissimus habitus est.

NOTÆ.

1. *Minos.*] Qui quod vivus, judex fuerit integer; judex etiam mortuus apud inferos à Poëtis fingitur.

2. *Quo se ortum ferebat.*] Ex Europa & Asterio, ut scribit Eusebius; ut Apollodorus, ex Iove ortus est: fratresque illi fuerunt Radamanthus, & Sarpedon.

3. *Pisistratus.*] Hippocratis filius, vir doctrina & eloquentia insignis; de quo, ut quæ sequuntur, intelligas, hæc paucis accipe. Tyrannidem Athenis ter occupavit, primum quidem omnium consensu, uno Solone repugnante: quatuor post annis Megadis factione dejectus, conciliato sibi nuptiarum pactione Megade eodem, denuo per subornatam specie Minervæ mulierem in arcem receptus est; unde Megadis conspiratione rursus expulsus, undecimo demum anno, quod Athenienses prælio victos dimisisset, restitutus est. Hæc Thucydides.

4. *Formatæ ad habitum Deæ.*] Phia prægrandi statura mulier à Pisistrato in eum habitum composita, quo & vultus pulchritudine, & corporis majestate se Minervam simularet: præconesque præmissi, qui Deæ jussu dicerent: *Athenienses benigne excipite Pisistratum, quem Minerva ipsa in suam reducit arcem.* Qua fraude, & decepti Athenienses, & mulier pro Dea habita & receptus Pisistratus. Hæc pluribus Herodot.

5. *Lycurgus.*] De Lycurgo inter Herodotum & Plutarchum non convenit: ille ex Eurystenidarum, hic ex Proclidarum familia; ille Ectiestrati, hic Polydecti Regis fratrem; ille Leobotæ, hic Charilai pupilli tutorem facit: utri assentiri malis, tute elige. Vt ut est, Spartanum regnum diu tutorio nomine administravit, non minore laude fidei, quam prudentiæ. Vbi vero nepos adolevit, ipse peregre profectus, variorum ex usu populorum eas leges didicit, quibus domum reversus Lacedæmoniorum adstrixit disciplinam.

6. *Consilio Apollinis.*] Leges illas alii ab Oraculo, alii à Cretensibus acceptas apud Pausaniam crediderunt: cum primis sentire videtur Herodotus, apud quem Lycurgum Delphos profectum his verbis alloquitur Pythia,

Ad mea venisti propinquia tecta, Lycurge Grate Iovi, &c.

Tum illi pluribus tradidit ea, quæ diu Spartæ viguerunt, instituta.

7. *Zaleucus.*] Thaletis una cum Lycurgo discipulus fuisse, legesque Locris Epizephyriis posuisse dicitur.

CAP.

CAP. III.

DE REPEGRINA RELIGIONE REIECTA.

1. *A Senatu Romano.* 2. *A. C. Cornelio Prætore.* 3. *A. L. Æmilio Paulo COS.*

I.[1] BAcchanalium ſacrorum mos novus inſtitutus, cum[2] ad pernicioſam veſaniam iretur,[3] ſublatus eſt. An. M 3868. Ol. 148. 3. Vrb. C. 567. Ant. Ch. 185.

1.[4] Lutatius, qui[5] primum Punicum bellum[6] confecit, à Senatu prohibitus eſt[7] ſortes Fortunæ Præneſtinæ adire.[8] Auſpiciis enim patriis, non alienigenis rempublicam adminiſtrari oportere judicabant. An. M. 3812. Ol. 134. 3. Vrb. C. 511. Ant. Ch. 241.

NOTÆ.

1. *Bacchanalium.*] Feſta Libero patri dicata, quæ ut auctor eſt Livius l. 39. Græcus quidam homo ignobilis: ſed ejus modi ſacrorum Antiſtes in Etruriam attulit: ex Etruria ea mali labes mox Romam penetravit.

2. *Ad pernicioſam veſaniam.*] Singula quæque illius feſti attingere ſcelera pudor vetat: ibi enim promiſcua, & ſtupra, & adulteria ingenuorum fæminarumq; erant. Falſi teſtes, falſa ſigna inde exibant; venena identidem, inteſtinæque clades, & plura alia; quæ in eo, quem dixi, libro multis explicat Livius.

3. *Sublatus eſt.*] Cum nefanda hæc crimina, conſpirationemque factam muliercula quædam aperuiſſet Ebutio adoleſcenti; ille ad amitam, hæc ad Conſulem, Conſul ad Senatum rem detulit. Continuo ſacrorum illorum ſacerdotes, ſeu viri, ſeu fæminæ comprehendi ex Senatuſconſulto juſſi ſunt; edictiſque, tum in urbe, tum per totam Italiam vetitum, ne quis hæc ſacra celebraret.

4. *Lutatius.*] C. Lutatius Catulus, familiæ Lutatiorum princeps, quam licet plebeiam, ſingulari virtute patriciis parem reddidit.

5. *Primum bellum Punicum.*] Cum in bellis Punicis pene totus verſetur Valerius, non erit, opinor, ingratum, ſi quæ cujuſque cauſa; quiſve fuerit exitus; quoque tempore geſtum ſit; breviter perſtrinxerim. Punica bella tria fuere. Primi principium fuit auxilium datum Mamertinis: ſecundi, Saguntus deleta ab Annibale: tertii, à Carthaginenſibus neglectum fœdus, bellumque Maſiniſſæ illatum. Primum ab anno Vrbis 489. ad 513. geſtum eſt: alterum ab 536. ad 552. tertium ab 605. ad 608. Primum poſt annos 23. Q. Lutatius Catulus; ſecundum poſt an. 17. P. Scipio Africanus Major; tertium poſt an. 4. P. Scipio Æmilianus Africanus Minor confecit. Carthaginenſibus ademptæ ſunt primo bello omnes maris Mediteranei inſulæ: ſecundo, Hiſpania, & pars Africæ: tertio, Carthago ipſa.

6. *Confecit.*] Ea fortitudine & felicitate contra Pœnos ad Ægates inſulas pugnavit, ut naves eorum 50 vel fractæ, vel demerſæ, 70. captæ, reliquæ fugatæ; decem millia hoſtium capta. Cladem more ſuo auget Oroſius; ex ipſo enim naves Punicæ 63 captæ, 125 demerſæ, captaque hoſtium 32. millia, cæſa 14 Quare domitis Pœnis, pax iis legibus conceſſa, ut iis, quæ ſunt Italiam inter & Africam, inſulis cederent, penderentque in 20. annos 2200 talenta.

7. *Sortes fortunæ præneſtinæ.*] De quarum ſortium origine hæc pauca dixiſſe ſatis erit. Numerius quidam Suffius juſſus in ſomnio ſecare ſilicem, in eo inſculptas priſcarum litterarum notas reperit: cumque eodem loco lac fluxiſſet ex olea, reſponderunt Aruſpices, ſortes illas nobiles admodum futuras, eorumque juſſu ex illa arbore arca facta, qua conderentur: Vnde quotannis Kalendis Ianuariis eximi ſolebant eoque, quo eductæ erant, ordine, Si una jungerentur, reſponſa dabant integra, quæ vim Oraculi vulgo habere putabant.

8. *Auſpiciis enim patriis.*] Auſpiciorum

An. M. 3915. 2. C. Cornelius Hispallus [1] Prætor peregrinus, [2] M. Popillio Lænate,
Ol. 160. 2. te, Cn. Calpurnio Coss. edicto [3] Chaldæos intra decimum diem abire
Vrb. C. 614. ex Urbe, atque Italia jussit: [a] levibus & ineptis ingeniis, fallaci syde-
Ant. Ch. 138. rum interpretatione quæstuosam mendaciis suis caliginem injicientes.

Idem, qui [4] Sabazii Jovis cultu simulato mores Romanos inficere conati sunt, domos suas repetere coëgit.

An. M. 3835. 3. [5] L. Æmilius Paulus Consul, cum Senatus [6] Isidis & [7] Serapidis
Ol. 140. 2. fana diruenda censuisset, eaque nemo opificum attingere auderet; po-
Vrb. C. 534. sita [8] prætexta securim arripuit, templique ejus foribus inlixit.
Ant. Ch. 218.

INTERPRETATIO.

[a] *Quia injiciebant levibus & ineptis vulgi mentibus obscuram prædictionem; sed quæstuosam, rerum futurarum, mendaci explicatione eorum, quæ sydera portenderent.*

NOTÆ.

apud Romanos tria genera: avium inspectio, observatio de cœlo, & tripudii animadversio. Primum ad centuriata & curiata comitia; alterum ad comitia omnia; tertium ad res gerendas adhiberi solemne fuit.

1. *Prætor peregrinus.*] Primum quidem unus erat Prætor, qui jus civibus diceret: sed ob peregrinorum multitudinem, alter additus, qui peregrinus dictus est.

2. *M. Popilio Lænate, Cn. Calpurnio*] Patricius uterque, sed neuter rebus gestis illustris, nisi quod Popilius à Numantinis fusus est.

3. *Chaldæos.*] Astrologos, qui ex Assyria vel Babylonia oriundi, ex astrorum inspectione futura prædicebant.

4. *Sabazii Iovis.*] Nomen Diis omnibus commune; σαβάζειν, quasi σεβάζειν venerari. Licet illa sacra à Romanis repudiata tum fuerint, à posteris tamen recepta docent illius Dei pulvinaria Domitiani tempore facta, quæ Romæ etiam nunc visuntur his inscripta titulis, ut refert Pighius.

IOVI SABAZ.
V. S. L. M.
ALEXANDER.
Q. NUNNIUS.

5. *L. Æmilius Paulus.*] Qui duos Consulatus gessit: in primo domuit Illyrios, in altero ad Cannas cecidit.

6. *Isidis.*] Vel Saturni & Rheæ filia fuit; Osiridisque, & soror & conjux, ut vult Diodorus: vel, ut malunt alii, Io Inachi filia Poëtarum celebrata versibus, quæ post fictos Iovis amores Osiridi nupserit.

7. *Serapidis.*] Idem qui, & *Osiris*, & *Apis*, sæpe etiam *Iupiter*, *Dionysius*, & *Ammon* appellatus est: vel quod ego similius vero non temere dixerim, Iosephum Patriarcham sub Osiridis nomine coluerunt Ægyptii: Idem enim Augustino, Ruffino, Iulio Firmico, recentioribusque bene multis visum est; quos, ut id crederent, cum multa moverunt, tum illud præcipue, quod Serapis ille designaretur figura, aut bovis, Lunæ Solisque notis insigniti, aut juvenis imberbis cum modio & calatho in capite; quibus Iosephi ætas, Astrologiæ peritia, visæ in somniis & boves & spicæ commode sane adumbrantur. Ita fere Tirinus noster, in Cap. 41. Genes.

8. *Prætexta.*] A prætexendo dicta, quod in ora purpuram haberet: illa utebantur, tum pueri usque ad annum ætatis septimum decimum, tum puellæ ingenuæ, tum Sacerdotes, Senatores ludorum diebus, & Magistratus.

CAP. IV.

DE AUSPICIIS

QUÆ CEPERE ROMANI.

1. *Atius Navus Augur.*
2. *Ti. Gracchus, T. F. Trib. plebis.*
3. *P. Claudius Pulcher, & L. Iun. Pullus Coss.*
4. *L. Marcellus Pont. Max.*
5. *M. Tullius Cicero.*
6. *M. Iun. Brutus Procos.*

EXTERNI.

1. *Alexander Magnus.*
2. *Dejotarus Rex.*

1.[1] L. TARQUINIUS Rex[2] centuriis equitum, quas[3] Romulus auspicato conscripserat, alias adjicere cupiens; [a] cum[4] ab Atio Navo augure prohiberetur, offensus interrogavit, possetne fieri, quod ipse mente conceperat? Posse fieri dicente: jussit novacula cotem discindi. Qua Atius allata, administrato[5] incredibili facto, effectum suæ professionis oculis Regis subjecit. An. M. 3439. Ol. 41. 2. Vrb. C. 138. Ant. Ch. 614.

2.[6] T. Gracchus[7] cum ad res novas pararetur,[8] auspicia domi prima An. M. 3921. Ol. 161. 4.

INTERPRETATIO.

[a] Cum Navus respondisset fieri posse, Tarquinius jussit discindi cultro rasorio lapidem durissimum: quo lapide allato, Atius ostendit ante oculos Regis vim suæ artis, dissecto lapide, quod factum incredibile est.

NOTÆ.

1. *L. Tarquinius.*] *Priscus*, qui Demarati Corinthii profugi filius Romæ imperium adeptus est, & à Tuscis, quos subegerat, insignia summæ potestatis accepit fasces, trabeam, curules, prætextam, & id genus alia.

2. *Centuriis equitum.*] Constituto Senatu, populoque in curias tributo, Romulus trecentos juvenes denos per singulas curias ex nobilibus familiis selegit: quibus, & ad corporis tutelam, & ad necessaria munia obeunda uteretur: hos & *Celeres* appellari voluit, vel à celeritate, vel ab eorum duce, cui Celer nomen esset, ut placet Valerio Antiati: & pace cum Sabinis facta, in tres turmas distribuit; quarum una *Ramnensium* à Romulo, altera *Tatiensium* à Tatio Sabinorum Rege, tertia *Lucerum* à Lucere viro nobili, qui è Salonio (Etruscum oppidum est) Romulo contra Cæninenses auxilio venerat.

3. *Romulus.*] Silvia Vestali genitus; quæ, incertum à quo compressa, geminos est enixa, Romulum & Remum. Nota est omnibus seu fabula, seu historia.

4. *Ab Atio Navo* vel *Navio.*] Qui artis suæ commendatione plurimum potuit apud populum, ut postea videbimus.

5. *Incredibili facto.*] Vnde & in comitio, ubi acta res est, statua capite velato Atio erecta; & Auguriis tantus honos accessit, ut nihil bello domique nisi auspicato gereretur: concilia populi, vocati exercitus, summa rerum, ubi aves non admisissent, dirimerentur. Hæc Livius.

6. *Ti. Gracchus.*] Tiberii Gracchi Consularis, & Censoris filius, & Africani Majoris ex filia nepos; qui cum ægre ferret improbatam à Senatu Mancini turpem apud Numantiam deditionem, quæ ipso & Quæstore & auctore facta fuerat, à recta via deflexit: *Vir alioqui innocentissimus*, inquit Velleius, *& ingenio florentissimus.*

7. *Cum ad res novas.*] Hæc fere Tiberio crimini data sunt: quod Italis civitatem pollicitus esset, tulisset legem Agrariam.

Vrb. C. 620. luce petiit: quæ illi perquam tristia responderunt. Nam janua egres-
Ant. Ch. 132. sus, ita pedem offendit, ut digitus ei decuteretur: tres deinde corvi in
eum adversum occinentes, partem tegulæ decussam ante ipsum propu-
lerunt. Quibus omnibus contemptis, [1] à Scipione Nasica Pontifice ma-
ximo decussus Capitolio, [2] fragmento subsellii ictus procubuit.

An. M. 3805. 3. [3] P. Claudius bello Punico primo, cum [4] prœlium navale com-
Ol. 132. 4. mittere vellet, auspiciaque more majorum petiisset, & [5] pullarius non
Vrb. C. 504. exire cavea pullos nunciasset, abjici eos in mare jussit, dicens, [6] Quia
Ant. Ch. 248. esse nolunt, bibant. Et [7] L. Iunius P. Claudii collega neglectis auspiciis,
[8] classem tempestate amisit. Quorum ille [9] populi judicio concidit,
damnationisque hic ignominiam voluntaria morte prævenit.

NOTÆ.

vetuisset, ne quis amplius quinquaginta possideret agri jugera; se Caiumque fratrem, & Appium socerum Triumviros agris dividendis legisset. Nil opus est hic auctores appellare, cum in iis consentiant Livii Epit. Vell. Flor. Plut. & alii.

1. *Scipione Nasica.*] *Serapione*, illius, qui vir optimus judicatus est, nepote.

2. *Fragmento subsellii.*] Non tamen à Nasica occisus; sic se res habuit. Cum Consul nihil per vim agendum censeret, Scipio Nasica, privatus licet, & togatus magna voce clamavit: Qui salvam vellent Rempublicam, se sequerentur. Tum optimates Senatus, ex Equestri ordine multi, multi è plebe una tendere in Capitolium, & in Gracchanos irruere: illi, nec numero, nec viribus pares non resistere; sed primum cedere loco, deinde palam fugere. At Tiberius, dum relicta toga in tunica clivo Capitolino decurrit, prolapsus est; surgentique unus è collegis Satureius caput afflixit subsellii pede. Illo mortuo, in socios sævitum est; trecenti, seu fustibus, seu lapidibus cæsi, ferro nullus. Ita tradunt Plut. Appian. & alii. *Quod initium in urbe Roma civilis sanguinis, gladiorumque impunitatis fuit*, inquit Velleius.

3. *P. Claudius.*] Pulcher, Appii Cæci filius.

4. *Prælium navale.*] Classem habebat 120. navium, ex Oros. 220. ex Diodoro, cum ad Drepani portum ab Adherbale Carthaginensium duce victus est. Naves, seu captæ, seu demersæ 73. ex Polyb. 117. ex Diod. 90. ex Oros. Romanorum 8. millia cæsa, 20. amissa ex Oros. quæ pluribus persequitur Polyb. l. 1.

5. *Pullarius.*] Qui pullis præerat. Placita Deorum de re gerenda per pullos explorandi apud Romanos hæc ratio fuit; Summo mane, imperatoque de more silentio, aut puls, aut offa, reclusa cavea objiciebatur pullis; qui, si ad oblatam escam continuo non prosilirent; si egressis cavea illam dissiparent alis; si illa relicta, vel occinerent vel avolarent: tum omen infaustum, & timoris plenum. Si vero cum impetu involarent in escam, avide depascerentur, ita ut vescentibus aliquid dilaberetur in terram: inde magna spes rei bene gerendæ. Hæc Peucerus.

6. *Quia esse nolunt*] Qui risus, inquit Cicero, classe devicta, multas ipsi lacrymas, magnam Populo Romano cladem attulit.

7. *L. Iunius*] *Pullus*. Ex qua Iuniorum familia fuerit, incertum.

8. *Classem amisit.*] Cum navibus longis 120. onerariis prope 800. aliisque 60 Syracusas tendebat Iunius, iis qui Lilybæum obsidebant, delaturus annonam; cum missus ab Adherbale illi occurrit Carthalo: tum Iunius pugnam committere non ausus ad Geloum littus, in loca aspera naves sensim subducit; ubi orta tempestate fluctibus & saxis ita afflicta classis est, ut ne tabula quidem, quæ usui esse posset, superfuerit. Cladem ita narrat Polybius; paulo aliter Diodorus.

9. *Populi judicio concidit.*] Hic secum non consentit Valerius, cum illum coorti imbris beneficio à damnatione tutum fuisse postea referat.

4. Cum [1] Metellus Pontif. maximus, [2] Tusculanum peteret, corvi duo in os ejus adversum veluti iter impedientes advolaverunt: [a] vixque extuderunt, ut domum rediret. Insequente noctu ædes Vestæ arsit: quo incendio, Metellus inter ipsos ignes raptum [3] Palladium [4] incolume servavit. An. M. 3810. Ol. 134. 1. Vrb. C. 509. Ant. Ch. 243.

5. [5] M. Ciceroni mors imminens auspicio prædicta est: cum enim [6] in villa Cajetana esset, [7] corvus in conspectu ejus, horologii ferrum loco motum excussit, & protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togæ eousque morsu tenuit, donec servus [8] ad eum occidendum milites venisse nunciaret. An. M. 4011. Ol. 184. 2. Vrb. C. 710. Ant. Ch. 42.

6. [9] M. Brutus cum [10] reliquias exercitus sui adversus Cæsarem & An. M. 4012.

INTERPRETATIO.

[a] *Vixque* circumvolando *effecerunt, ut Metellus domum reverteretur.*

NOTÆ.

1. *Metellus.*] Idem, de quo capite primo diximus.

2. *Tusculanum.*] Latii oppidum duodecimo ab urbe lapide in arduo colle situm, à Telegeno Vlyssis & Circes filio conditum. Strabo. Nunc *Frescati.*

3. *Palladium.*] Palladis simulacrum, cujus historia, vera, an ficta, à Varrone, Dionys. Ovid. & Plut. sic traditur. Chrysas Pallantis filia in Samothracia cum nuberet Dardano; cum multa Deorum simulacra, tum Palladium illud pro dote secum attulit: quo aliquanto post Ilium translato dixit Oraculum, civitatem, dum in ea Palladium esset, mansuram. Quare in arcis intima parte reconditur; aliudque, & materia, & figura persimile fingitur: quod cum in publico asservaretur negligentius, Vlysses & Diomedes per fraudem, in eo ipsi decepti, quod verum putarent, auferunt. Vrbe vero capta, hoc Palladium Æneas secum advexit in Italiam, & multis post annis, seu ex Lavinio, seu ex Alba Romam translatum, in templo Vestæ repositum est. Incensa denique sub Heliogabalo æde Vestæ, vulgo conspectum tradit Herodianus.

4. *Incolume servavit.*] Ipse orbatus est luminibus; quare illi, quod præter ipsum nemini, concessum est, ut quoties in Senatum veniret, curru veheretur.

5. *M. Ciceroni.* [Oratori omnium, qui unquam extiterunt, perfectissimo. De quo vide Tulliorum familiam.

6. *In villa Cajetana.*] Quæ non procul aberat à Cajeta, quæ urbs est, & portus Campaniæ. *Gaïete.*

7. *Corvus.*] Dum ad terram appellit Cicero, Corvorum agmen ex fano Apollinis magno crocitu ad navem illius advolat: Vbi vero in villam ingressus ad quietem composuit sese, continuo corvi frequentes in fenestra consident; dumque alii diros edunt strepitus, unus demittit se in dormientis lectulum; & togam, qua opertus erat, à facie paulatim rostro detrahit. Hæc Plut. in Cicerone.

8. *Ad eum occidendum.*] Corvorum clamoribus territi servi, Ciceronem partim precibus, partim vi sublatum in lectica ad mare deferunt. Interea missi ab Antonio percussores adveniunt Herennius Centurio, & Popilius Tribunus; quos ut vidit Cicero, servis, ut lecticam ponerent, jussit; cervicemque natus annos 64. ad cædem è lectica protendit. Caput & manus pro rostris spectaculo affixa fuerũt; ubi miraculo fuerat eloquentia. Sed de his alias.

9. *M. Brutus.*] Illius, qui Pompeii jussu necatus est, filius: ipse cum Cassio & aliis Iulium Cæsarem in Curia occidit: de ipso sæpius postea.

10. *Reliquias exercitus.*] Iam ad Philippos Thessaliæ urbem vario Marte certatum erat: Ibi enim Cæsar à Bruto; Cassius ab Antonio victus castris exuitur. At parem cladem error imparem fecit. Victus Cassius, Brutum quoque eadem usum fortuna ratus, ultro sibi mortem intulit.

Ol. 184. 3. Vrb. C. 711. Ant. Ch. 41. Antonium reduxisset, [1] duæ aquilæ ex diversis castris advolaverunt, & edita inter se pugna, ea, quæ à parte Bruti fuerat, male multata fugit.

EXTERNA.

An. M. 3723. Ol. 112. 2. Vrb. C. 422. Ant. Ch. 330. 1 [2] Cum Rex Alexander [3] urbem in [4] Ægypto constituere vellet, architectus Dinocrates cum [5] cretam non haberet, polentaque futuræ urbis lineamenta duxisset, ingens avium multitudo proximo lacu emersa, polentam depasta est: quod Sacerdotes Ægyptiorum [a] interpretati sunt, advenarum frequentiæ alimentis suffecturam urbem.

An. M. 4001. Ol. 181. 4. Vrb. C. 700. Ant. Ch. 52. 2. [6] Dejotarò verò Regi omnia fere auspicatò gerenti salutaris aquilæ conspectus fuit: qua visa, [7] abstinuit se ab ejus tecti usu, quod nocte insequenti é ruina solo æquatum est.

INTERPRETATIO.

[a] *Explicarunt civitatem illam abunde daturam alimenta magnæ multitudini advenarum.*

NOTÆ.

1. *Duæ aquilæ.*] Quæ dum inter se decertant, mirum in castris silentium, insolitusque stupor.

2. *Rex Alexander.*] Philippi Macedonis filius, qui victoriis, & Asiæ totius imperium, & Magni cognomen sibi peperit.

3. *Vrbem.*] Alexandriam, non longe à Nili ostio, quod Canopicon dicitur, urbem non Ægypti tantum, sed totius orbis, si Romam exceperis, amplitudine, divitiis, opibus olim nobilissimam.

4. *Ægypto.*] Quæ hinc ad Sienem, & Æthiopiam, inde ad Arabiam, & Palæstinam pertinet. *L'Egypte*, Indigenis *Chibili.*

5. *Cretam.*] Terra est alba: *polenta* vero genus quoddam pultis ex farre candido.

6. *Dejotaro.*] Rex Galatiæ fuit à Senatu factus Pompeii opera; cujus partes in bello civili quod secutus esset, à Cæsare parte regni mulctatus est: & paulo post à Philippo quodam accusatus, quod Cæsari apud se divertenti struxisset insidias; à Cicerone defenditur luculenta illa oratione, quæ pro Dejotaro Rege inscribitur.

7. *Abstinuit.*] Ex itinere proposito domum reversus, cum tum progressus esset multorum dierum viam. Cic. l. 1. de Divin.

CAP. V.

DE OMINIBUS.

QUÆ ACCEPERE ROMANI.

1. *Patres Conscripti.*
2. *M. Furius Camillus Dictator.*
3. *L. Æmil. Paulus Cos.*
4. *Cæcilia Metelli.*
5. *C Marius exul.*
6. *Cn. Pompeius Magn. Procos.*
7. *M. Brutus Procos.*
8. *C. Cassius Procos.*
9. *Q. Petillius Cos.*

EXTERNI.

1. *Prienenses.*
2. *Apolloniatæ.*

[a] [1] OMinum etiam observatio contactu aliquo religionis innexa est: quoniam non fortuito motu, sed divina providentia constare creditur.

INTERPRETATIO.

[a] *Observatio etiam ominum nexu quodam jungitur cum religione; neque enim evenire illa fortuito casu, sed divina gubernante providentia creduntur.*

NOTÆ.

1. *Ominum.*] Omen erat, cum alicujus, aut vox, aut factum aliò spectans ad rei gerendæ eventum deduceretur: ad omen etiam pertinent equorum lapsus, oc-

1. Quæ effecit, ut [1] Urbe à Gallis disjecta, deliberantibus [2] P. C. utrum [3] Veios [4] migrarent, an sua mœnia restituerent, forte eo tempore [5] è præsidio [6] cohortibus redeuntibus, centurio [7] in comitio exclamaret, [8] Signifer, statue signum, hic optime manebimus. Ea enim voce audita, Senatus se accipere omen respondit, è vestigioque Veios transeundi consilium omisit. [a] Quam paucis verbis de domicilio futuri summi imperii confirmata est conditio! Credo indignum Diis existimantibus, [9] prosperis auspiciis Romanum nomen ortum, Veientanæ urbis appellatione mutari, [10] [b] inclytæque Victoriæ decus modo abjectæ Urbis ruinis infundi.

An. M. 3665.
Ol. 97. 4.
Vrb. C. 364.
Ant. Ch. 388.

2. Hujus tam præclari operis auctor, [11] Camillus, [12] cum esset pre- An. M. 3659.

INTERPRETATIO.

[a] *Quam paucis verbis confirmata est sententia de loco* urbis; *qua habitura esset summum imperium!*

[b] *Et gloriam maxima victoria communicari civitati eversa; qua paulo ante nullius nominis fuerat.*

NOTÆ.

cursus leporum, & id genus alia. Idcirco omnibus rebus gerendis, teste Cicerone, *quod bonum, faustum, felix, fortunatumque sit*, præfari moris erat.

1. *Vrbe à Gallis disjecta.*] Galli Senones, qui Tarquinio Prisco Rege, Italiæ partem, quæ Cisalpina postea dicta est, Tuscis expulsis occuparunt: in oppugnatione Clusii, Etruscorum id oppidum est, à tribus Fabiis Populi Romani legatis irritati, omisso Clusio Romam advolarunt. Primo impetu fusi, fugatique ad Alliam Romani, qui obviam iverant; urbs deinde capta & incensa; Capitolium, quo se flos civitatis receperat, obsessum: in angusto Romana res erat, nec ulla spes auxilii, ni Camillus exul, ut gratia cum ingrata patria certaret, obsessis subvenisset. Ab eo, primo concursu fusi Galli; inde justo prælio ad octavum lapidem omnes ad unum cæsi.

2. *Patribus Conscriptis.*] Quid Patricios inter & Senatores, & Patres Conscriptos intersit, diximus in Magistratibus Romanorum.

3. *Veios.*] Vrbem Etruriæ, non procul à Roma, post decennalem obsidionem à Camillo captam. Nunc destructa est.

4. *Migrarent.*] Bis de Veientana migratione actum est, semel anno 362. iterum hoc anno: bis à populo vehementer expetita, bis impetrata à Tribunis plebis; tandemque Patrum Camillique authoritate discussa.

5. *E præsidio.*] E loco ubi præsidia posita fuerant.

6. *Cohortibus.*] Quid cohors; quid Centurio; te docebunt ea, quæ præmisimus de militia Romanorum.

7. *In Comitio.*] Fuit pars fori, quo comitiis curiatis conveniebat populus: multis annis tecto caruit, post bella Punica ornatum, & tecto, & pluribus statuis. Erant in eo rostra, ex rostris navium Antiatium olim condita, ex Livio ubi ferri leges, conciones haberi, agi causæ solitæ sunt.

8. *Signifer.*] Qui vexillum ferebat. Varia variis temporibus apud Romanos signa fuere: primum quidem Aquila, Lupus, Minotaurus, ex Vegetio; Equus etiam, & Aper, ex Plinio. Tum præ cæteris principatum obtinuit Aquila, ut aliis in castris relictis, in acie sola ordines anteiret: quam denique C. Marius secundum Consul, repudiatis aliis, tanquam felix victoriarum omen Romanis legionibus consecravit.

9. *Prosperis auspiciis.*] Romuli & Remi, quorum alter sex, alter duodecim vultures viderat.

10. *Inclytæ victoriæ.*] Victoriam de Veientibus, vel potius de Gallis relatam intellige.

11. *Camillus.*] M. Furius Camillus, Furiani nominis decus, & primus à Romulo Pater patriæ nuncupatus.

12. *Cum esset precatus.*] Dum Veios diriperent milites, prædaque spe ac opinione major ante oculos ejus ferretur, dicitur

Ol. 96. 2. Vrb. C. 358. Ant. Ch. 394.
catus, ut si cui Deorum nimia felicitas populi Rom. videretur, ejus invidia, suo aliquo incommodo satiaretur, subito lapsu decidit: quod omen ad damnationem, qua postea oppressus est, pertinuisse visum est. [a] Merito autem de laude inter se victoria, & pia precatio amplissimi viri certaverunt: æque enim virtutis est & bona patriæ auxisse, & mala in se transferri voluisse.

An. M. 3886 Ol. 153. 1. Vrb. C. 585. Ant. Ch. 167.
3. Quid illud, quod [1] L. Paulo Consuli evenit? quam memorabile! cum ei forte evenisset, ut bellum [2] cum Rege Perse gereret, & domum [3] è curia regressus, filiolam suam nomine Tertiam, quæ tum erat admodum parvula, osculatus, tristem animadverteret: interrogavit, quid ita eo vultu esset? quæ respondit, Persam periisse. Decesserat autem catellus, quem puella in deliciis habuerat, nomine Persa. Arripuit igitur omen Paulus, èque fortuito dicto quasi spem certam [4] clarissimi triumphi animo præsumpsit.

An. M. 3841. Ol. 141. 4. Vrb. C. 540 Ant. Ch. 212
4. [5] At Cæcilia Metelli, dum sororis filiæ, adultæ ætatis virgini, more prisco [6] nocte concubia nuptialia petit, [b] omen ipsa fecit. Nam cum in sacello quodam, ejus rei gratia, aliquamdiu persedisset, [c] nec ulla vox proposito congruens esset audita; fessa longa standi mora puella, rogavit materteram, ut sibi paulisper locum residendi accommodaret: cui illa: Eho vero, inquit, libenter tibi mea sede cedo. Quod dictum ab indulgentia profectum [d] ad certi ominis processit eventum: quoniam Metellus non ita multo post, mortua Cæcilia, virginem, de qua loquor, in matrimonium duxit.

INTERPRETIO.

[a] Merito dubites, an majori laude digna sit viri amplissimi victoria de Veiis relata, an pia illius precatio.

[b] Exquirit an illius nuptiæ felices futuræ sint.

[c] Nec ulla vox quæ ad nuptias Virgini pertineret, esset audita.

[d] Eventus futuri certum omen fuit.

NOTÆ.

manus ad cœlum tollens, hæc dixisse. De illius damnatione alias.

1. *L. Paulo.*] Ex gente Æmilia, illius, qui ad Cannas cecidit, filius; ipse tribus triumphis claruit.

2. *Cum Rege Perse.*] Macedoniæ Rege, qui spurius Philippi filius paterni in Romanos hæres odii, bellum in eos gessit, quod quarto anno, tam illius, quam regni Macedonici clade ac servitute finitum est.

3. *E Curia.*] Triplex potissimum fuit hujus vocis acceptio: Curia enim, & pars populi; & ædes in quibus 30 curiæ sacra sua peragebant; & locus ille, quo de hic agitur, ubi Senatus haberi solebat.

4. *Clarissimi triumphi.*] De Pauli pugna, victoria, triumpho erit postea opportunior agendi locus.

5. *Cæcilia Metelli.*] Intellige *uxor*, more antiquo, ut etiam nunc in mausoleo non procul ab urbe, ad viam Appiam legitur, CÆCILIÆ Q. CRETICI. Fuit Cæcilia, itidem ut ipse Metellus, ex nobili Cæciliorum familia, Q. Metelli Numidici soror: cui vero Metellorum nupserit, non liquet; cum id temporis quatuor Metelli Macedonici filii in Republica florerent.

6. *Nocte concubia.*] Intempesta nocte, quod nullum tempus habeat rebus gerendis idoneum. Dies apud Romanos à nocte media incipiebat, cujus partes erant me-

5. [1] C. autem Mario observatio ominis procul dubio saluti fuit, quo tempore [2] hostis à Senatu judicatus in [3] domum Fanniæ [4] Minturnis custodiæ causa deductus est: Animadvertit enim, asellum, cum ei pabulum objiceretur, neglecto eo, ad aquam procurrentem: Quo spectaculo, Deorum providentia quod sequeretur, oblatum ratus, alioquin etiam interpretandarum religionum peritissimus, à multitudine, quæ ad opem illi ferendam confluxerat, impetravit, ut ad mare perduceretur: ac protinus naviculam conscendit: eaque [5] in Africam pervectus, arma Sullæ victricia effugit.

An. M. 3966. Ol. 173. 1. Vrb. C. 663. Ant. Ch. 87.

6. Pompeius verò Magnus [6] in acie Pharsalica [7] victus à Cæsare, [8] fuga quærens salutem, cursu in Insulam [9] Cyprum (ut aliquid in ea virium contraheret) classem direxit: appellensque ad oppidum [10] Paphum, conspexit in littore speciosum ædificium: gubernatoremque interrogavit, quod ei nomen esset: qui respondit, κακοβασιλέα vocari, quæ

An. M. 4006. Ol. 183. 1. Vrb. C. 705. Ant. Ch. 47.

NOTÆ.

diæ noctis inclinatio, gallicinium, conticinium, diluculum, mane, vespera, prima fax.

1. *C. Mario*] Nepoti, qui natus Arpini ex humili loco, vir manu strenuus, vita incorruptus, ad summos honores pervenit. De illo plura in Mariorum familia.

2. *Hostis à Senatu judicatus.*] Cum L. Syllæ bellum Mithridaticum commissum esset, C. Marius, licet senio confectus, tantam gloriæ segetem Syllæ legato olim suo invidens, per C. Sulpitium Trib. pl. hanc ei provinciam eripit. Qua re Sylla commotus, urbem cum exercitu occupat, occisoque Sulpitio Marium fugat, eumque absentem hostem à Senatu judicari imperat. Ita Velleius, Florus, & alii.

3. *In domum Fanniæ.*] Post errores varios, variaque pericula; quæ eleganter, ut solet, describit Plutarchus: in Palude Marius latebat, cum pastoris proditus indicio, inde Minturnas deducitur, & mulieri cuidam, cui nomen Fannia, custodiendus traditur. Tum missus ad eum necandum servus publicus natione Cimber, qui viri Majestate territus refugit magna voce clamitans, *Non possum occidere Marium*. Quam ob rem misericordia moti Minturnenses incolumem Marium præstiterunt.

4. *Minturnis.*] Campaniæ oppidum inter Sinuessam & Formias ad Sirim Fluvium.

5. *In Africam pervenit.*] Vbi comparato exercitu, rediit in Italiam, junctisque cum Cinna, Carbone, & Sertorio viribus, Patriam oppugnat, Vrbem capit, multos è Nobilibus obtruncat, septimum occupat Consulatum, & paulo post moritur.

6. *In acie Pharsalica.*] Pharsalus Thessaliæ oppidum ad ripam Enipḥi fluminis, nunc *Pharsa*. Huic vicini campi Pharsalici Cæsaris victoria & Pompeii clade celebres.

7. *Victus à Cæsare.*] Legionum numero superior, sed longè impar militum robore, cum Cæsare Nobilitatis vocibus coactus conflixit: sed ubi equitatum, in quo maxime fidebat, pulsum videt, diffisus aliis excedit acie, & detractis Imperatoris insignibus è castris decumana porta se proripit, ut habet Plut.

8. *Fuga quærens salutem.*] Primum citato equo solus Larissam contendit, tum paucos suorum è fuga nactus nocturno itinere ad mare, deinde navi oneraria ad Lesbum, post ad Cyprum, deinde in Ægyptum pervenit; ubi Ptolemæi, ad quem fugerat, jussu necatus est. Ita Plut. & Dio.

9. *Cyprum.*] Insulam in Pamphylio mari inter Ciliciam & Syriam, olim potentissimam; cui, vel à Cypro Cynetæ Regis filia, vel ab ubertate Cypri arboris nomen impositum. *Cypre.*

10. *Paphum.*] Cypri oppidum veneri olim sacrum; *Papho.*

vox ſpem ejus, quantulacunque reſtabat, comminuit. Neque id diſſimulanter tulit: avertit enim oculos ab illis tectis, ac dolorem, quem ex diro omine conceperat, gemitu patefecit.

An. M. 4011. Ol. 184. 2. Vrb. C. 710. Ant. Ch. 42.

7. M. etiam Bruti dignus admiſſo parricidio, eventus omine deſignatus eſt: Siquidem poſt illud nefarium opus, [1] natalem ſuum celebrans, cum Græcum verſum expromere vellet, [a] ad illud potiſſimum Homericum referendum animo tetendit:

[2] Ἀλλά με μοῖρ' ὀλοὴ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός.

[b] Qui Deus [3] Philippenſi acie, à Cæſare & Antonio [4] ſigno datus [5] in eum tela convertit.

An. M. 4012. Ol. 184. 3.

8. [c] Conſentaneo vocis jactu [6] C. Caſſii [7] aurem Fortuna pervellit;

INTERPRETATIO.

[a] *Illum Verſum Homeri recitavit.*

[b] *Cujus Dei Apollinis ſimulacrum electum & à Cæſare, & ab Antonio pro vexillo animos addidit militibus, ut Brutum vincerent.*

[c] *C. Caſſium ſuis pariter ipſius verbis, de futura clade Fortuna admonuit, dum voluit illum reſpondere Solem à ſe relinqui Rhodiis, qui ab eo petebant, ne ipſos ſpoliaret omnibus ſimulacris Deorum: ut augeret petulantiam victoris rapaciſſimi, ſuperbo reſponſo, & illum cogeret abjecta* temere *ſpe victoriæ poſt pugnam in Macedonia datam, relinquere non tantum Solis imaginem, quam conceſſerat tantummodo* Rhodiis *ſupplicibus; ſed etiam revera lucem Solis* ſe occidendo.

NOTÆ.

1. *Natalem ſuum.*] Mos fuit apud Romanos, ut ſummorum virorum Natalis dies ſacrificiis, ludis, conviviis & aliis hujuſmodi lætitiæ ſignis celebraretur.

2. Ἀλλά με μοῖρ'.] Quem verſum in Latinum ſermonem ita ad verbum converterit quiſpiam.

Sed me parca ferox & Latonis filius occidit.

3. *Philippenſi acie.*] Philippi urbs eſt in Macedoniæ & Thraciæ confinio, ad radices Pangæi montis; quare ab aliis in Macedonia, ab aliis in Thracia ponitur, *Philippo.* Brutus quidem & Caſſius hic victi ſunt: cur vero, ut Octavii de Bruto, ita C. Cæſaris de Pompeio victoriam huic loco adſcribunt poëtæ veteres, inquirere res operoſa ſed non hujus loci. Vide Virgilium Ruæi, noſtri l. 1. Georg. verſ. 490. ubi hunc nodum, ut alios omnes, erudite explicat.

4. *Signo datus.*] Fuit in more poſitum, ut Imperator Deum aliquem, alius quidem alium pro arbitrio pugnæ futuræ ſignum proponeret. C. Marius Martis, Sylla Delphici Apollinis, C. Cæſar Veneris genitricis ſimulacrum habuiſſe fertur.

5. *In eum tela convertit.*] Poſt unum menſem à morte Caſſii, alterum à Bruto prælium datum eſt; eaque, tum virtute militum, tum victoriæ cupiditate utrimque pugnatum eſt, ut par prope fuerit & apud victores, & apud victos cæſorum numerus. Diſperſas copias & interclusum ad caſtra regreſſum ut vidit Brutus, in montes cum quatuor legionibus receſſit, eaſque poſtridie per Tribunos hortatur, ut medios per hoſtes erumpere conentur; ſed ab iis reſponſum ſibi tot bellorum labore feſſis ſpem pacis non eſſe corrumpendam: tum converſus ad amicos Brutus. *Iam civis*, inquit, *ego ſum inutilis Patriæ*; amicumque nomine Stratonem advocat, & ab eo occidi ſe jubet.

6. *C. Caſſii.*] *Longini.* Plebeium quidem Caſſiorum genus, ſed nobile. Mirum ſane, quod, quo patre ortus ſit Caſſius ille, à nemine proditum ſit. Fuit in bello Parthico Craſſi Quæſtor, eoque cæſo Syriam fortiter defendit adverſus Parthos, quorum Ducem Oſacem cum exercitu cecidit: deinde orta diſſenſione civili Pompeii partes ſecutus, Syriacis navibus præfuit: poſtea receptus à Cæſare, ab eo ad præturam evectus eſt; cum tamen aliquanto poſt M. Bruto, cujus ipſe ſororem duxerat, non ſibi primas à Cæſare delatas ferret ægrius, ipſi Bruto, ut in Cæſarem conſpiraret, auctor fuit.

7. *Aurem pervellit.*] Auris memoriæ ſa-

quem orantibus [1] Rhodiis, ne ab eo [2] cunctis Deorum simulacris spoliarentur, [3] Solem à se relinqui respondere voluit: ut rapacissimi victoris insolentiam, dicti tumore pertraheret, abjectumque Macedonica pugna, non effigiem Solis, quam tantummodo supplicibus cesserat, sed ipsum [4] Solem revera relinquere cogeret. Vrb. C. 711. Ant. Ch. 41

9. Annotatu dignum illud quoque omen, sub quo [5] Petillius Consul [6] in Liguria bellum gerens occidit. Nam cum montem, cui [7] Leto An. M. 3878. Ol. 151. 1. Vrb. C. 577. Ant. Ch. 175.

NOTÆ.

... cra dicitur; ideo aurem vellere, idem valet, quod memorem facere; unde Virg.

—— Delius aurem
Vellit, & admonuit. ——

1. *Rhodiis.*] Rhodus in mari Carpathio insula nobilissima, Cariæ adjacens, ambitu 130. M. passuum. *Rhodes.*

2. *Cunctis Deorum simulacris.*] Cassius & Brutus sibi à Lyciis & Rhodiis timentes Smyrnam conveniunt; illos Brutus, hos Cassius aggreditur: alios morte, alios exilio mulctat; quidquid pecuniarum, auri, argentique fuit, secum asportat, ut referunt Appianus, & Dio.

3. *Solem à se.*] Colossum Rhodium intelligebat, cujus & magnitudinem, & historiam libitum est hoc in loco explicare paucis. Illius altitudo 105 pedum fuit ex Festo, 126 ex Solino, 70 cubitorum ex Plinio, 80 ex Cedreno; crassitudo tanta ut vix quisquam illius pollicem amplecti posset. Rhodiorum urbem dura obsidione jamdiu premebat Demetrius, cum subito ecce obsessis veniunt auxilio Ptolemæus Ægypti, & Cassander Macedoniæ Reges: continuo obsidione soluta fugit Demetrius; castraque, vetuit enim timor multa secum auferre, opibus referta deserit; in his reperta auri vis ingens, & argenti, multa & pretiosa supellex, Regiusque apparatus omnis; ex quibus Rhodii hoc Solis simulacrum quod inter mundi miracula locum obtinuit à Charete Lyndio Lysippi discipulo ære fusili conflari jubent, anno Mundi 3750, Vrbis conditæ 449. Steterit moles hæc immensa, ex aliis per annos 56, ex aliis, quibus ego assentior, 81: corruitque terræ motu an. M. 3831. Vrb. C. 530. Iacuit in solo annis 874, donec anno Christi 652 ab Arabe Mahuvia mercatori cuidam vendita. Asportandis illius fragmentis 900 cameli vix suffecisse dicuntur, ut testatur Cedrenus.

4. *Solem re ipsa relinquere cogeret.*] De morte Cassii aliter Appiano, aliter Velleio Plut & Dioni. placet. Ita fere Appianus. Ab Antonio victus Cassius exutusque castris, in tumulum se recipit: ubi dedecoris impatiens Pindarum armigerum evocat; cumque de Bruti victoria illi allatum esset; nuntianti, *Refer*, inquit, *Bruto, optari me absolutam ipsi victoriam.* Tum ad Pindarum versus, *quid cessas? quin me ab hac ignominia liberas? simulque jugulo ferrum excepit.* Sic vero Velleius, Plut. & Dio. Direptis Octavii castris Brutus equites misit, qui victoriam nunciarent Cassio: quos simul ut ille procul ad se properantes vidit; jussit Titinnio, ut, qui essent, exploraret: ille ab equitibus, ut amicus, in medium receptus una cum iis ad Cassium redibat: sed Cassius hostes esse ratus, *expectavimus*, inquit, *dum viderimus amicum abripi*. Deinde in tentorium cum Pindaro secessit, ubi illius corpus confossum vulnere repertum est, Pindarus vero nusquam postea comparuit.

5. *Petillius.*] Q. Petillius Spurinus è plebeia familia.

6. *In Liguria.*] Inter Varum & Macram fluvios sita, quæ regio duas in partes postea divisa fuit; prima juxta littus maris, cujus caput Genua. altera mediterranea inter Apenninum, Alpes Cottias, & Padum; in qua Monsferratus ducatus, pars Principatus Pedemontani, & Mediolanensis De Liguribus olim nescio quis; *Ligures imis Alpium jugis adhærentes major est aliquanto labor invenire, quam vincere.*

7. *Leto.*] Mons est Liguriæ; Apennini pars nunc *Alpi di san Pelegrino* dicitur ex Leandro.

cognomen erat, [1] oppugnaret: interque adhortationem militum dixiſſet, Hodie ego utique Letum capiam: [2] inconſideratius præliando, [a] fortuitum jactum vocis leto ſuo confirmavit.

EXTERNA.

1. Adjici noſtris duo ejuſdem generis alienigena exempla non abſurdè poſſunt. [3] Samii, [4] Prienenſibus auxilium adverſus [5] Carras implorantibus, [6] arrogantia inſtincti, pro claſſe & exercitu [7] cymbulam eis deriſus gratia miſerunt. Quam illi velut divinitus datum præſidium interpretati, libenter acceptam, [8] vera fatorum prædictione, victoriæ ducem habuerunt.

2. [b] Neque [9] Apolloniatæ quidem pœnitentiam egerunt, quod cum bello Illyrico preſſi, [10] Epidamnios, ut ſibi opem ferrent, oraſſent;

INTERPRETATIO.

[a] Vocem fortuito emiſſam confirmavit morte ſua.

[b] Non pœnituit Apolloniatas, reſpondiſſe; Accipimus quod datur cum in bello, &c.

NOTÆ.

1. *Oppugnaret.*] Diviſis cum collega C. Valerio copiis ambo diverſi abeunt: Valerius alio; ipſe hoſtes, qui duos montes Letum & Baliſtam muro cinxerant, aggreditur.

2. *Inconſiderantius præliando.*] Dum duabus ſimul partibus in adverſos montes ſubire nititur, ea pars, in qua ipſe curabat, ſuccedebat impigre; alteram cum hoſtes propuliſſent, Petillius ut rem inclinatam reſtitueret, equo advectus ſuos quidem revocavit è fuga; ſed ipſe, dum ante ſigna obverſatur incautius, miſſili trajectus cecidit. Romani, qui viderant corpus occultavere, dejectiſque hoſtibus montes ſine duce ceperunt. Livius.

3. *Samii.*] Samos gemina inſula: altera in mari Icario Ioniæ proxima contra Epheſum, *Samo*, de qua hic agitur; altera in Ægeo mari Thraciæ adjacens contra Hebri oſtia, vulgo *Samothrace*. Erat etiam Samos oppidum apud Locros in magna Græcia, *Crepacuore*.

4. *Prienenſibus.*] Priene Ioniæ civitas olim maritima, poſtea limo Mæandri facta mediterranea. *Palatia*.

5. *Carras.*] Non urbs eſt Syriæ Craſſi clade nobilis, ſed populi, vel inſulani piraticam exercentes, ex Thucyd. & Salluſtio vel potius Cariæ inter Ioniam & Lyciam, ex Strabone.

6. *Arrogantia inſtincti*] Melius forte legeris *Arroganti inſtinctu*; ſic etiam Cicero, *quæ inſtinctu divino fundantur.*

7. *Cymbulam.*] Sunt, qui Sibyllam eo legi velint, quod ex Sibyllis una Samia fuerit: ſed meo judicio non dubium eſt, quin hæc ſcriptura vera ſit & ſincera. Prienenſes enim cum Samios irridere vellent, pro claſſe Cymbulam, non fœminam, miſerunt: erant enim Samiis in uſu cymbæ biremes à Polycrate tyranno inventæ, forma pene rotunda & concava: ex quo genere miſſam unam non temere dixeris.

8. *Vera fatorum prædictione.*] Quia κύμβη Græcis non eſt tantum lembus, vel navicula; ſed etiam caput, vertex, fiducia & ſumma rerum.

9. *Apolloniatæ*] Multiplex Apollonia: hæc, cujus hoc in loco meminit Valerius, in Epiro fuit. *Pollina*.

10. *Epidamnios*] Thucydidi Dalmatarum, aut Macedonum colonia fuit: propter auſpicatum nomen à Romanis Dyrrachium appellatum, teſtibus Livio Strab. & Plinio, *Durazzo*: tamen dubitat Dio an diverſa ſint oppida; Dyrrachium, & Epidamnus. Diverſa putat Appianus, illudque ad maris littus vel in peninſula, ut vult Strabo: hoc nonnihil à littore diſſitum eſſe teſtatur.

atque illi flumen vicinum mœnibus suis nomine [1] Æantem ad adjutorium se mittere dixissent, Accipimus quod datur, responderunt: eique [2] primum in acie locum, perinde ac duci assignaverunt. [a] Ex insperato enim superatis hostibus, successum suum in omen acceptum referentes, ex tunc Æanti ut Deo immolaverunt, & deinceps in omnibus præliis uti ducem constituerunt.

Interpretatio.

a Victis enim hostibus præter spem, tribuentes victoriam suam omini, quod acceperant, instituerunt ex illo tempore Sacrificia Æanti Fluvio tanquam Deo.

Notæ.

1. *Æantem.*] Qui è Lacmone Pindi promontorio ac secundum Apolloniam profluens in mare Adriaticum præcipitat. Aous etiam ab Hecatæo dicitur. *Vajussa.*

2. *Primum in acie locum.*] Cum fluviis singulis singulos Deos præesse crediderint veteres; est sane, cur suspicer non fluvium sed fluvii Deum ducem ab Apolloniatis constitutum.

Cap. VI.

DE PRODIGIIS.

Quæ evenere Romanis.

1. *Ser. Tullio Regi.*
2. *L. Marcio Centurioni.*
3. *Populo Rom. ac Vejentibus.*
4. *S. Sullæ Procos.*
5. *Populo Rom. diversis temporibus.*
6. *C. Flaminio Cos.*
7. *C. Hostilio Mancino Cos.*
8. *Ti. Graccho Procos.*
9. *M. Claudio Marcello Cos. V.*
10. *Cn. Octavio Cos.*
11. *M. Licinio Crasso Procos.*
12. *Cn. Pompeio Magno Procos.*
13. *C. Iulio Cæsari Dictatori.*

Externis.

1. *Xerxi Persarum Regi.*
2. *Midæ Phrygum Regi infanti.*
3. *Platoni Phil. infanti.*

Prodigiorum quoque, quæ aut secunda, aut adversa acciderunt, debita proposito nostro relatio est.

1. [1] Ser. Tullio tum puerulo dormienti, circa caput [2] flammam emicuisse, domestici oculi annotaverunt. Quod prodigium Prisci — An. M 3444. Ol. 42. 3. Urb. C. 143. Ant. Ch. 609.

Notæ.

1. *Servio Tullio.*] Ocrisia Corniculana captiva natus, ac virtute singulari Regi Tarquinio commendatus, Regi stemmatis proceribus prælatus est; Sextusque Romæ regnavit.

2. *Flammam emicuisse.*] Puero dormienti arsisse caput tradunt Dionysius l. 4. & Livius l. 1. in eo vero dissentiunt, quod ille à matre, hic sponte sua experrectum dicat, moxque cum somno flammam abiisse.

An. M. 3444. Tarquinii Regis uxor [1] Tanaquil admirata, Servium [2] ſerva natum;
Ol. 42. 3. in modum filii educavit, & [3] ad Regium faſtigium evexit.
Vrb. C. 143 2. [a] Æquè felices eventus illa flamma, quæ ex [4] L. Marcii [5] duci
Ant. Ch. 609. duorum exercituum, quos [6] interitus P. & Cn. Scipionum in Hiſpania
An. M. 3842. debilitaverat, capite concionantis eluxit. Namque ejus aſpectu pavidi
Ol. 141. 1. adhuc milites, priſtinam recuperare fortitudinem admoniti, octo & tri-
Vrb. C. 541. ginta millibus hoſtium cæſis, magnoque numero in poteſtatem reda-
Ant. Ch. 211. cto, [7] bina caſtra Punicis opibus referta ceperunt.

3. Item cum bello acri & diutino Veientes à Romanis intra mœ-
An. M. 3657. nia compulſi, capi non poſſent; eaque mora non minus obſidentibus quam
Ol. 95. 4. obſeſſis intolerabilis videretur; exoptatæ victoriæ iter miro prodigio
Vrb. C. 356.
Ant. Ch. 396.

INTERPRETATIO.

a Tam felicem eventum portendit illa flamma, quæ emicuit è capite L. Marcii adhortantis milites, dum dux eſſet duorum exercituum, &c.

NOTÆ.

1. *Tanaquil.*] Quæ prodigiorum peritiſſima, Tarquinio *Vides-ne puerum hunc,* inquit. *ſcire licet hunc lumen quondam rebus noſtris dubiis futurum, præſidiumque Regiæ afflictæ.* Inde puer liberorum loco cœptus haberi; iiſque erudiri artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur. Ita Livius.

2. *Serva natum.*] Hac in parte Dionyſium inter & Livium nihil omnino convenit. Livius Tullii patrem Corniculanum fuiſſe Principem affirmat; ille non item: Ocriſiam illius matrem ob nonobilitatem à Regina ſervitio prohibitam; ille negat. puero Servii Tullii nomen à patre inditum; ille vero vult *Tullium* quidem à patre; & à Matre, quæ ſerva fuerat, *Servium* nuncupatum.

3. *Ad Regnum faſtigium evexit.*] Tarquinio ab Anci Martii filiis occiſo, Tanaquil, quæ ſibi ſuiſque timebat, diſſimulat Regis cædem, civeſque alios ex aliis nectendo dolos, ludit tamdiu, dum Servius multos geſtarum rerum gloriâ, multos induſtria & comitate ſibi conciliat, omneſque blande appellando ſummam invadit autoritatem. Dionyſ.

4. *L. Marcii*] Filius fuit Septimii Equitis; & ipſe Eques; juvenis impiger, maximi & ingenii & animi; à Cn. Scipione omnibus militiæ artibus inſtructus.

5. *Ducis duorum exercituum.*] Poſt Scipionum cædem, dum milites alii alio fugiunt, & quiſque ſecum præclare actum putat, ſi ſalvus evaſerit; Marcius multos è fuga revocat, multos etiam è præſidiis deducit; ac prope juſtum cogit exercitum junctiſque cum T. Fonteio Scipionis legato viribus, dux ab omnibus eligitur.

6. *Interitus P. & Cn. Scipionum.*] Quos *Fulmina belli* appellat Virgilius, ambo fratres, animi magnitudine, ſcientia rei militaris, & victoriarum ſplendore propè pares: ambo ſummi viri, & ſummorum virorum parentes: ille enim Scipionum Africani Majoris, & Aſiatici; hic Scipionis Naſicæ, qui *Vir optimus* habitus eſt, pater extitit Vterque eodem fere tempore, eodemque mortis genere periit P. Scipio à Maſſiniſſa diu laceſſitus in caſtris, dum Indibili obviam iret, ut quocumque occurreret loco, prælium conſereret ab equitibus Numidis circumventus, dum fortiter dimicat, lancea transfixus occubuit. Continuo Aſdrubal & Mago, aſſumpto etiam Aſdrubale Barchino, movent in Cn. Scipionem fraternæ cladis ignarum, qui militum numero longe inferior ſubducti in collem copiis reſtitit aliquandiu, dum vel in eo tumulo, ut volunt nonnulli, vel ut Livius, in turri, quo fugerat, interficitur.

7. *Bina caſtra.*] Bina erant hoſtium caſtra, altera alteris remotiora. Marcius intempeſta nocte proxima adortus hoſtes

Dii immortales patefecerunt Subito enim [1] Albanus lacus, neque cœlestibus imbribus auctus, neque inundatione ullius amnis adjutus, solitum stagni modum excessit: cujus rei explorandæ gratia legati [2] ad Delphicum oraculum missi, retulerunt præcipi sortibus, ut aquam lacus ejus emissam, per agros diffunderent: sic enim Veios in potestatem populi Romani venturos. Quod priusquam legati renuntiarent, [3] aruspex Veientium à milite nostro (quia domestici interpretes deerant) raptus, & in castra perlatus futurum dixerat. Ergo Senatus duplici prædictione monitus, eodem pene tempore, & [a] religioni paruit, & hostium Vrbe potitus est.

4. Nec parum prosperi successus est, quod sequitur. L. Sulla [4] Procos. [5] sociali bello cum [6] in agro Nolano ante [7] prætorium immolaret, subito ab ima parte aræ [8] prolapsam anguem prospexit. Qua visa, An. M. 3965. Ol. 172. 4. Vrb. C. 664. Ant. Ch. 88

INTERPRETATIO.

[a] *Deorum monitis religiose paruit.*

NOTÆ.

victoriæ fiducia incompositos interneciione delet: tum eadem nocte rei gestæ famam prægressus, alia castra invadit; iisque post acre certamen potitur. 37 millia hostium cæsa auctor est Claudius apud Livium l. 25: apud quem tamen 17 millia cæsa, 4 capta numerat Valerius Antias.

1. *Albanus lacus.*] In Latio situs, qui neque aliunde ducit originem; neque alio se effundit; sed altis undique clauditur montibus. *Lago di Castel Gandolfo.*

2. *Delphicum oraculum.*] Ad ea, quæ jam de illo oraculo diximus hæc pauca addere libet. Supra specum templum erat oppido muroque cinctum, ad quod angusta semita difficilis patebat aditus; in medio templi exigua planities & in ea hiatus, unde spiritus acer & vehemens terribili sonitu excussus Pythiam insistentem tripodi corripiebat; nec semper, sed statis diebus responsa dabat versibus græcis, sed ambiguis illigata.

3. *Aruspex à milite.*] Idem quod Valerius, refert Livius l. 5 At Cicero & Aruspicem fuisse, & vi raptum negat, sed Veientem nobilem vocat, qui ad Romanos profugisset.

4. *Proconsul.*] De Proconsule egimus in Romanorum magistrat.

5. *Sociali bello.*] Quod, & Marsicum, & Italicum dictum est, cujus hæc origo, hicque exitus fuit. Cum Marsi, Picentes, Peligni, Samnites, Lucani, aliique Italiæ populi indigne ferrent, se laborum omnium ac periculorum participes ab communione & imperii & honorum excludi; nec civitatem impetrassent à M. Druso tribuno plebis ostentatam; quod jure non poterant, armis extorquere conati sunt. Vario cum illis eventu pugnatum est; præcipuum contra eos victoriæ decus Cn. Pompeius Strabo, & L. Sylla meruerunt, à quibus aliisque ducibus domiti pacem petierunt: civitas ultro cum pace data.

6. *In agro Nolano.*] Velleius à Tuscis; Solinus à Tyriis, seu emendante Salmasio, à Thuriis conditos affirmat. Constat ex Strabone Græcos ducibus Hippocle Cumeo & Megasthene Chalcidensi civitates Cumis proximas post Cumas condidisse; Nola enim erat ad Sarnum non procul à Cumis. *Nole.*

7. *Prætorium.*] Tabernaculum, quo duces exercituum, sive Dictatores, sive Consules, sive Prætores ii essent, utebantur: hoc inde nomen habet, quod Consules, qui bella fere administrabant *Prætores* dicerentur, in medio non castrorum fuit, sed aliorum ducum; ut eos, si quid opus esset, citius ad se vocaret: erat in eo augurale, ubi Imperator sacrificare & auspicari solebat. Hæc & plura Lipsius.

8. *Prolapsam anguem.*] Non Syllæ me-

Postumi aruspicis hortatu continuo exercitum in expeditionem edu[...] ac fortissima[1] Samnitum[2] castra cepit Quæ victoria futuræ ejus amplissim[...] [3] potentiæ gradus & fundamentum extitit.

An. M. 3594. Ol. 80. I. Vrb. C. 293. Ant. Ch. 459.

5. Præcipuæ admirationis etiam illa prodigia, quæ [4] P. Volumni[...] Ser. Sulpitio Coss. in Urbe nostra [5] inter initia motusque belloru[...] acciderunt. [a] Bos namque, mugitu in sermonem humanum converso novitate monstri audientium animos exterruit. Carnis quoque in modu[...] nimbi dissipatæ partes ceciderunt: quarum majorem numerum [6] præpete[...] diripuerunt aves, reliquum humi per aliquot dies, neque odore tetro, ne[...]que deformi aspectu mutatum jacuit.

An. M. 3837 Ol. 140. 4. Vrb. C. 536. Ant. Ch. 216.

Ejusdem generis monstra [b] [7] alio tumultu credita sunt: Infanten[...] semestrem [8] in foro Boario triumphum proclamasse. Alium cum ele[...]phantino capite natum.

An. M. 3839. Ol. 141. 2. Vrb. C. 538. Ant. Ch. 214.

[9] In Piceno lapidibus pluisse. In Gallia lupum vigili è vagina gl[...]dium abstulisse. [10] In Sicilia scuta duo sanguinem sudasse. [c] Etiam me[...]

INTERPRETATIO.

a *Nam Bos, qui mugire solet, humanis verbis locuta terruit eos, qui audierunt, novitate prodigii prius inauditi.*

b *Cum alio bello flagraret Italia.*

c *Creditum est spicas perfusas sanguine de[...]cidisse prope Antium in vas vimineum, du[...]* Incolæ *meterent.*

NOTÆ.

do; sed multis etiam postea summis viris serpentum allapsus boni fuit ominis; ut Augusto apud Dionem; Aureliano apud Vopiscum, Maximino apud Iulium Capitolinum.

1. *Samnitum.*] Samnites Pelignis, Sabinis, Latinis, & Campanis conterminis nunc *Benevent & Capitanate*. Nomen ab hastis, quas ferebant sortiti sunt, ex Festo: hasta enim Græce dicitur *σαυνία*.

2. *Castra cepit.*] L. Cæsaris legatus maximis præliis Latinos fregit; Cluentioque illorum duce propter Nolam cæso, 50 hostium millia interfecit.

3. *Potentia gradus.*] Rebus gestis proxime in Italia, nuper in Asia, jamdudum in Gallia & Africa clarissimus, civium pene omnium suffragiis consulatum annos 49 natus obtinuit, eique bellum contra Mithridatem delatum.

4. *Volumnio, Ser. Sulpitio.*] Camerino uterque patricius; sed nulla re, nisi gesto consulatu notus.

5. *Inter initia.*] Hæc & alia prodigia refert Livius ante Gallorum adventum, quæ futurum Vrbis excidium minarentur.

6. *Prapetes.*] Avium quatenus ad auguria pertinent, duo quasi genera; aliæ enim præpetes; aliæ inferæ. Præpetes quæ ant[...] auspicantem vel celerius; vel sublimius inferæ, quæ vel tardius, vel humilius volarent.

7. *Alio tumlutu.*] Cum Annibal superatis Alpibus Italiæ immineret.

8. *In foro Boario.*] Velebro lacu exsiccato versus Aventinum, forum Boarium institutum est; cui nomen fecit, vel taurus ab Hercule interfecto Caco ibi immolatus, vel ex Plin. & Ovid. æreum Tauri simulacrum, unde Vrbis condendæ sulcum duxerat Romulus, ex multis: vel boves, quæ ibi venumdarentur, ex Varrone.

9. *In Piceno.*] Quod ex una parte Vmbris & Sabinis: ex altera mari Adriatico terminatur, vel à Pico Latinorum Rege, ut placet Silio Italico, vel, ut Straboni & Festo, ab ave Pico, quæ in eorum vexill[...] dum Asculum proficiscerentur, consederi[...] Nunc *la marche d'Ancone.*

10. *In Sicilia.*] Insula maris Mediterranei maxima prope extremam oram [...]tentibus

tentibus [1] apud Antium cruentas ſpicas in [2] corbem decidiſſe. [3] Cærites aquas ſanguine miſtas fluxiſſe. Bello etiam Punico ſecundo conſtitit [4] Cn. Domitio bovem dixiſſe, Cave tibi, Roma. An. M. 8393 Ol. 141. 2. Vrb. C. 538. Ant. Ch. 214.

6. C. autem Flaminius cum [5] inauſpicato Conſul creatus, apud lacum [6] Traſimenum cum Annibale conflicturus, [7] convelli ſigna juberet, [8] lapſo equo, ſuper caput ejus humi proſtratus eſt: nihilque eo prodigio inhibitus, ſigniferis negantibus ſigna moveri ſua ſede poſſe; [9] Malum, ni ea continuo effodiſſent, minatus eſt. Verum hujus temeritatis, utinam ſua tantum, non etiam pop. Roman. maxima clade pœnas pependiſſet: [10] in ea namque acie xv. millia Romanorum cæſa, [11] vi. millia capta, x. millia fugata ſunt. Conſulis [12] obtruncati corpus An. M. 3837 Ol. 140. 4. Vrb. C. 536. Ant. Ch. 216.

Notæ.

liæ, à Siculo Neptuni filio nomen accepit. Tribus promontoriis quaſi angulis terminatur, Pyloro contra Italiam, Pachyno Græciam verſus, & Lilybæo verſus Africam. *La Sicile.*

1. *Apud Antium.*] Vrbem Latii Volſcorum caput, ad maris littus. *Antio.*

2. *Corbem.*] Vas vimineum, in quod colliguntur ſpicæ.

3. *Cærites aquas.*] A Cærete oppido, de quo ſupra.

4. *Cn. Domitio.*] Duplex Romæ Domitiorum familia, Ænobarborum, & Calvinorum: illa patricia, hæc non item: è patricia fuit Domitius ille legatus Scipionis Aſiatici.

5. *Inauſpicato.*] Cum ſe Patribus inviſum ſciret Flaminius, nullo peracto ſacrificio clam in Provinciam abiit: quare miſſi à Senatu, qui eum in Vrbem revocarent, ne Diis invitis bellum ſuſciperet: at ille parere noluit.

6. *Ad lacum Traſimenum.*] Propter Peruſiam quo Annibal victis & ad Ticinum P. Scipione, & ad Trebiam Sempronio cum peditum 96. equitum 12. pervenerat: vulgo, *Lago di Perugia.*

7. *Convelli ſigna juberet.*] Moris erat in caſtris defigi ſigna: & inde, ſi ad certamen eundum, evelli: quæ ſi trahentem facile ſequerentur, lætum pugnæ exitum; ſin minus, triſtem portendebant.

8. *Lapſo equo.*] Ante ſignum Iovis Statoris cecidiſſe ſcribit Cicero: hæc prodigia augentur à Livio, omittuntur à Polybio.

9. *Malum ni ea, &c.*] Converſus ad nuncium, *num literas quoque*, inquit, *ab Senatu affers, quæ me rem gerere vetent? abi, nuncia ſignum effodiant, ſi ad convellendum manus præ metu obtorpuerint.* Hæc Livius l. 22. Cumque pullarius prælium differret, quod pulli non veſcerentur. *Præclara*, inquit, *auſpicia, ſi eſurientibus pullis res geri potuiſſet, ſaturis nihil geretur.* Ita Cic. de divinat.

10. *In ea acie xv. millia.*] Eundem numerum habent Polyb. & Livius, Eutropius vero 25. millia. Quomodo in peranguſtum locum, & clauſum montibus Conſulem perduxerit Annibal, eleganter ut ſolet, deſcribit Livius l. 22.

11. *VI. millia capta.*] Per adverſos hoſtes in tumulum evaſere, cumque rem perditam cernerent, quam citatiſſimo poſſunt agmine ſe ſe abripiunt: poſtero tamen die cum omni equitatu Maherbali, cum & fidem daret, & fame premerentur, ſe dediderunt: quæ Punica religione ſervata fides ab Annibale eſt, atque in vincula omnes conjecti. Ita Livius.

12. *Obtruncati corpus.*] Circa Flaminium acrior pugna erat; & ipſe, quacunque in parte premi ac laborare ſenſerat ſuos, impigre ferebat opem: cum Inſuber, Ducario nomen erat, illum ex armis & facie agnoſcens. *Conſul*, inquit, *hic eſt, popularibus ſuis, qui legiones noſtras cecidit: jam ego hunc victimam manibus peremptorum fœde civium dabo.* Subditiſque calcaribus equo per confertiſſimam hoſtium turbam impetum facit, obtruncatoque prius armigero, Conſulem lancea trans-

ad funerandum ab Annibale quæsitum est: [a] qui, quantum in ipso fuerat, Romanum sepelierat imperium.

An. M. 3917. Ol. 160. 4. Vrb. C. 616. Ant. Ch. 136.

7. Flaminii autem præcipitem audaciam [1] C. Hostilius Mancinus vesana perseverantia subsequitur: cui Consuli in Hispaniam ituro hæc prodigia acciderunt: Cum [2] Lavinii sacrificium facere vellet, pulli cavea emissi in proximam sylvam fugerunt, summaque diligentia quæsiti reperiri nequierunt. Cumque ab [3] Herculis portu, quo pedibus pervenerat, navem conscenderet, talis vox sive ullo auctore ad aures ejus pervenit, Mancine mane. Qua territus, cum itinere converso [4] Genuam petisset, & ibi in scapham esset ingressus; anguis eximiæ magnitudinis visus è conspectu abiit: Ergo numerum prodigiorum numero calamitatum æquavit, [5] infelici pugnâ, [6] turpi fœdere, [7] deditione funesta.

An. M. 3842. Ol. 142. 1. Vrb. C. 541. Ant. Ch. 21 .

8. [b] Minus miram in homine parum considerato temeritatem [8] Ti. Gracchi gravissimi civis tristis exitus, & prodigio denuntiatus, nec

INTERPRETATIO.

a Qui Flaminius, quantum in ipso fuerat, everterat imperium Romanum sua temeritate.

Flaminii præcipitem audaciam imitatur etiam memorabilis C. Hostilii Mancini vesana perseverantia.

b Mors tristis Tib. Gracchi civis gravissimi, & prædicta prodigio, & non evitata prudentia, facit, ut minus mira videatur temeritas Mancini hominis parum considerat

NOTÆ.

fixit. Tantus fuit in ea pugna animorum ardor, ut eum terræ motum, qui multarum urbium partes prostravit, avertit amnes, montes proruit, nemo pugnantium sen serit. Vt auctor est Livius. l. 22.

1. *C. Hostilius Mancinus.*] Ex nobili Hostiliorum familia, qui ad Tullium Hostilium Regem referebant originem.

2. *Lavinii.*] Recte sic legitur, non Lanurii; cum pulli in sylvam Laurentinam, quæ Lavinio proxima est, avolarint. Fuit Lavinium inter Ostiam, Ardeam, & Veliternum: vulgo dicitur *Civita Lavina* ex Ortelio.

3. *Herculis portu.*] Portus Herculis Monœci in Liguria. *Monaco.* Hoc nomen invenit; vel, quod Hercules pulsis incolis, ut vult Strabo, solus hic habitavit; vel, ut alii, quod in Herculis templo Deorum præter ipsum nullus colatur: cum tamen in Iovis templo Minerva & Iuno; in Veneris, Cupido, aliique Dii in aliorum templis colantur.

4. *Genuam.*] Ligurum Vrbem præcipuam ad maris littus; vel à Genuo Saturni filio; vel à Genuino Phaëthontis socio; vel à Iano nomen accepit. *Gennes.*

5. *Infelici pugnâ.*] Cum levioribus pugnis ab iis sæpe victus est, tum 30. Romanorum ipso duce millia à 4. Numantinorum millibus fugata sunt, ex Epit. Livii l. 55.

6. *Turpi fœdere.*] Fusus ab eis cum esset, in castra primum se recepit; deinde falso rumore territus Cantabros hostibus auxilio adventare, sub mediam noctem in locum desertum cum copiis recessit; ubi à Numantinis inclusus, ut sibi suisque consuleret, turpes pacis conditiones pepigit. Appianus.

7. *Deditione funesta.*] Ratam pacem Senatus cum habere nollet, Mancinus hostibus tradi jussus, nudato corpore, manibus post tergum revinctis, ante portas Numantinorum expositus est; desertus suis, ab hostibus non receptus, lacrymabile utrisque præbuit spectaculum; ut auctor est Orosius. In castra postea rediisse & præturam iterum gessisse testantur Plinius & Aurelius Victor.

8. *Ti. Gracchi.*] Ex gente Sempronia: fuerat Iunio Dictatori Magister equitum

evitatus consilio, facit. Procos. enim cum [1] in Lucanis sacrificaret, angues duo ex occulto prolapsi, repente hostiæ, quam immolaverat, adeso jecinore, in easdem latebras se retulerunt. Ob id deinde factum, instaurato sacrificio, idem prodigii evenit. Tertia quoque cæsa victima, diligentiusque asservatis extis, neque allapsus serpentum arceri, neque fuga impediri potuit. Quod quamvis aruspices ad salutem Imperatoris pertinere dixissent; Gracchus tamen non cavit, ne [2] perfidi hospitis sui Flavii insidiis, in eum locum deductus, in quo Pœnorum dux Mago cum armata manu delituerat, inermis occideretur.

9. Et consulatus collegium, & erroris societas, & par genus mortis à Ti. Graccho, ad Marcelli memoriam me trahit. Is [3] captarum Syracusarum, & Annibalis ante [4] Nolana mœnia à se primum fugere coacti, gloria inflammatus, cum [5] summo studio niteretur, ut Pœnorum exercitum aut in Italia prosterneret, aut Italia pelleret; solennique sacrificio voluntates Deorum exploraret; quæ prima hostia ante foculum decidit, ejus jecur [6] sine capite inventum est: proxima caput jocinoris duplex habuit. Quibus inspectis aruspex tristi vultu, non placere sibi exta, quia prima tam tristia, secunda nimis læta apparuissent, respondit. Ita monitus M. Marcellus ne quid temere conaretur; insequenti nocte speculandi gratia cum paucis egredi ausus, à

An. M. 3846.
Ol. 143. 1.
Vrb. C. 545.
Ant. Ch. 207.

NOTÆ.

In primo consulatu per servos egregiam de Pœnis victoriam retulit.

1. *In Lucanis.*] Qui Brutios inter, Picentes, & Appulos habitabant, nunc *Basilicata & Principatus.* A Samnitibus originem traxisse tradunt Strabo & Plinius; eamque sedem ejectis Oenotriis invasisse.

2. *Perfidi hospitis.*] Flavius Lucanorum Princeps, qui à Romanis contra Pœnos hactenus steterat, Annibalis amicitiam gentisque suæ libertatem morte Consulis pactus, Magonem monet, quo tempore, quo loco poneret insidias: tum amice, ut solebat, invitat Tiberium; ut ad se quam primum veniat, Lucanos deditionem facturos. Gracchus cum lictoribus & exigua militum manu è castris egreditur; in paratas sibi insidias incurrit: acriter utrimque pugnatum est; at Consul multis confossus vulneribus cecidit.

3. *Captarum Syracusarum.*] Hierone mortuo Hieronymus Regni, non fidei in Romanos hæres; ad Annibalem desciverat: quare M. Marcellus fusis sæpe illius copiis urbem obsidet eamque non minus Archimedis ingenio, quam civium armis defensam, cum diu frustra oppugnasset, tandem securitate & luxuria victam noctu de improviso capit.

4. *Nolana mœnia.*] Bis ad Nolam fudit Annibalem; primum anno 537. cum admissus in Vrbem tribus ex portis simul emisso exercitu in hostem erupit, duo millia cecidit, uno tantum è suis amisso. Iterum anno sequenti, dum Annibal Nolam obsideret, educto in aciem exercitu prælium committit, Pœnosque vertit in fugam, cæsis 1200. captis 1600. & 20. signis militaribus; tumque Annibalem vinci posse primus docuit.

5. *Summo studio teneretur.*] Tanta fuit in Marcello cum Annibale pugnandi cupiditas; ut id unum noctu somniaret, assiduis usurparet sermonibus, votis frequentibus à Diis exposceret. Cum victus ab Annibale postero die instrueret aciem, iterumque pugnam pararet, dixisse fertur Annibal. *Papæ! quid hoc homine faciam? qui nec bonam, nec malam ferre fortunam potest; solus, nec victor sinit nos quiescere, nec quiescit ipse victus.* Ita Plut. in Marcello

6. *Sine capite.*] Caput iecoris dicitur

multitudine hostium [1] in Brutiis [2] circumventus, æque magnum dolorem, ac detrimentum patriæ, [3] interitu suo attulit.

An. M. 3967. Ol. 173. 2. Vrb. C. 666. Ant. Ch. 86

10. Jam & [4] Octavius Consul dirum omen quemadmodum timuit, ita vitare non potuit: ex simulacro enim Apollinis per se abrupto capite & ita infixo humi ut evelli nequiret, [5] armis à collega suo Cinna dissidens, præsumpsit animo ea re significari exitium suum, in quod metu augurii, [6] tristi fine vitæ incidit: ac tum demum immobile Dei caput terra refigi potuit.

11. [a] Non sinit nos [7] M. Crassus inter gravissimas nostri imperii ja-

INTERPRETATIO.

a M. Crassi exitus deplorabilis numerandus inter maximas clades nostri imperii, non patitur nos silere de se hoc loco, cum graviter admonitus fuerit ante tantum calamitatem evidentissimis prodigi-

NOTÆ.

pars anterior, quod promineat, posterior enim concava.

1. *In Brutiis.*] Apud Lucanos Brutii pastores diu fuisse dicuntur, qui excusso servitutis jugo tempore Dionysii senioris, trans Laum fluvium sedes posuere: unde à Lucanis dicti sunt Βρέντιοι, quod eorum lingua fugitivos sonat: à Romanis vero Brutii, quasi Bruti, vecordes & stupidi, quod ad Annibalem descivissent. A Bretto Herculis filio vult nomen illis inditum Stephanus. Βρέντιοι Eustathio, Βρύτιοι Ptolemæo; Brutates Festo. Eorum vero regio, quæ à Lucanis ad fretum Siculum inter mare Tyrrhenum & Sinum Tarentinum extenditur, Βρεταvία Polybio, Βρεττία Straboni, Diodoro, & Athenæo dicitur. *La Calabre.*

2. *Circumventus.*] Inter Punica & Romana castra tumulus sylvestris erat, ab neutris primo occupatus; postea tamen Annibal aliquot Numidarum turmas medio in saltu condidit; cumque fremerent vulgo in castris occupandum illum tumulum, Consules cum equitibus 220. eo proficiscuntur.

3. *Interitu suo.*] Vbi in tumulum venerunt Consules, continuo Numidæ clamore sublato impetum faciunt: Hetrusci 180. fugiunt; Fregellani tamen 40. fortiter pugnando rem sustinuerunt; sed postquam vulneratos ambos Consules, Marcellum etiam transfixum lancea prolabentem ex equo moribundum videre, ipsi cum Crispino effugerunt. Sic Livius 27. & Plut. in Marcello.

4. *Octavius.*] Ex nobili Octaviorum gente, quæ à Tarquinio Prisco Velitris, orta inter Romanas gentes, à Servio Tullio inter patritias allecta: sed de his uberius in Romanorum familiis disseruimus.

5. *Armis à collega suo.*] Cinna qui à Marianis, ut ait Appianus, pecunia corruptus datam Syllæ fidem cum fefellisset; multos Italiæ populos spe civitatis in urbem accivit: sed ab Octavio, aliisque civibus cum Italici illi foro ejecti, Tribunusque, ne legem ferret, prohibitus; tum Cinna ipse pulsus urbe, bonis, consulatu, honoribus privatus; eique suffectus Cornelius Merula.

6. *Tristi fine vitæ.*] Ab exercitu Nolano receptus Cinna, junctis cum Mario viribus, urbem invadit: in qua ea lege, ne in cives sæviret, admissus est: pollicitus se scientem mortis causam fore nemini, Octavium discedere jussit, qui, cum Consulem, quam fugitivum agere mallet, à Censorino quodam Cinnæ duce, ejusdemque jussu, ut auctor est Velleius, in consulari habitu & sella curuli, capite truncatus est. Caput ad Cinnam delatum, primum pro rostris positum est.

7. *M. Crassus.*] Ex nobili Liciniorum stemmate, Romanorum omnium ditissimus, ovatione, duplici consulatu, & censura insignis juncta cum Pompeio & Cæsare

ćturas numerandus, hoc loco de se silentium agere: plurimis & evidentissimis ante tantam ruinam monstrorum pulsatus ictibus.

Ductururs erat à [1] Carrhis adversus [2] Parthos exercitum: ei [3] pullum traditum est [4] paludamentum; cum in prœlium exeuntibus album, aut purpureum dari soleret: Mœsti & taciti milites [5] ad principia convenerunt, qui vetere instituto cum clamore alacri accurrere debebant. [6] Aquilarum altera vix convelli à [7] primipilo potuit; altera ægerrimè extracta in contrariam, ac ferebatur, partem se ipsa convertit. Magna hæc prodigia: sed & illæ clades aliquanto majores, [8] tot pulcherrimarum legionum interitus, tam multa signa hostilibus intercepta manibus, tantum Romanæ militiæ decus Barbarorum [9] obtritum equita-

An. M. 4001. Ol. 181. 4. Vrb. C. 700. Ant. Ch. 52.

NOTÆ.

societate, ut omnia ad nutum regerent, Galliam Cæsar, Hispaniam Pompeius, ipse Syriam obtinuit: Parthisque Orodis thesauris inhians, nulla causa bellum indixit: *Nisi eguisset*, inquit, Cicero, *numquam Euphratem nulla belli causa transire voluisset.*

1. *A Carrhis.*] Vrbe Mesopotamiæ, cui Carrha Syriæ fluvius nomen fecit ex Stephano. *Orfa.*

2. *Parthos.*] Quorum regio Media, Hircania, & Perside circumscribitur; sed postquam Arsaces victo Seleuco Parthorum regnum firmavit; omnibus ferme provinciis, quæ ab Euphrate ad Oxum pertinent, Parthiæ nomen à Parthis ibi imperantibus factum est. Hujus Imperii primordia in notis ad Iustinum explicavimus.

3. *Pullum.*] Hoc est nigrum, unde pullati proceres apud Iuvenalem.

4. *Paludamentum.*] Vestis militaris non purpura tantum; sed cocco etiam & auro distincta; quæ licet à Varrone & Livio militibus nonnunquam tribuatur, fuit tamen propria Imperatorum.

5. *Ad principia.*] Id est ad primam aciem. Romanos milites in quatuor veluti classes tribuit Polybius l. 6. in velites, hastatos, principes & triarios. Primum in acie ordinem velites, secundum hastati & principes, tertium triarii occupabant. Vbi vero velites eminus pilis certaminis quasi præludia dedissent, tum hastatorum & principum erat pugnam aggredi, hostem excipere, & cominus gladiis rem agere.

6. *Aquilarum.*] Aquila fuit aureum aquilæ simulacrum hastæ præpilatæ suffixum. De signis paulo antea egimus.

7. *Primipilus.*] Cum legio in decem cohortes; cohors vero in ordines ternos exceptis velitibus tribueretur: qui iis præerant ordinibus, centuriones dicti sunt; qui vero triariorum manipulo in prima cohorte, Primopilus, vel primipilus, vel primi pili centurio; cujus fuit aquilam regere, humi defixam avellere, eamque in acie tueri.

8. *Tot pulcherrimarum legionum.*] Romanorum 20. millia cæsa, 10. millia capta dicuntur.

9. *Obtritum equitatu.*] Crassus quadrato agmine procedebat, cum Parthi signo dato Romanos invadunt: alii primos telis configere, pars à sinistra ac dextera instare; undique infesti adesse: si vero Romanorum turma eos insequi cœperat, non confertim pugnabant, nec in unum se recipiebant; sed uti docti à Surena, alius ab alio, quam maxime diversi. Vbi videt Crassus suos eminus sauciari; nec contra feriendi, & cominus pugnandi copiam esse; filium advocat, jubet cum hoste manum conserat: tum Parthi simulare fugam; Publius fugientes persequi imprudentius: postquam enim à patre longius abstractus est, Parthi prœlium instaurant; alios sagittis, alios contis transfodiunt, miseramque equitum edunt stragem.

tu, [1] optimæ indolis [2] filii cruore paterni respersi oculi, [3] corpusque Imperatoris inter promiscuas cadaverum strues, avium ferarumque laniatibus objectum: [a] Vellem equidem placidius, sed quod relatu verum est. Sic Dii spreti excandescunt: Sic humana consilia castigantur, ubi se cœlestius præferunt.

An. M. 4006. Ol. 183. 1. Vrb. C. 705. Ant. Ch. 47.

12. Cn. etiam Pompeium Jupiter omnipotens abunde monuerat, ne cum C. Cæsare ultimam belli fortunam experiri contenderet; egresso à [4] Dyrrachio adversa agmini ejus fulmina jaciens, [5] examinibus apum signa obscurando, subita tristitia implicatis militum animis, nocturnis totius exercitus terroribus, ab ipsis altaribus hostiarum fuga: [b] sed invictæ leges necessitatis, pectus alioqui ab amentia remotum, prodigia ista justa æstimatione perpendere passæ non sunt. [c] Itaque dum ille [6] elevat auctoritatem amplissimam, & opes privato fastigio excelsiores, om-

INTERPRETATIO.

a *Vellem equidem narrare res lætiores, sed justum est, ut id referatur, sicut gestum est.*

b *Sed fata inevitabilia non permiserunt Pompeium, virum alioqui prudentem, perpendere ista prodigia, ut debebant perpendi.*

c *Itaque dum contemnit maximam auctoritatem*, vel Senatus, vel Cæsaris, *amisit uno die, & facultates multo majores, quam decet privatum hominem, & omnia ornamenta, quæ tot sibi cumulaverat ab ineunte adolescentia, ut ea ipsi alii cives viderent.*

NOTÆ.

1. *Optimæ indolis filii.*] P. Crassi qui sub C. Cæsare in Gallia multa præclare gesserat, donisque militaribus ornatus cum mille equitibus delectis nuper in Syriam venerat.

2. *Filii cruore.*] Publius trajecta telo dextera invitatus ab amicis; ut fuga sibi consuleret; negavit se deserturum eos, qui sua causa perirent; tum ab armigero latus gladio transfigi jussit. Continuo Parthi illius caput hasta suffixum ostentant; parrique ad auxilium filii properanti occurrunt. Quo patre, qua gente natus sit Publius, per ludibrium quærunt, *nec enim Crassi Patris ignavissimi tam fortem filium fuisse.* Post iteratum prælium sub vesperam tandem se receperunt, cum dicerent *Crasso largiri se unam noctem ad filium lugendum.*

3. *Corpus Imperatoris.*] Crassus accepta clade, primum Carrhas, deinde Syriam versus longius fugit; sed ab Andromacho quodam proditus in ea loca deducitur, quo cum equitatu subito Surena advolat. Crasso, si è colle descendat, fœdus pacemque pollicetur; Romani milites, quibus, nec in armis, nec in fuga spes ulla supererat, fremunt fœdus ineundum. Eorum clamoribus victus, cum paucis Crassus ad Surenam pergit: at ipsum Parthi dum nituntur abducere longius, inde vero obsistunt Romani; oritur pugna, Crassusque, Octavius, & alii duces cæduntur. Caput Orodi missum ludibrio fuit, aurumque liquidum in oris rictum infusum & ex Floro; *Vt cujus animus arserat auri cupiditate, ejus etiam mortuum & exangue corpus auro ureretur.* Hac etiam exprobratione usum dicit Cicero,

Aurum sitisti, aurum bibe.

4. *Dyrrachio.*] Eandem cum Epidamno, sicuti diximus. *Durazzo.*

5. *Examinibus apum &c.*] Hæc & alia ejusmodi prodigia Lucanus versibus complexus est, meminit etiam Hirtius in bello civili.

6. *Elevat auctoritatem.*] Dissentit ab aliis historicis Valerius: quod enim prælium fuerit temere commissum; non Pompeii, sed Senatus, aliorumque ducum vitium fuit.

niaque ornamenta, quæ [1] ab ineunte adolescentia ad invidiam usque contraxerat, spatio unius diei confregit. Quo constat [2] in delubris Deûm, sua sponte signa conversa: militarem clamorem, strepitumque armorum, adeo magnum [3] Antiochiæ, & [4] Ptolemaide auditum, ut in muros concurreretur: sonum tympanorum [5] Pergami abditis delubris editum: palmam viridem [6] Trallibus in æde Victoriæ, [a] sub Cæsaris statua inter coagmenta lapidum justæ magnitudinis enatam: Quibus apparet Cœlestium numen & Cæsaris gloriæ favisse, & Pompeii errorem inhibere voluisse.

13. [b] Tuas aras, tuaque sanctissima templa, [7] Dive Juli, veneratus oro, ut propitio ac faventi numine tantorum casus virorum sub tui exempli præsidio ac tutela delitescere patiaris. Te enim accipimus eo die, quo purpurea veste velatus [8] aurea in sella consedisti, [c] ne maximo studio Senatus [9] exquisitum & delatum honorem sprevisse vi-

INTERPRETATIO.

a *Infra statuam Cæsaris palmam pullulasse ex pavimento per juncturas lapidum.*

b *O dive Iuli, veneratus aras tibi dicatas, & templa tibi sacrata, oro, ut patiaris propitio & placido numine errores tantorum virorum abscondi sub præsidio tui exempli.*

c *Ne videreris contemnere honorem maximum & oblatum tibi maximo studio Senatus.*

NOTÆ.

1. *Ab ineunte adolescentia*] Natus annos 24. Marcium cum octo legionibus, Cannatem ad Spoletum, ad Clusium exercitum Carbonis, Carbonem in Sicilia, Hierbam & Domitium in Africa vicit: bis, etiam tum Eques Romanus, triumphavit, semel de Hierba, iterum de Sertorio; magnique cognomen adeptus est.

2. *In delubris Deûm.*] Elide in templo Minervæ, eo die, quo Cæsar Pompeium superavit, simulacrum Victoriæ ad valvas se templi limenque convertit.

3. *Antiochia.*] Multiplex fuit hujus nominis civitas. 1. In Syria ad Orontem fluvium, nunc *A[illegible]hia*, de qua hic agitur 2. in Mesopotamia non procul à Tigri, *Nisibia.* 3 In Pisidia. 4. In Cilicia. 5. Ad Taurum montem inter Issum & Euphratem. 6. In Caria ad Nicandrum fluvium. Seleucus si Appiano credimus 12. urbes ex nomine patris condidit.

4. *Ptolemaide.*] Multæ item hoc nomine civitates; duæ tamen maxime nobiles; altera Phœniciæ, *Acre*; altera Pentapoleos Libyæ, olim *Barec*, nunc *Tolometa*, cujus est hic mentio.

5. *Pergamus.*] Phrygiæ Majoris civitas fuit sub Attalicis Regibus diu potentissima. *Pergamo.*

6. *Trallibus.*] Vrbe Asiæ Minoris inter Caystrum & Mæandrum fluvios, à Plinio & Ptolemæo Cariæ; à Strabone, Ioniæ; à Stephano Lydiæ annumeratur. *Chora.*

7. *Dive Iuli.*] Iulio Cæsari adulatur; cui Augustus aras templaque dicaverat.

8. *Aurea in sella.*] Cæsari hi præcipue honores delati. Mensis Quintilis ejus nomine Iulius vocatus, ex Appiano, Curia Hostilia destructa, ut restaurata Iulia diceretur, ex Dione. Diadema ab Antonio illi oblatum, ex Cicer. & Suetonio. Collegium Lupercorum in illius honorem institutum, ex Dione. Sella aurea in theatro concessa, ex Valerio & aliis. Divi Iulii nomen impositum, & templum Clementiæ illi consecratum. Ex Suetonio.

9. *Exquisitum & delatum honorem.*] Eo die tria Cæsari deferenda Senatus decreverat; unum, ut perpetuo Dictator esset: alterum, ut omnibus præter Italiam Provinciis præesset: tertium, terra marique,

dereris: [a] prius quam exoptatum civium oculis conspectum tui offeres, cultui religionis, in quam mox eras transiturus, vacasse: mactatoque opimo bove [1] cor in extis non reperisse: ac [2] responsum tibi à Spurinna aruspice, pertinere id signum ad vitam & consilium tuum, quod utraque hæc corde continerentur. Erupit deinde eorum [3] parricidium, qui dum te hominum numero subtrahere volunt, Deorum concilio adjecerunt.

An. M. 4010. Ol. 184. 1. Vrb. C. 709. Ant. Ch. 43.

EXTERNA.

[b] Claudatur hoc exemplo talium ostentorum domestica relatio, ne si ulterius Romana apprehendero, è cœlesti templo ad privatas domos, non consentaneos usus transtulisse videar. Attingam igitur externa: quæ latinis inserta literis, ut auctoritatis minus habent, ita aliquid gratæ varietatis afferre possunt.

An. M. 3573. Ol. 74. 4. Vrb. C. 272. Ant. Ch. 480.

1. In exercitu [4] Xerxis, quem adversus Græciam contraxerat, equæ partu leporem editum constat, eodem [5] montem Athon vix tandem transgresso. Quo genere monstri tanti apparatus significatus est

INTERPRETATIO.

a Antequam prodires è domo in conspectum populi optantis te videre; accepimus operam te dedisse religioso cultui Deorum, in quorum numerum mox transferendus eras.

b Narratio talium prodigiorum, quæ Romanis contigerunt finiatur hoc exemplo Iulii Cæsaris: ne si ultra proferam alia Romana exempla, videar peccare transferendo è Templo cœlesti usus prodigiorum, quasi repugnantes, ad domos privatas.

NOTÆ.

præterquam in Italia, coronam gestaret.

1. *Cor in extis.*] Multa alia prodigia narrat Suetonius, de gregibus equorum, de effosso Capys sepulcro, &c. præter ea & Calphurniæ & Cæsaris ipsius somnia.

2. *Responsum tibi à Spurinna.*] Cæsarem, ut idibus Martiis caveret sibi, monuerat Spurinna; cumque Kalendæ advenissent, Spurinnam irridens Cæsar per jocum dixit, *Adsunt Kalendæ ô Spurinna*; Cui ille, *Adsunt quidem, sed nondum præterierunt.*

3. *Parricidium.*] Somniis, prodigiisque territus Cæsar continere se domi statuerat; cum ecce advenit Decimus Brutus conjurationis particeps, cumque ridet, quod timeret somnia, manuque prehensum domo educit. Vt curiam ingressus est, à conjuratis honoris causa ad Sellam usque deducitur; tum illum Casca gladio percutit: Saucius assurgit Cæsar, vimque vi repellere nititur: at ubi M. Brutum inter conjuratos vidit, *Tu quoque fili mi*, inquit; & simul caput involvit toga, demisitque sese, & ad Pompeii statuam tribus & viginti plagis confectus interiit. Hæc Sueton. Plut. & Appianus.

4. *Xerxis.*] Darii Histapis filius fuit paterni regni, & odii in Græcos hæres, qui ulturus cladem ad Marathonem acceptam, innumerum prope collegit exercitum.

5. *Montem Athon.*] Inter Macedoniam & Thraciam, tantæ altitudinis, ut ad Lemnum usque, quæ 1500. passibus dissita est, umbram profundere dicatur. *Monte Sa[illegible]* quod Persarum naves aliquot ad huncmontem naufragio periissent, illum Xerxes perfodi jussit; eaque fuit fossæ latitudo, ut duæ in ea triremes pariter agitarentur.

eventu

eventus. Nam [1] qui mare classibus, terram pedestri operuerat exercitu, ut fugax animal, pavido regressu regnum suum [2] repetere est coactus.

Priusquam [3] Athenas [4] deleret, Lacedæmonis invadendæ consilium agitanti, admirabile inter cœnas prodigium incidit. Infusum namque pateræ ejus vinum, in sanguinem nec semel, sed iterum & tertio conversum est. Qua de re consulti [5] Magi, monuerunt ut ab incepto abstineret: [a] & si quod vestigium in vecordi pectore sensus fuisset, cavere potuisset, ante de [6] Leonida & [7] Spartanis abunde monitus.

An. M. 3574. Ol. 75. 1. Vrb. C. 273 Ant. Ch. 479

2. [8] Midæ vero cujus imperio [9] Phrygia fuit subjecta, puero dormienti formicæ in os grana tritici congesserunt. Parentibus deinde ejus, quorsum prodigium tenderet, explorantibus, augures responderunt, Omnium illum mortalium futurum ditissimum. Nec vana prædictio extitit: Nam Midas cunctorum pene Regum opes abundantia pecuniæ antecessit: [b] in

INTERPRETATIO.

[a] *Et, si quid prudentiæ habuisset in mente stolida; jam satis admonitus, & à Leonida* fortiter *pugnante, & à Lacedæmoniis, cavere potuisset.*

[b] *Abundans argento & auro implevit maximis suis divitiis prædictionem, qua incunabula ipsius infantis ornata sunt à Diis munere utili tritici.*

NOTÆ.

1. *Qui mare classibus, &c.*] Militum Xerxis alia ab aliis summa conficitur. Herodotus scribit illius exercitum capitum fuisse 5283220. Dionysius & Theodoretus 3000000. Cornelius Nepos peditum 800000. Iustinus 1000000. Diodorus 700000. Equitum 40000. Naves numerat Cornelius Nepos 1200. cui consentit Iustinus, Diodorus 1200. triremes, & 3030. remis instructas.

2. *Repetere est coactus.*] Xerxis enim copiæ quinque præliis duobus terrestribus, tribus navalibus fractæ sunt: primum ad Thermopylas à Leonida Lacedæmoniorum duce: post ad Artemisium à Themistocle: deinde ad Salaminam ab eodem Themistocle: tum ad Platæas à Pausania Lacedæmonio, & Aristide Atheniensi: deinde ad Mycale à Leutychide. Victus ad Salamina Xerxes Hellespontum versus refugit. permissoque Mardonio exercitu, ipse nave Phœnissa trepidus in Asiam trajecit.

3. *Athenas.*] Vrbem Græciæ totius nobilissimam ad amnem Idissum à Cecrope Ægyptio conditam; quæ præ cæteris ingeniorum & eruditionis laude floruit. *Setines.*

4. *Delere.*] Athenienses ab oraculo moniti, ut se muris ligneis tutarentur, auctore Themistocle se suaque omnia relicta patria in naves imposuerunt; Xerxes Attica vastata urbem vacuam incendit.

5. *Magi.*] Apud Persas sapientes, ut apud Græcos Philosophi; & apud Gallos *Druydæ, &c.*

6. *Leonida.*] Rege Spartiatarum fortissimo, qui ad Thermopylas super Persarum stragem victor corruit. De illo postea pluribus.

7. *Spartanis.*] Quorum civitas Sparta seu Lacedæmon ad Eurotam, Peloponnesi totius urbs olim clarissima, nunc *Misithra* Sophiano: *Ebada* Lazio: *Zaconia* Nardo dicitur.

8. *Mida.*] Ab aliis Gordii filius fuisse, ab aliis è Thracia cum Phrygibus in Asiam transiisse prehibetur; qui quod ætatis suæ esset ditissimus; extitit Poëtarum licentiæ haud parva fingendi materies: cætera notissima.

9. *Phrygia.*] In Asia minore duplex fuit; major, seu salictaris, quæ Bithynia, Galatia, Pamphylia, & Lydia c'auditur; minor, quæ ad Hellespontum usque pertinet: in qua olim Troia. *Durgat.*

fantiæque incunabula utili Deorum munere donata, onuſtis auro at- que argento gazis penſavit.

An. M. 3625. O. 7.4. Vrb. C. 324. Ant. Ch. 428.

3. Formicis Midæ, jure meritoque [1] apes Platonis prætulerim: illæ enim caducæ ac fragilis, hæ ſolidæ & [2] æternæ felicitatis indices extiterunt, dormientis in cunis parvuli labellis mel inſerendo. Qua re audita, prodigiorum interpretes ſingularem eloquii ſuavitatem ore ejus emanaturam dixerunt. [a] At mihi quidem illæ apes non montem [3] Hymettum [4] thymi flore redolentem; ſed Muſarum [5] Heliconios colles omni genere doctrinæ virentes, Dearum inſtinctu depaſtæ, maximo ingenio dulciſſima alimenta ſummæ eloquentiæ inſtillaſſe videntur.

INTERPRETATIO.

At mihi quidem illæ apes videntur depaſtæ non florem thymi, quo redolet mons Hymettus: ſed colles montis Heliconis florentes omni genere ſcientiæ, & juſſu Muſarum instillaſſe Platoni viro præſtantis ingenii ſuaviſſima nutrimenta perfectæ eloquentiæ.

NOTÆ.

1. *Apes Platonis.*] Ariſtonis filius, ipſe primum Ariſtocles, deinde ab humerorum latitudine Plato dictus: diſcipulus Socratis, Academicæ ſectæ Princeps, ob ſummam eruditionem & ſapientiam divinus Plato & Philoſophorum Homerus vulgo nuncupatus.

2. *Æternæ felicitatis.*] Quia Plato gloriam ſibi peperit immortalem.

3. *Hymettum.*] Montem Atticæ regionis; qui omnium Græciæ montium teſte Solino principatum obtinet; quod, & floribus, & viridi gramine ſemper veſtiatur. *Hymetto.*

4. *Thymi.*] Herbæ fragrantis, qua paſcuntur apes, ex Virgilio.

5. *Heliconios.*] Helicon mons Bœotiæ ex Plin. & Solino. Phocidi vicinus, ex Strabone; 15. millia paſſuum à Parnaſſo diſtans, qui & ipſe Apollini ſacer eſt, & Muſis. *Helicona.*

6. *Muſarum.*] Quæ Iovis & Mnemoſynes filiæ numero novem finguntur: magnum Poëtis mentiendi argumentum.

CAP. VII.

DE SOMNIIS.

ROMANORUM.

1. *Artorii Medici de Auguſto.*
2. *Calpurniæ de Cæſare.*
3. *P. Decii, T. Manlii Coſſ.*
4. *Ti. Atii cujuſdam.*
5. *M. Ciceronis exulis.*
6. *C. Sempronii Gracchi.*
7. *Caſſii Parmenſis.*
8. *Aterii Rufi Eq. Rom.*

EXTERNORUM.

1. *Annibalis Pœni.*
2. *Alexand. Magni Regis.*
3. *Simonidis poëtæ.*
4. *Crœſi Lydorum Regis.*
5. *Cyri Perſarum Regis.*
6. *Himereæ mulieris de Dionyſio.*
7. *Matris Dionyſii Tyranni.*
8. *Amilcaris Pœni.*
9. *Alcibiadis Athenienſ.*
10. *Arcadis cujuſdam.*

SEd quoniam divitias Midæ, diſertumque Platonis ſomnium attigi, [a] referam quam certis imaginibus multorum quies adumbrata ſit.

INTERPRETATIO.

[a] *Narrabo, quam veras rerum futurarum imagines multi in ſomniis viderint.*

1. Quem locum unde potius ordiar, quàm à Divi Augusti sacratissi- An. M. 4012.
ma memoria? Ejus Medico Artorio somnum capienti nocte, quam dies Ol. 184. 3.
insecutus est, quo in campis Philippicis Romani inter se exercitus con- Vrb. C. 711.
currêre, Minervæ species oborta præcepit, [a] ut illum gravi morbo im- Ant. Ch. 41.
plicitum moneret, ne propter adversam valetudinem proximo prœlio non interesset. Quod cum Cæsar audisset, lectica se in aciem deferri jussit: ubi dum supra vires corporis pro adipiscenda victoria excubat, [2] castra ejus à Bruto capta sunt. [b] Quid ergo aliud putamus, quam divino munere effectum, ne destinatum jam immortalitati caput, indignam cœlesti spiritu fortunæ violentiam sentiret?

2. Augustum vero præter naturalem animi in omnibus rebus subtili- An. M. 4010.
ter perspiciendis vigorem, etiam recens & domesticum exemplum, ut Ol. 184. 1.
Artorii somno obtemperaret admonuit. Audiverat enim Divi Julii pa- Vrb. C. 709.
tris sui uxorem [3] Calpurniam nocte, quam is in terris ultimam egit, Ant. Ch. 43.
in quiete vidisse multis eum [4] confectum vulneribus in suo sinu jacentem, somniique atrocitate vehementer exterritam, rogare non destitisse, ut proxima die à Curia se abstineret. At illum, ne muliebri somnio motus id fecisse existimaretur, Senatum, in quo ei parricidarum manus allatæ sunt, adire contendisse. Non est operæ inter patrem & filium illius rei comparationem fieri, præsertim divinitatis fastigio conjunctos: [c] sed jam alter operibus suis aditum sibi ad cœlum instruxerat; alteri vero longus adhuc terrestrium virtutum orbis restabat. Quapropter ab hoc tantummodo impendentem mutationem status cognosci,

INTERPRETATIO.

[a] *Vt illum admoneret licet laborantem gravi morbo, ne abesset ab imminenti certamine propter suam ægritudinem.*

[b] *Nonne factum est beneficio Deorum; ne Augustus jam destinatus, ut Deus esset immortalis, experiretur violentiam fortunæ?*

[c] *Sed jam Iulius Cæsar sibi paraverat præclare gestis ingressum ad cœlum; Augusto vero longa series remanebat virtutum in terris exercendarum: quare Dii immortales tantum voluerunt Augustum cognoscere futuram mutationem status sui mortalis in immortalem; Iulium vero illam mutationem experiri; ut cœlo decus Iulius daretur, Augustus vero promitteretur.*

NOTÆ.

1. *Divi Augusti.*] Octavii Cæsaris, qui anno post Actiacam victoriam quinto, ex sententia L. Munacii Planci à Senatu populoque Romano Augustus dictus est: & à Tiberio post mortem in Deorum numerum relatus.

2. *Castra ejus capta sunt.*] Ipsiusque lectica à Brutianis militibus gladiis transfixa, ex Plut. & Suet. De campis Philippicis pugnaque in iis commissa consule, Cap.

3. *Calpurniam.*] Fuit L. Pisonis Cæsoniani, in quem extat Ciceronis oratio, filia; & L. Pisonis sub Augusto Consulis soror, quartaque uxor Iulii Cæsaris.

4. *Confectum vulneribus.*] Id somnium apud Plutarchum nonnulli aliter referunt; nec enim confossus vulneribus Cæsar uxori dormienti visus est; sed, dum illius ædibus ex Senatus consulto adjunctum esset fastigium, illud Calpurnia per quietem collabi rata, ingemiscebat.

ab illo etiam deferri Dii immortales voluerunt, ut aliud cœlo decus daretur, aliud promitteretur.

3. Illud etiam ſomnium magnæ & admirationis & clari fuit exitus, quod eadem nocte duo Conſules [1] P. Decius Mus, & T. Manlius Torquatus, [2] Latino bello & gravi & periculoſo, non procul à [3] Veſuvii montis radicibus poſitis caſtris viderunt. Utrique enim quidam per quietis ſpeciem prædixit, ex altera acie Imperatorem, ex altera exercitum [4] Diis Manibus, Matrique Terræ deberi: Utrius autem Dux copias hoſtium aggrederetur, ſuperque eas ſeſe ipſum [5] devoviſſet, victoriam habiturum: [a] Id luce proxima Conſulibus ſacrificio vel expiaturis, ſi poſſet averti: vel ſi certum Deorum etiam monitu viſum foret, executuris, hoſtiarum exta ſomnio congruerunt. Convenitque inter eos, cujus cornu prius laborare cœpiſſet, [b] ut is patriæ fata capite ſuo lueret: quæ, neutro formidante, [6] Decium depopoſcerunt.

4. Sequitur æque ad publicam religionem pertinens ſomnium. Cum [7] ple-

INTERPRETATIO.

a Cum die ſequenti Conſules vellent avertere illud malum ſacrificio, ſi poſſet vitari; vel exequi quod erat conſultum, ſi viſum confirmaretur monitione Deorum, exta hoſtiarum viſa ſunt, eadem qua ſomnium mala portendere.

b Ut is mutaret morte ſua adverſa patriæ *fata; qua elegerunt Decium, utroque* Conſule *parato* ſe devovere.

NOTÆ.

1. *P. Decius Mus & T. Manlius.*] Genere quidem impares: ille enim plebeio, hic patricio genere ortus: at virtute pares. Alter ſervato Cornelio Coſſo Conſule ſibi è ſua familia primus conſulatum, alter torque hoſti detracto, ſibi, ſuiſque Torquati nomen peperit.

2. *Latino bello.*] Quod magiſtratus pari cum Romanis imperio poſcerent Latini, eorumque legatus L. Annius Setinus in Senatu ſuperbius reſpondiſſet, bellum Latinis indictum; quod maximis eorum cladibus tertio poſt anno finitum eſt.

3. *Veſuvii.*] Mons eſt Campaniæ non procul à Nola, crebris incendiis & Plinii majoris morte nobilitatus. *Monte di Somma.*

4. *Diis Manibus.*] Quibus, & feſtum, & ſacra à Numa primum inſtituta ſunt; eoſque ſanguine placari apud veteres vulgo creditum eſt. Manes inter, Lares, & Larvas id diſcriminis ponit Apuleius; quod mortuorum omnium animæ, Manes: ex iis, quæ pacato & quieto numine domum poſſident, Lares; quæ vero infeſtæ ſunt & moleſtæ, Larvæ dicuntur.

5. *Devoviſſet.*] Quibus cæremoniis, quave verborum formula ſeſe devoverent Romani. lib. 8. pluribus explicat Livius. Licuit vero Conſuli, Dictatori, & Prætori cum hoſtium legiones devovet, non utique ſe, ſed quem velit ex legione Romana civem devovere.

6. *Decium depopoſcerunt.*] Manlius dextro, Decius lævo cornu præerat; primo utrinque æquis viribus gerebatur res; deinde ab lævo cornu haſtati Romani non ferentes impreſſionem Latinorum ſe ad Principes receperunt: tum Decius incinctus ritu Gabino armatus in equum inſiluit, ac ſeſe in medios immiſit hoſtes conſpectus ab utraque acie aliquanto auguſtior humano viſu; Latinorum turbavit ſigna; & quocunque equo invectus eſt, vaſtam edidit ſtragem: ubi vero corruit obrutus telis; inde conſternatæ Latinorum cohortes fugam ac vaſtitatem late fecerunt. Hæc Livius l. 8.

7. *Plebeiis ludis.*] Poſt Reges exactos; ut placet Aſconio Pædiano; vel, ut Dionyſio, poſt victos ab Aulo Poſthumio Dictatore Latinos, qui Tarquinium reſtituere nitebantur; vel poſt plebis, ſeu in montem ſacrum, ut nonnullis, ſeu in

beiis ludis quidam pater familias per [1] Circum Flaminium, priusquam pompa induceretur, servum suum verberibus multatum [2] sub furca ad supplicium egisset, [3] Ti. Atinio homini ex plebe Jupiter in quiete præcepit, ut Consulibus diceret, sibi [4] præsultorem ludis Circensibus proximis non placuisse: quæ res nisi attenta ludorum instauratione expiata esset, secuturum non mediocre urbis periculum. [a] Ille veritus, ne cum aliquo [5] incommodo suo, religione summum implicaret imperium, silentium egit. E vestigioque filius ejus subita vi morbi correptus, interiit. Ipse etiam per quietem ab eodem Deo interrogatus, an satis magnam pœnam neglecti imperii sui pependisset, in proposito perseverans, [b] debilitate corporis solutus est: ac tum demum ex consilio amicorum lectica ad tribunal Consulum, & inde ad Senatum perlatus ordine totius casus sui exposito, magna cum omnium admiratione, recuperata membrorum firmitate, [6] pedibus domum rediit.

An. M. 2565.
Ol. 72. 4.
Vrb. C. 264.
Ant. Ch. 488.

5. Ac ne illud quidem involvendum silentio: [7] Inimicorum conspi-

INTERPRETATIO.

[a] *Ille*, Atinius illud visum *dixit nemini, metuens, ne quid sibi accideret incommodi, si moneret Consules habentes summum imperium teneri religione* ad instaurandos ludos.

[b] *Paralyticus factus est, membris debilitate solutus.*

NOTÆ.

Aventinum, ut aliis, secessionem, hi ludi instituti sunt. Illos ab Ædilibus plebis in Circo per triduum fieri Livius; minas argenti quingentas in iis impendi Dionysius; epulumque populo dari, alii testantur: si quis plura requirat, Dionysium libro septimo extremo consulat.

1. *Circum Flaminium.*] Præter circum Maximum, octo, novem-ve circos in Vrbe fuisse scripsit P. Victor; quos inter Flaminium numerant Plutarchus & Martialis; à Pratis Flaminiis ubi conditus est, Flaminius dicitur. Pompæ totius apparatum eo, quem paulo ante dixi, libro pluribus persequitur Dionysius, & nos postea commodius explicabimus.

2. *Sub furca.*] Furcarum tria genera; unum, lignum plaustri, quod temoni subjicitur; illud ob leve delictum non tam supplicii, quam ignominiæ causa ferre servi cogebantur; simulque, & suum fateri peccatum, & monere cæteros, ne quid simile in se admitterent. Alterum lignum duplex, cujus in media parte inserto collo rei cervix laqueo vinciebatur, vel, ut ad supplicium traheretur facilius; vel ut tergum virgis commodius præberet: Tertium furcæ genus fuit, quo passim utimur, cum damnati gula laqueo frangitur.

3. *Ti. Atinio.*] T. Latinus Livio Plut. & Dionys. Annius Macrobio: T. Antonius Lactantio dicitur.

4. *Præsultorem*] Is, à quo facta essent ludorum præludia prævixque saltationes, Præsultor dicebatur: hoc in loco servum illum intelligit; qui, dum à conservis flagris cæderetur, inconditos clamores, gestusque indecoros dabat: uti narrat Dionys.

5. *Incommodo suo.*] Cum enim homo plebeius esset, ex Dionysio; erat, quod timeret, ne sibi non crederetur: tumque puniretur, vel verberibus, vel carcere, vel mulcta.

6. *Pedibus domum rediit.*] Idem referunt Livius l. 2. Diomnysius l. 7. & Plutarchus in Coriolano: quod efficere potuit Dæmon, ut ludi turpissimi instaurarentur, incitamenta nequitiæ.

7. *Inimicorum conspiratione urbe pulsus.*]

An. M. 3996. Ol. 180. 3. Vrb. C. 695. Ant. Ch. 57.

ratione Urbe pulsus M. Cicero, cum in villa quadam [1] campi Atinatis diversaretur, animo in somnum profuso, per loca deserta, & invias regiones vaganti, sibi C. Marium consulatus ornatum insignibus putavit obvium factum: & interrogantem eum, quid ita tam tristi vultu, incerto itinere ferretur: audito deinde casu, quo conflictabatur, comprehendisse dexteram suam, ac se proximo lictori in [2] monumentum ipsius deducendum tradidisse, quod diceret ibi esse ei lætiorem status spem repositam: nec aliter evenit. Nam [3] in æde Jovis Mariana S. C. de reditu ejus est factum.

An. M. 3929 Ol. 163. 4. Vrb. C. 628. Ant. Ch. 124.

6. [4] C. autem Graccho imminentis casus attrocitas palam atque aperte per quietem denunciata est: somno enim pressus, Ti. Gracchi fratris effigiem vidit, dicentis sibi; nulla ratione eum vitare posse, ut eo fato non periret, quo ipse propulsus è Capitolio occidisset. Id ex Graccho prius, quam tribunatum, in quo [5] fraternum exitum habuit, iniret, multi audiverunt. [6] Cœlius etiam certus Romanæ historiæ au-

NOTÆ.

P. Clodius Tribunus plebis Ciceroni infensissimus contra eos, qui civem à populo indemnatum, aut occiderent, aut occidissent, legem tulit; quæ cum Senatum omnem, tum maximè Ciceronem petebat; cùm eo Consule Lentulus, Cethegus, aliique conjurationis Catilinæ participes fuissent in carcere necati. Exagitatus à Clodio Cicero, à Pompeio desertus, proditus à Cæsare, quid ageret; fugeret, an maneret in urbe; incertus hærebat: vim armaque hinc suadebat Lucullus; inde Cato & Hortensius vetabant; tandem ipse sententiam, quæ tutior erat, seu amore patriæ, seu metu secutus; clam concubia nocte urbe cessit, ex Plut. cum publica Senatus ad Reges Principesque commendatione, ex Appiano. Primùm Brundusium, post Dyrrachium, denique Thessalonicam se contulit; tum ipsi Clodius aqua & igni interdixit, vetuitque, ne quis de eo, ad Senatum referret, decerneret, disputaret.

1. *Campi Atinatis.*] In Campania juxta Pontinas paludes. Multiplex Atina fuit, in Sicilia, Lucania, Apulia, &c.

2. *Monumentum ipsius*] Iovis ædem, quam condiderat Marius, in eaque trophæa de Numidis, Cimbris, Teutonibusque parta posuerat.

3. *In æde Iovis Mariana.*] Cùm Cn. Pompeius, qui tum in Republica plurimum poterat, à P. Clodio multis de causis jam alienus esset, Annius Milo Tribunus plebis ad populum, Lentulus Spinther Consul ad Senatum de Cicerone retulit; uterque frustra repugnante Clodio, ut Cicero rediret, ille plebiscitum, hic Senatusconsultum obtinuit. Ita Dio. l. 39. Quod cùm audisset Cicero, *Nihil*, inquit, *Atinati somnio fieri potest divinius.* lib. 1. de divinat.

4. *C. Graccho.*] Tiberij fratri, qui cùm Quæsturam in Sicilia sub Oreste Cõsule maxima cum laude gessisset, semel atque iterum factus Tribunus plebis, cum in multis Senatum offendit, tum in iis duobus præcipuè, quòd & legem frumentariam tulerit, & judicia communicarit Equitibus; in quibus, cùm eandem, quam frater sectam sequeretur, eumdem exitum habuit.

5. *Fraternum exitum habuit.*] L. Opimius Consul multis nominibus Graccho inimicus ejus leges antiquavit: quod cùm ille ferret acerbius, plebis implorat opem, unà cum Fulvio consulari armat multitudinem, Aventinum occupat: sed frustrà; nam occiso Fulvio, ipse dum fugit in lucum Furinæ; vel ab Euphoro famulo, ipsius jussu, obtruncatur, ut vult Velleius: vel, ut alij apud Plutarchum, à fuga cum Euphoro retractus, unà cum ipso, dum ille heri corpus suo tegit, ab Opimianis confossus est.

6. *Cœlius.*] C. Cœlius Antipater jurisperitus, & L. Crassi Oratoris Magister,

ctor, sermonem de ea re ad suas aures illo adhuc vivo pervenisse scribit.

7. [a] Vincit hujusce somnii dirum aspectum, quod sequitur. [1] Apud Actium [2] M. Antonii fractis opibus, [3] Cassius, qui partes ejus secutus fuerat, Athenas confugit: ubi concubia nocte, cum sollicitudinibus & curis, mente sopita in lectulo jaceret, existimavit ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalidum barba, & capillo demisso: interrogatumque quisnam esset, respondisse [4] κακοδαίμονα. Perterritus deinde tam tetro visu, & nomine horrendo, servos inclamavit: sciscitatusque est, si quidem talis habitus, aut intrantem cubiculum, aut exeuntem vidissent. Quibus affirmantibus neminem illuc accessisse, iterum quieti & somno se dedit: atque eadem animo ejus obversata est species. Itaque fugato somno, lumen introferri jussit, puerosque à se discedere vetuit. Inter hanc noctem & supplicium capitis, [5] quo eum Cæsar affecit, paululum admodum temporis intercessit.

An. M. 4023. Ol. 187. 2. Vrb. C. 721. Ant. Ch. 30.

8. [b] Propioribus tamen (ut ita dicam) lineis Aterii Rufi Equitis Romani somnium certo eventu admonitum est: qui, cum [6] gladiatorium

INTERPRETATIO.

a Somnium Cassii, quod sequitur, horribilius est somnio Gracchi.

b Somnium Aterii Rufi Equitis Romani habuit certum eventum, minus etiam remotum.

NOTÆ.

qui Gracchorum suppar temporibus scripsit historiam, quam M. Brutus, teste Cicerone, in Epitomen redegit. De illo hæc Cicero. *L. Fannij ætate conjunctus Antipater paulo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem, atque horridas sine nitore ac palæstra; sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratiùs scriberent.*

1. *Apud Actium.*] Epiri promontorium, in quo urbs ab Augusto condita, & à victoria Nicopolis nuncupata. *C. Figalo.*

2. *M. Antonij fractis opibus.*] Commisso contra Octavium prælio navali, amore potiùs quàm armis victus est Antonius; deserta enim pugna fugientem timore Cleopatram secutus, victoriam Octavio, orbisque imperium tradidit.

3. *Cassius Parmensis.*] E percussoribus Cæsaris unus, qui omnium ultimus parricidij pœnas dedit, ex Velleio. Victis Bruti partibus se contulit ad Antonium, cujus in Syria legatus multa fortiter gessit, quæ Plutarchus & Appianus memorant.

4. *κακοδαίμονα.*] Malum dæmonem. Duos spiritus nos sortiri nascendo putabant Ethnici, si Servio credimus; quorum alter bonus ad bona, alter malus ad mala nos impellat.

5. *Quo eum Cæsar affecit.*] Missus ab Octavio Q. Varius studentem interemit Cassium, scriniumque cum libris secum abstulit. Vnde manasse suspicor fragmentum illud Cassij de Orpheo, quod multo post repertum in Brutiis edidit Achilles Statius, & commentariis illustravit Chytræus.

6. *Gladiatorium munus.*] A Græcis ad Romanos mos ille profluxit; apud quos captivi ad mortuorum tumulum primùm occisi, deinde, ut crudelitas voluptate quadam misceretur, inter se commissi. Vel à Iunio Bruto in patris defuncti honorem, vel ab Ap. Clodio & M. Fulvio Consulibus, hi ludi Romæ instituti sunt; eoque devenit populi Romani furor, ut certis mensibus, si Lipsio credimus, ad 20.

munus Syracusis ederetur, inter quietem retiarii se manu confodi vidit idque postero die in spectaculo consessoribus narravit. Incidit deinde ut proximo ab Equitum loco, [1] retiarius cum mirmillone introduceretur: cujus cum faciem vidisset, idem dixit, ab illo se retiario trucidari putasse, protinusque inde discedere voluit. Illi sermone suo metu ejus discusso, causam exitii misero attulerunt. Retiarius enim in eum locum compulso mirmillone & abjecto, dum jacentem ferire conatur, trajectum gladio Aterium interemit.

EXTERNA.

1. Annibalis quoque ut detestandum Romano sanguini, ita certæ prædictionis somnium, cujus non vigiliæ tantum, sed etiam ipsa quies hostilis imperio nostro fuit. [a] Hausit enim [2] proposito & votis suis convenientem imaginem, existimavitque [3] missum sibi ab Jove mortali specie excellentiorem juvenem, invadendæ Italiæ ducem: [b] cujus monitu primo vestigia nullam in partem motis secutus oculis; mox humani ingenii prona voluntate vetita scrutandi, pone respiciens, animadvertit immensæ magnitudinis serpentem, concitato impetu, omne quicquid obvium fuerat, proterentem: postque eam magno cum cœli fragore erumpentes nimbos, lucemque caliginosis involutam tenebris

INTERPRETATIO.

a *Habuit enim visionem conformem proposito suo & votis à se puero factis.*

b *Quem* juvenem *abeuntem primum secutus est oculis ipsius, jussu, in nullam partem conversis; sed deinde aspiciens retro desiderio innato humanæ menti cognoscendi res vetitas, vidit.*

NOTÆ.

aut 30. millia hominum trucidarentur. M. Tullius Consul, ne ab ullo candidato; Augustus ne sæpiùs, quàm bis annis singulis, nec plurium, quàm 60. parium; Rex Theodoricus ne omnino celebrarentur, prohibuit.

1. *Retiarius.*] Gladiatorum quatuor potissimum classes. Erant enim Retiarius, Secutor, Threx, Mirmillo; non nomine tantùm, sed insignibus etiam, armis, pugnandique ratione omnino diversi. Nunc de Retiario & Mirmillone agendum paucis, de aliis aliàs, Vt Mirmillo cum Threce; ita Retiarius cum Secutore sæpe, interdum cum Mirmillone commissus fuit. Mirmillo totus in armis erat; Retiario, nec galea, nec sica, nec gladius; sed tunica, galerus, tridens seu fuscina, & rete. Illi hoc singulare fuit, quòd pugnando subsideret interdum, ut adversarium exciperet faciliùs; huic verò, quòd solum adversarij caput rete implicare niteretur; & si aberrasset, tum fugeret effusè, donec iterum rete collegisset.

2. *Proposito & votis suis.*] Amilcar in Hispaniam profecturus dum sacra Iovi faceret, ad altare novennis Annibal adstitit: ibique rogatus à patre, num ipsi comes venire vellet; cùm annuisset ille, tum patrem manu prehensum admovit altaribus, & jurejurando adegit se, ut primùm per ætatem posset, inimicum populo Romano fore: quod multis post annis Antiocho Annibal ipse fassus est, teste Polyb.

2. *Missum sibi ab Iove &c.*] Valerio consentit Livius l. 1. Cicero non item: scribit enim Annibalem visum esse sibi in somniis à Iove in concilium deorum vo-

Attonitus

Attonitus deinde quidnam esset monstri, ecquid portenderet, interrogavit. Hic dux: taliæ vides, inquit, vastitatem: proinde sile, & cætera tacitis permitte fatis.

2. Quam bene Macedoniæ Rex Alexander per quietem visa imagine præmonitus erat, ut vitæ suæ custos esset diligentior, [a] si eum cavendi etiam periculi consilio fortuna instruere voluisset. [1] Namque Cassandri pestiferam sibi dexteram somnio primus cognovit, quam exitu sensit: existimavit enim ab illo se interfici, cum eum nunquam vidisset. Interposito deinde tempore, postquam in conspectum venisset, [b] nocturni metus patefacta imagine, ut Antipatri filium esse cognovit, adjecto versu Græco qui fidem somniorum elevat, præparati jam adversus caput suum veneficii, [2] quo occidisse Cassandri manu creditur, suspicionem animo repulit.

An. M. 3730. Ol. 114. 1. Vrb. C. 429. Ant. Ch. 323.

3. [c] Longe indulgentius Dii in Poëta [3] Simonide, cujus salutarem

INTERPRETATIO.

[a] Si fortuna voluisset illi mentem injicere ut fugeret periculum.

[b] Cum cognovisset vidisse se illius imaginem in nocturno somnio; ubi audiit esse filium Antipatri, addito versu Græco, quo minuitur fides, quæ habetur somniis, ex mente deposuit suspicionem potionis venenatæ contra illius vitam paratæ; ex qua tamen dicitur periisse fraude Cassandri.

[c] Dii se gesserunt multo clementius erga Simonidem Poëtam; cui non tantum dederunt in somnis admonitionem salutiferam; sed etiam firmum propositum vitandi periculi.

NOTÆ.

cari; quò, cùm venisset, imperasse Iovem, ut Italiæ bellum inferret; ducemque ei unum ex concilio datum.

1. *Cassandri.*] Macedoniæ Alexandri nomine præerat Antipater, vir militiæ domique inclytus: orto verò inter ipsum & Olympiadem dissidio, illum ad se vocavit in Asiam Alexander: quare Regi venenum per Cassandrum filium parasse à multis dicitur: de quo mox agemus. Vt ut est, fuit sanè, cur Alexander sibi suisque metueret à Cassandro, qui ad regiæ familiæ perniciem natus, illius matrem lapidibus obruit, filiosque Herculem ex Barsine, & Alexandrum ex Roxane veneno sustulit.

2. *Quo occidisse.*] Studiosis opinor non erit ingratum, si hoc in loco de morte Alexandri paulò uberiùs disseruerim. Duplex vulgò ea de re apud auctores opinio legitur: alij enim veneno quod è Macedonia Cassander attulerat; alij morbo, quem ex ebrietate contraxerat, periisse volunt. Primam sententiam tuentur Valerius Maximus, Curtius, Iustinus, Paulus Orosius: alteram Aristobulus apud Plutarchum, Diarium Alexandri apud Arrianum, Ephippus apud Athenæum, Livius, Plutarchus, Arrianus, Solinus, Athenæus, & alij plerique. Si harum sententiarum una repudianda, retinenda altera; secundæ eo assenserim libentiùs; quòd auctores & graviores & plures, & Alexandri ætati suppares habeat: quæ commodè sic explicari potest. Clearchum splendido convivio cùm excepisset Alexander, atque inde lotus de more suo cubitum iret, apud Thessalum Medium enixè rogantem ivit comessatum: apud quem per intemperantiam multa peccavit: Vnum, quòd ad diem sequentem perpotarit, ex Plutarcho, Arriano & Solino; & alterum, quòd viginti convivis, & præbiberit ipse, & ab ipsis provocatus fecerit satis, ex Athenæo. Tertium, quòd poculum duorum congiorum capax semel atque iterum ebiberit, ex Ephippo. Quartum addit Aristobulus apud Plutarchum, quòd cùm vehementi siti ex febre cruciaretur, non aqua, ut assolet, sed vino ad sedandam sitim usus sit.

3. *Simonide.*] Multi hoc nomine Poëtæ; quorum alij aliis temporibus floruer-

An. M 3589 Ol. 78 4. Vrb. C. 288. Ant. Ch. 464.

inter quietem admonitionem consilii firmitate roboraverunt. Is enim cùm ad littus navem appulisset, [1] inhumatumque corpus jacens sepulturæ mandasset, admonitus ab eo ne proximo die navigaret, in terra remansit: Qui inde solverant fluctibus, & procellis in conspectu ejus obruti sunt. Ipse lætatus est, quod vitam suam somnio, quam navi credere maluisset. Memor autem beneficii, elegantissimo eam carmine æternitati consecravit, melius illi & diuturnius in animis hominum sepulcrum constituens quam in desertis arenis struxerat.

An. M. 3502: Ol. 57. 1. Vrb. C. 201. Ant. Ch. 551.

4. Efficax & illa quietis imago, quæ [2] Crœsi Regis animum maximo prius metu, deinde etiam dolore confecit. Nam è duobus filiis, & ingenti agilitate, & corporis dotibus præstantiorem, imperiique successioni destinatum Atym, existimavit ferro sibi ereptum. Itaque quicquid ad evitandam denuntiatæ cladis acerbitatem pertinebat, nulla ex parte patria cura cessavit avertere. Solitus erat juvenis ad bella gerenda mitti, domi retentus est. Habebat armamentarium omnis generis telorum copia refertum: id quoque amoveri jussit. Gladio cinctis comitibus utebatur, vetiti sunt propius accedere: [a] necessitas tamen aditum luctui dedit. Cum enim ingentis magnitudinis aper, [3] Olympi montis culta, & crebra cum agrestium strage vastaret, inusitatoque malo regium imploratum esset auxilium: filius à patre extorsit, ut ad eum opprimendum mitteretur: eo quidem facilius, [b] quod non dentis, sed ferri sævitia in metu reponebatur. Verum dum acri studio interficiendi suem omnes sunt intenti, [c] pertinax casus imminentis violentiæ, lanceam petendæ feræ gratia missam, in eum detorsit: & quidem eam potissimum dexteram nefariæ cædis crimine voluit aspergi, [4] cui tutela filii à patre mandata erat: Quam quidem Crœsus imprudentis homicidii san-

INTERPRETATIO.

a *Inevitabilis fati violentia dedit causam dolori patris.*

b *Quod ex somnio non timeret filium dente Apri, sed ferro necandum.*

c *Insuperabilis necessitas instantis fati in Atym detorsit lanceam immissam ad Aprum occidendum, & voluit illud nefandum scelus committi ab illo ipso, cui Crœsus pater filii curam dederat.*

NOTÆ.

runt. Is Leoprepis filius fuit ex Suida, patria Iulites ex urbe Ceæ insulæ, artem memoriæ reperisse à Cicerone dicitur. Cum Pæanas, tragœdias, aliaque multa scripsit, tum duas Græcorum adversus Xerxem pugnas, alteram ad Artemisium, alteram ad Salaminam; illam versu elego, hanc lyrico. Ita Lilius Gyraldus.

1. *Inhumatumque corpus.*] Hoc somnium à Stoicis sæpè commemorari testatur Cicero l.1. de divin.

2. *Crœsus.*] Alyarthæ filius fuit, Rex Lydorum ditissimus, de quo plura posteà.

3. *Olympi montis.*] Mons omnis solito altior, cùm *Olympus* à Græcis diceretur, ideo Olympi plures; unus in Thessalia, alter in Mysia Idæ vicinus, quo de hic agitur; de aliis aliàs.

4. *Cui tutela filij.*] Is Adrastus fuit, vel Adrasti, vel Midæ filius; qui fratrem imprudens quòd occidisset, ad Crœsum fugerat. Herod. l.1.

guine violatam,[1] hoſpitales veritus Deos,[2] ſupplicem[3] ſacrificio expiavit.

5. [4] Nec Cyrus quidem ſuperior invictæ fatorum neceſſitatis parvulum argumentum eſt; [a] cujus ortus[5] ad imperium totius Aſiæ ſpectantis, maternus avus[6] Aſtyages, duos prænuntios ſomnii fruſtra diſcutere tentavit: Mandanem filiam ſuam (quod in quiete viderat, urina ejus omnes Aſiaticas gentes inundaſſe) non Medorum excellentiſſimo (ne in ejus familiam regni decus transferretur) ſed Perſarum[7] modicæ fortunæ viro collocavit. Natumque Cyrum[8] exponi juſſit, quia ſimiliter quietis temporibus exiſtimaverat genitali parte Mandanes enatam vitem eo uſque creviſſe, donec cunctas dominationis ſuæ partes inumbraret. Sed[9] fruſtratus eſt ſeipſe, nepotis felicitatem, cœleſtium judicio deſtinatam, humanis conſiliis impedire conando.

An. M. 3459
Ol. 46. 2.
Vrb. C 58
Ant. Ch. 594

6. [b] Intra privatum autem habitum Dionyſio Syracuſano adhuc ſe continente, Himera quædam non obſcuri generis fœmina, inter quietem opinione ſua cœlum conſcendit, atque ibidem Deorum omnium luſtratis ſedibus, animadvertit prævalentem virum flavi coloris, lentiginoſi oris, ferreis catenis vinctum, Jovis ſolio, pedibuſque ſubjectum: interrogatoque juvene, quo conſiderandi cœli duce fuerat uſa, quiſnam eſſet? audiit illum Siciliæ atque Italiæ dirum eſſe Fatum, ſolutumque

An. M. 3648.
Ol. 93. 3.
Vrb C. 347.
Ant Ch. 405.

INTERPRETATIO.

[a] *Etenim Aſtyages illius avus maternus fruſtra conatus eſt irrita facere duo ſomnia, quibus prænunciabatur nativitas Cyri, cui imperium totius Aſiæ promittebatur.*

[b] *Dum Dionyſius Syracuſanus adhuc eſſet privatus.*

NOTÆ.

1. *Hoſpitales.*] Veritus ne, ſi quid in Adraſtum conſuleret durius, deos offenderet hoſpitalitatis auctores.

2. *Supplicem.*] Non mortem tamen deprecatus eſt Adraſtus; qui teſte Herodoto, proſecutus funus Atys, in ejus ſepulcro ſe ipſum quaſi inferias occiderit.

3. *Sacrificio.*] Mos ille deſumptus à Græcis; ut qui homicidium perpetraſſet, à Regibus expiaretur.

4. *Ne Cyrus quidem ſuperior.*] Duo enim Cyri; quorum alter alterius nepos fuit; ille Cambyſis Perſæ, hic Darij Nothi filius; ille Imperij Perſici conditor, hic bello contra fratrem Artaxerxem Mnemonem geſto notiſſimus: Vtriuſque res geſtas aureis duobus libellis complexus eſt Xenophon; alterum Cyri ſuperioris παιδείαν, hoc eſt inſtitutionem, alterum junioris ἀνάβασιν, id eſt expeditionem inſcripſit.

5. *Ad imperium totius Aſiæ.*] Conſulti reſponderant aruſpices naſciturum è filia nepotem, qui avo adimeret imperium, totamque Aſiam armis ſubigeret.

6. *Aſtyages.*] Rex Medorum poſtremus; de quo multa ab eruditis quæri ſolent: an idem, vel cum Dejoce, cujus eſt apud Herodotum mentio; vel cum Aſſuero, cujus ſæpè ſacri Codices meminerunt: an Cyaxaris pater? &c. Sed hæc non hujus loci.

7. *Modicæ fortunæ viro.*] Cambyſi.

8. *Exponi juſſit.*] Gravidam ad ſe filiam eo juſſit acciri, ut ſub ipſius oculis partus necaretur. Natus infans datur Harpago occidendus: at is veritus; ne, ſi mortuo Rege ad Mandanem veniſſet imperium, illa necati pueri ultionem à Miniſtro exigeret, infantem exponendum tradit paſtori regio Mithradati; cujus uxor, quæ tum fortè mortuum pepererat, commutat pueros, Aſtyagiſque nepotem alit pro ſuo.

9. *Fruſtratus eſt.*] Vbi enim adolevit Cyrus, à Perſis agnitus Aſtyagem bello petiit, illumque Harpagi perfidia victum; vel apud ſe in honore habuit, ut tradit Herodotus; vel Hircanorum genti præpoſuit, ut alij volunt.

vinculis, multis urbibus exitio futurum: quod somnium postero die sermone vulgavit. Postquam [a] deinde [1] Dionysium inimica Syracusarum libertati, capitibusque insontium infesta fortuna cœlesti custodia liberatum, velut fulmen aliquod otio ac tranquillitati injecit, [b] [2] Himeræorum mœnia inter effusam ad officium & ad spectaculum ejus turbam intrantem, ut aspexit hunc esse, quem in quiete viderat, vociferata est. Id cognitum tyranno, curam tollendæ mulieris dedit.

An. M. 3622. Ol. 87. 1. Vrb. C. 321. Ant. Ch. 431.

7. Tutius somnium matris ejusdem Dionysii: quæ cum eum conceptum utero haberet, parere visa est [3] Satyriscum: consultoque prodigiorum interprete, clarissimum ac potentissimum Graii sanguinis futurum, certo cum eventu cognovit.

An. M. 3757 Ol. 120. 4. Vrb C. 456. Ant. Ch. 296.

8. At Carthaginiensium dux [4] Amilcar, cum obsideret Syracusas, inter somnium audisse vocem credidit nunciantem, futurum, ut proximo die in ea urbe cœnaret. Lætus igitur perinde ac divinitus promissa victoria, exercitum pugnæ comparabat: in quo [5] inter Siculos & Pœnos orta dissensione, castris ejus Syracusani [6] subita irruptione oppressis, ipsum intra mœnia sua vinctum pertraxerunt. Itaque magis spe quam somnio deceptus, cœnavit Syracusis [7] captivus, non, ut animo præsumpserat, victor.

INTERPRETATIO.

a Deinde vero postquam fortuna, & inimica libertati Syracusanorum, & infesta saluti innocentium immisit Dionysium solutum vinculis cœlestibus, tanquam fulmen; ut turbaret ocium & tranquillitatem publicam.

b Dum Dionysius intraret in urbem Himeræorum, & magna populi multitudo effusa esset ad illum & videndum & honorandum: hæc mulier animadvertens illum esse quem in somnio viderat, magna voce exclamavit: ubi hoc cognovit Tyrannus, illam occidi jussit.

NOTÆ.

1. *Dionysium inimica &c.*] Simul ut Agrigentum à Carthaginiensibus captum audiit Dionysius, illico Syracusis plebem advocat; eamque adversus optimates concitat, quasi Agrigentum hostibus prodidissent: sicque occupata tyrannide paulo post Carthaginienses è Sicilia expulit.

2. *Himeræorum.*] Quorum civitas Himera ad ostia Himeræ fluvii ab Annibale eversa.

3. *Satyriscum.*] Parvum Satyrum. Satyros sylvarum esse numina, humano quidem, at cornuto capite, caprinis pedibus, toto corpore villoso fabulantur Poëtæ. Inde locus fortè fabulæ datus, quod aliquando pueri, (id quidem suspicatur Plinius,) cornuto capite nati sint. Ita Casaubonus.

4. *Amilcar.*] Ne quis erret nominum similitudine deceptus; quod in Asdrubale fecimus, idem hoc in loco præstandum puto: ut, quot Pœnorum ducibus Amilcaris nomen fuit, moneamus paucis. Sex, septemve mihi occurrunt: quorum unus Xerxis tempore cum tota classe à Gelone oppressus est: alter Magonis filius in Sicilia periit, Dionysio tyranno senior: tertius Rhodanus dictus ad Alexandrum Magnum missus, post reditum à suis necatus est: quartus juvit Agathoclen, ut Syracusis rerum potiretur: quintus Gisconis filius, de quo hic agitur: sextus Barchinus pater Annibalis: ultimus Amilcar ille, qui, dum Gallos Insubres ad bellum concitat, à L. Furio & victus, & cæsus est.

5. *Inter Siculos.*] Qui à Carthaginiensibus contra Agathoclem stabant.

6. *Subita irruptione.*] Syracusanos ex improviso adoriri dum properat imprudentiùs; Antander Agathoclis, qui tum aberat frater, structis insidiis in eum irruit, & fugatis aliis, aliis occisis, Amilcar ipse dum fortiter dimicat, vivus capitur. Hæc ferè Diod.

7. *Captivus.*) Ductus per urbem ca-

9. [1] Alcibiades quoque [2] miserabilem exitum suum haud fallaci nocturna imagine speculatus est: quo enim pallio amicæ suæ dormiens opertum se viderat, eo interfectus, & insepultus jacens, [3] contectus est.

10. Proximum somnium, etsi paulo est longius, propter nimiam tamen evidentiam ne omittatur, impetrat. Duo familiares [4] Arcades iter una facientes, [5] Megaram venerunt: quorum alter ad hospitem se contulit, alter in tabernam meritoriam divertit. Is autem qui in hospitio erat, vidit in somnis comitem suum orantem, ut sibi cauponis insidiis circumvento subveniret: posse enim celeri ejus accursu se imminenti periculo subtrahi. Quo visu excitatus, prosiluit, tabernamque, in qua is diversabatur, petere conatus est. [a] Pestifero deinde fato humanissimum propositum tanquam supervacuum damnavit, idque visum pro nihilo ducens, lectum ac somnum repetiit. Tunc idem ei saucius oblatus obsecravit, ut qui auxilium vitæ suæ ferre neglexisset, [6] neci saltem ultionem non negaret. Corpus enim suum à caupone trucidatum, tum maxime plaustro ad portam ferri stercore coopertum. Tam constantibus familiaris precibus compulsus, protinus ad portam cucurrit, & plaustrum, quod in quiete demonstratum erat, comprehendit, cauponemque ad capitale supplicium perduxit,

An. M. 3650. Ol. 94. 1. Vrb. C. 349. Ant. Ch. 403.

INTERPRETATIO.

a *Deinde reprobavit consilium illud humanissimum, velut vanum & inane, fato lethali* socio suo.

NOTÆ.

quisitissimis tormentis necatus est.

1. *Alcibiades.*] Dux Atheniensium clarissimus, qui cùm à puero esset ad voluptates proclivior, à Socrate ad meliorem frugem revocatus multa præclarè gessit.

2. *Miserabilem exitum.*] Athenis à Lysandro captis in Phrygiam ad Pharnabasum fugerat; cum Lysander admonitus à Critia nihil ibi diuturnum fore, dum Alcibiades viveret: misit, qui eum, seu vivum, seu mortuum à Pharnabaso deposcerent: quare domui, ubi cubabat, suppositus ignis est: Flammæ tamen strepitu excitus Alcibiades in ignem primum vestes & stragula, deinde seipsum dejicit: ex quo illæsus cum evasisset, barbaros cominus congredi non ausos gladio dissipat; at illorum jaculis eminus confoditur. Ita Plut. & Diod.

3. *Contectus est.*] Illius corpus opertum veste sua mulier incendio tugurii cremavit.

4. *Arcades.*] Qui in Peloponnesi meditullio habitabant, ab Arcade Iovis filio nomen sortiti.

5. *Megaram.*] Vrbs est Achaiæ media Athenas inter & Corinthum, ad sinum Saronicum.

6. *Neci ultionem.*] Ne centum erraret annos; inulti enim & insepulti centum annos errare vulgo credebantur; ut patet ex Virg. Lucan. & aliis. Hoc somnium ex Chrysippo Cicero memorat.

CAP. VIII.

DE MIRACULIS.

[a] MUlta etiam interdiu, & vigilantibus accederunt, perinde ac tenebrarum somniique nube involuta; quæ, quia unde manaverint, aut qua ratione constiterint, dignoscere arduum est, merito miracula vocantur.

1. Quorum è magno acervo in primis illud occurrit. Cum [1] apud

INTERPRETATIO.

[a] *Multa etiam evenerunt interdiu & vigilantibus, non aliter quam si essent abscondita obscuritate tenebrarum & somniorum.*

NOTÆ.

1. *Apud lacum Regillum.*] Is lacus in Latio est ex Plinio, in agro Tusculano ad Algidi nemoris ingressum. *Laco di Castiglione.*

lacum Regillum [1] A. Posthumius Dictator, & [2] Tusculanorum dux [3] Mamilius Octavius [4] magnis viribus inter se concurrerent, ac [5] neutra acies aliquandiu pedem referret; [6] Castor ac Pollux Romanarum partium [7] propugnatores visi, hostiles copias penitus fuderunt.

An. M. 3559. Ol. 71. 2. Vrb C. 258. Ant. Ch. 494.

Item bello Macedonico P. Vatinius, [8] Reatinæ præfecturæ vir, noctu Urbem petens, existimavit duos juvenes excellentis formæ, albis equis insidentes, obvios sibi factos nunciare, die qui prætierat, [9] Persen Regem à Paulo captum. Quod cum Senatui indicasset, tanquam majestatis ejus, & amplitudinis, vano sermone contemptor, in carcerem conjectus est. Postquam Pauli literis illo die Persen captum apparuit, & custodia liberatus, & insuper agro, & [10] vacatione donatus est. Castorem vero & Pollucem etiam illo tempore pro imperio populi Romani excubuisse cognitum est, quo [11] ad lacum Juturnæ, suum

An. M. 3886. Ol. 153. 1. Vrb. C. 585. Ant. Ch. 167.

NOTÆ.

1. *A. Posthumius.*] Albus; & à lacu Regillo, ubi vicit, Regillensis, ex nobili Posthumiorum stemmate; primus post T. Largium Dictator.

2. *Tusculanorum.*] Vltra Lanuvium, Ariciam & Albanum montem Tusculum fuit in collibus situm; ubi etiam nunc visuntur ingentes ruderum reliquiæ: à Telegono Vlyssis & Circes filio conditum dicitur. *Frescati.*

3. *Mamilius.*] Tarquinii Superbi gener.

4. *Magnis viribus inter se.*] Hac in pugna id singulare fuit, quod duces omnes inter se singulari certamine concurrerint. Tarquinius Superbus, quanquam jam ætate & viribus gravior, Posthumium Dictatorem: M. Valerius Publicola frater L. Tarquinium: Octavium Mamilium, primum Ebutius Magister equitum, deinde T. Herminius legatus infesto spiculo petiit. Tarquinius in latere ictus à suis receptus in tutum est: M. Valerius temere invectus in exulum aciem cecidit; Ebutio brachium trajectum; Mamilio percussum pectus, tum latus ab Herminio transfixum: Herminius etiam inter spoliandum Mamilii corpus veruto transfossus occubuit.

5. *Neutra acies.*] In dextro cornu jam vicerat Posthumius, in sinistro acre certamen erat, variaque pugna: donec occiso Mamilio equites Romani relictis equis in primam aciem advolant: tum enim undique facta fuga, multaque cædes & præda ingens capta est. E 40. Latinorum millibus vix dena millia domum rediere.

6. *Castor & Pollux.*] Fratres gemini; qui & Tyndaridæ: & vicibus alternis mori & reviviscere dicuntur; ingens poëtis fingendi materies. Locum fabulæ dedit Geminorum in cœlo natura, quorum oriente altero alter occidit.

7. *Propugnatores visi.*] Idem Cicero, Dionys. & Plutarchus referunt. Livius vero Posthumium ædem Castori vovisse, miraculi non meminit: additque Frontinus id eo excogitatum à Posthumio, quo facilius milites ad pugnam hortaretur.

8. *Reatinæ præfecturæ.*] Reate oppidum fuit Sabinorum, *Rieti*, quo Aborigines urbe sua pulsi se receperunt, ex Dionys. l. 1. Dicitur præfectura Reatina, quædam enim his temporibus erant oppida; ut Fundi, Formiæ, Anagnia &c. quibus à Præfecto Vrbano præfecti imponi solebant.

9. *Persen Regem.*] De Perse & Paulo postea.

10. *Vacatione donatus est.*] Immunis fuit ab omni publico munere.

11. *Ad lacum Iuturnæ.*] Duplex Iuturnæ lacus; alter extra urbem ad Numicum Fluvium, nunc *Lago di Volturno*; alter in urbe apud forum, ex Dionys. Iuturna Dauni filia, & Turni soror à Iove Numici fluminis nympha consecrata fingitur: A juvando Iuturnam dictam scribit Varro; Quapropter è fonte Numiciano, cum ægroti ad morbos pellendos, tum cives om-

equorumque [1] sudorem abluere visi sunt; junctaque fonti [2] ædes eorum, nullius hominum manu reserata patuit.

An. M. 3763. Ol. 122. 2. Urb. C. 461. Ant. Ch. 390.

2. [a] Sed ut cæterorum quoque Deorum propensum huic Urbi numen exequamur: triennio continuo vexata pestilentia civitas nostra, cum finem tanti & tam diuturni mali, neque divina misericordia, neque humano auxilio, imponi videret: cura sacerdotum, inspectis Sibyllinis libris animadvertit, non aliter pristinam recuperari salubritatem posse, quam si ab [3] Epidauro Æsculapius esset accersitus. [b] Itaque eo legatis missis, unicam fatalis remedii opem auctoritate sua (quæ jam in terris erat amplissima) impetraturam se credidit. Neque eam opinio decepit: pari namque studio petitum, ac promissum est præsidium; evestigioque Epidaurii, Romanorum legatos in templum Æsculapii (quod ab eorum urbe quinque millibus passuum distat) perductos, ut quicquid inde salubre patriæ laturos se existimassent, pro suo jure sumerent, benignissime invitaverunt: Quorum tam promptam indulgentiam, numen ipsius Dei subsecutum, verba mortalium, cœlesti obsequio comprobavit. Siquidem is anguis, quem Epidaurii raro, sed nunquam sine magno ipsorum bono visum, in modum Æsculapii venerati fuerunt, per urbis celeberrimas partes, mitibus oculis, & leni tractu labi cœpit, triduoque inter religiosam omnium admirationem conspectus, haud dubiam præ se appetitæ clarioris sedis alacritatem ferens, ad triremem Romanam perrexit: paventibus inusitato spectaculo nautis, eo conscendit, ubi [4] Q. Ogulnii legati tabernaculum erat, [d] inque multiplicem orbem, per summam quietem est convolutus. Tum legati, perinde at-

INTERPRETATIO.

[a] *Sed ut narremus etiam ea, quæ cæteri dii propitii nostræ civitati fecerunt.*

[b] *Itaque putavit legatis Epidaurum missis se obtenturam potestate sua, quæ jam erat maxima in orbe terrarum, auxilium unicum remedii ad hoc à fatis destinati.*

[c] *Præ se ferens manifestam lætitiam*, quod iret Romam *ut optaverat, quæ urbs est illustrior* Epidauro.

[d] *Corpus suum placide convolvit in multas spiras & varios gyros.*

NOTÆ.

nes ad sacrificia aquam petere consueverant.

1. *Sudorem abluere visi sunt.*] Ad Posthumii victoriam id refert Dionysius; in eo tamen à Valerio dissentit, quod non in lacu Iuturnæ, sed in fonte propter Vestæ templum equos abluisse velit.

2. *Ædes eorum.*] In regione Circi Flaminii, ex P. Victore: in Campo Martio, ex Ovidio: in foro, ex aliis, has ædes extruxit A. Posthumius; ipsius filius dedicavit; L. Metellus Dalmaticus ornavit ex hostium manubiis, ut auctor est Asconius.

3. *Epidauro.*] Tres sunt in Europa hoc nomine urbes; una in Dalmatia, quæ nostra ætate emporio & Republica nobilis, *Ragusa*: altera in Peloponneso ad sinum Argolicum, *Limera* Straboni, *Monobasia* Cedrino, *Malvasia* Italis dicitur: tertia etiam in Peloponneso in Argia regione ad Saronicum sinum, quæ Æsculapii delubro celebris, *Pigiada* Nigro, *Cheronisi* Sophiano. Ita Ortelius.

4. *Q. Ogulnii.*] Ille ipse est Ogulnius

que

que exoptatæ rei compotes, expleta gratiarum actione, cultuque anguis à peritis accepto, læti inde ſolverunt: ac proſperam emenſi navigationem poſtquam Antium appulerunt, anguis qui ubique in navigio remanſerat, [a] prolapſus in veſtibulo ædis Æſculapii, myrto frequentibus ramis diffuſæ, ſupereminentem excelſæ altitudinis palmam circumdedit: perque tres dies poſitis, quibus veſci ſolebat, non ſine magno metu legatorum, ne in triremem reverti nollet, Antienſis templi hoſpitio uſus, urbi ſe noſtræ ad vehendum reſtituit, atque in ripam Tiberis egreſſis legatis, [1] in inſulam, ubi [2] templum dicatum eſt, tranſnavit: [b] adventuque ſuo tempeſtatem, cui remedio quæſitus erat, diſpulit.

3. Nec minus voluntarius Junonis in urbem noſtram tranſitus. Captis à Furio Camillo Vejis, [3] milites juſſu Imperatoris ſimulacrum [4] Junonis Monetæ, quod ibi præcipua religione cultum erat, in Urbem tralaturi, ſede ſua movere conabantur. Quorum ab uno per jocum interrogata Dea, an Romam migrare vellet, Velle ſe reſpondit. Hac voce audita, luſus in admirationem verſus eſt. Jamque non ſimulacrum, ſed ipſam cœlo Junonem petitam, portare ſe credentes, læti in ea parte montis [5] Aventini, in qua nunc templum ejus cernimus, collocaverunt.

An. M. 3659. Ol. 96. 2. Vrb. C. 358. Ant. Ch. 394.

4. [6] Fortunæ etiam Muliebris ſimulacrum, quod eſt via Latina ad

INTERPRETATIO.

a Labendo egreſſus, in porticu templi Æſculapii, in qua erat myrtus longe diffuſa ramis, circumplexus eſt corpore ſuo palmam altitudine alias ſuperantem.

b Fecitque adventu ſuo, ut ceſſaret peſtilentia, contra quam ipſe, tanquam remedium, accerſitus fuerat.

NOTÆ.

ſive Ogulinus, qui Tribunus plebis anno Vrbis 453. una cum fratre item Tribuno rogationem tulit, ut ad 4. augures, & 5. Pontifices patricios, 4. Pontifices & 5. augures è plebe allegarentur; ex Livio.

1. *In Inſulam.*] Tiberinam ſupra pontem Palatinum, cui à nave, quæ Æſculapium advexit, navis forma data eſt: pars enim ſuperior proræ, inferior puppis figuram refert, & in una parte navis ex Thaſio lapide ſculpta; in altera ſerpentis ſimulacrum, viſuntur. Hæc Marlianus.

2. *Templum dicatum eſt.*] In quo valetudinis cauſa cubabant ægroti; in inſula conditum eſt, inquit Feſtus, quod ægri ad potum aqua utantur ſæpiſſime.

3. *Milites juſſu Imperatoris.*] Deducti ex omni exercitu juvenes pure lotis corporibus, & candida veſte, qui ſignum illud, religioſe admoventes manus, Romam deferrent.

4. *Iunonis Monetæ.*] Reginam vocant Livius & P. Victor: Moneta dicitur ex Suida; quod inſcripta numiſmata in Iunonis templo Romæ ſervarentur; vel à monendo ex Cicer. & Livio: quod, cum terræ motus factus eſſet; ut ſue plena procuratio fieret, vox ab æde Iunonis audita ſit.

5. *Aventini.*] Alii ab Aventino Rege; alii ab avibus, quæ eo ſe è Tiberi ferrent; alii ab hominibus, qui eo ratibus adveherentur, dictum volunt: quod avibus obſcænis ominoſus eſſet, urbis pomœrio non incluſus eſt: à Claudio tamen Imperatore urbi additus; à Remo Remurius, à Murcia Socordiæ Dea Murcius etiam nuncupatus. nunc *Monte di S. Sabina.*

6. *Fortunæ Muliebris.*] Fortuna, alia

An. M. 3567. Ol. 73. 2. Vrb. C. 266. Ant. Ch. 486.

quartum milliarium, eo tempore cum æde sua consecratum, [1] qu
Coriolanum ab excidio Urbis maternæ preces repulerunt, non semel,
sed bis locutum constitit, his pene verbis: Rite me matronæ vidistis,
riteque dedicastis.

An. M. 3546. Ol. 68. 1. Vrb. C. 245. Ant. Ch. 507.

5. [2] Valerio autem Poplicola Cos. qui post exactos Reges bellum cum
Vejentibus & Hetruscis gessit, illis Tarquinio [3] pristinum imperium re
stituere, Romanis nuper partam libertatem retinere cupientibus: He
truscis, & Tarquinio [4] in cornu dextro prælio superioribus, tantu
terror subito incessit, ut non solum victores ipsi profugerent, sed etiam
pavoris sui consortes secum Vejentes traherent. Cui rei pro argumen
to miraculum adjicitur; Ingens repente vox è proxima silva [5] Arsia,
quæ ore [6] Sylvani in hunc pene modum missa traditur, [a] Uno plus He
trusci cadent: Romanus exercitus victor abibit. [b] Miram dicti fide
digesta numero cadavera exhibuêre.

An. M. 3772. Ol. 124. 3. Vrb. C. 471. Ant. Ch. 281.

5. [7] Quid Martis auxilium, quo victoriam Romanorum adjuvit
nonne memoria celebrandum est? Cum Brutii atque Lucani odio inc
tatissimo, maximisque viribus [8] Thurinæ urbis peterent excidium,
præcipuo studio incolumitatem ejus [9] C. Fabricius Luscinus Cos. pr

INTERPRETATIO.

a Hetrusci occidentur plures uno milite, quam Romani.

b Corpora cæsorum ex utraque parte numerata ostenderunt dictum Sylvani veru fuisse.

NOTÆ.

Equestris, alia Virilis, alia aliis nominibus insignita: hæc Muliebris dicitur, quod ad liberandam patriam plus mulieres, quam viri, tum potuerint: quare Fortunæ in via Latina ad rei memoriam, & templum, & simulacrum à mulieribus dedicatum.

1. *Quo Coriolanum, &c.*] de quo postea pluribus.

2. *Valerio Pop'icola.*] Qui expulso Collatino in Collegam assumptus à Bruto, quatuor Consulatus summo cum honore gessit.

3. *Pristinum regnum restituere.*] Legationibus cum nihil proficeret Tarquinius; collectis ex omni Etruria militibus in Romanos movit.

4. *In cornu dextro.*] Varia victoria & æquo Marte pugnatum est; dextra utrinque cornua vicere, læva superata: Vejentes enim vinci à Romano milite assueti fusi fugatique sunt, Tarquiniensis novus hostis ab sua parte Romanum pepulit.

5. *Arsia.*] An Arsia sylva, an E vium, Visinumve pratum legendum f multis disputat Cluverius. Arsiam sylva bene legeris, quæ trans Ianiculum fuit

6. *Sylvani.*] Sylvarum pecorisque De humano vultu, caprinisque cruribus fi gitur; cui sub Viminali templum Rom fuit.

7. *Quid Martis auxilium.*] Nulla qu dem hujus historiæ apud Livium ment nisi quod in l. 12. epitome scriptum c contra Brutios & Lucanos id fere temp ris feliciter pugnatum esse: at Ammian Marcellinus l. 24. eodem fere modo, qu Valerius, id retulit; additque Plinius l. c. 6. Fabricium à Thurinis statua don tum.

8. *Thurinæ urbis.*] Calabriæ oppid fuit in sinu Tarentino, Crotoni vicinu inter ostia Sybaris & Cratis: prius Sybar inde Thurium, & Thurii nuncupatum *Terra nova.*

9. *C. Fabricius Lucinus.*] Vir tribu

tegeret; resque ancipiti eventu, collatis unum in locum utriusque partis copiis, gereretur: non audentibus Romanis prœlio congredi; eximiæ magnitudinis juvenis [a] primum eos hortari ad capessendam fortitudinem cœpit. Deinde, ubi tardiores animadvertit, arreptis scalis per mediam hostium aciem ad contraria castra evasit: & admotis, [1] vallum conscendit. Inde voce ingenti clamitans, factum victoriæ gradum, & nostros ad aliena castra capienda, & Lucanos, Brutiosque ad sua defendenda, illuc traxit, ubi conserti dubio certamine tenebantur. Sed idem impulsu armorum suorum prostratos hostes jugulandos, capiendosque Romanis tradidit; xx. enim millia cæsa, quinque millia cum Statio Statilio duce utriusque gentis & tribus atque xx. militaribus signis capta sunt. Postero die cum Cos. inter honorandos, quorum strenua opera fuerat usus, [2] vallarem coronam ei se servare dixisset, à quo castra erant oppressa; nec juvenis, qui id præmium peteret, inveniretur; cognitum pariter, atque creditum est, Martem patrem tunc populo suo adfuisse. Inter cætera hujusce rei manifesta indicia, [3] galea quoque [4] duabus distincta pinnis, qua cœleste caput tectum fuerat, argumentum præbuit. Itaque Fabricii edicto, [5] supplicatio Marti est habita, & à laureatis militibus magna cum animorum lætitia oblati auxilii testimonium ei est redditum.

7. Referam nunc quod suo seculo cognitum manavit ad posteros,

INTERPRETATIO.

a Primum cœpit illos excitare ad pugnam fortiter incipiendam.

NOTÆ.

consulatibus, Censura, victoriis de Brutiis, Lucanis, & Pyrrho relatis, paupertate, morum innocentia, vitæque integritate clarissimus: cujus filia ex ærario dotata est; quoniam paternæ hæreditatis præter gloriam nihil erat.

1. *Vallum.*] Aggestus erat è terra & sudibus ad labrum fossæ interius, veluti murus; cujus duæ partes, agger, & sudes: agger è terra & cespite, sæpè altus decem pedes, & totidem latus; sudes ex quocunque & obvio ligno, robusto tamen: valli modus parte una 2017. pedum, altera pluscuIo major 2050. Hæc & plura Lipsius.

2. *Vallarem coronam.*] Qua donari solebant, qui primi hostile vallum conscendissent; graminea fuit. Aliæ militares coronæ, triumphalis, obsidionalis, civica, de quibus postea.

3. *Galea.*] Ex pellibus hi pilei, ne præliantibus graviores essent.

4. *Duabus distincta pinnis.*] Alii aliis rebus in galea usi, vel ad ornatum, vel ad horrorem; variæque animalium formæ galeis superpositæ. Unde Virgil. de Turni galea. l. 7.

Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram
Sustinet Ætnæos efflantem faucibus ignes.

Et Plutarchus in Mario Cimbrorum galeas & plumis & horrendis animantium figuris insignes describit. Morem illum ab Ægyptiis ortum non temere dixerim; quorum Reges caput, vel Leonis, vel Tauri, vel Draconis, Regiæ potestatis insigne gestasse scribit Diodorus l. 2 Ab Ægyptiis ad Græcos, ut indicat Plinius; A Græcis ad Romanos, ab iis ad nostram usque manavit ætatem. Familiarum enim insigni a variis animalium figuris distincta cernimus.

5. *Supplicatio.*] Duplex fuit: una, quæ Prætoris edicto extra ordinem fiebat: al-

An. M. 2889. Ant. Ch. 1164. [1] Penates Deos [2] Æneam [3] Troia advectos [4] Lavinii collocasse; inde ab [5] Ascanio filio ejus [6] Albam, quam ipse condiderat, tralatos, pristinum sacrarium repetisse: & quia id humana manu factum existimari poterat, relatos Albam, voluntatem suam altero transitu, significasse. [a] Nec me præterit de motu, & voce Deorum immortalium, humanis oculis, auribusque percepto, quam in ancipiti opinione æstimatio versetur. Sed quia non nova dicuntur, sed tradita repetuntur, [b] fidem auctores vindicent: nostrum sit, inclytis literarum monumentis consecrata, perinde ac vana non refugisse.

An. M. 4012. Ol. 184. 3. Vrb. C. 711. Ant. Ch. 41. 8. [c] Facta mentione urbis, è qua primordia civitas nostra traxit, Divus Julius fausta proles ejus, se nobis offert: quem C. Cassius (nunquam sine præfatione publici parricidii nominandus) cum acie Philippensi ardentissimo animo perstaret, vidit humano habitu augustiorem purpureo paludamento amictum, minaci vultu, & concitato equo in se impetum facientem: quo aspectu perterritus, tergum hosti dedit,

INTERPRETATIO.

[a] *Non ignoro quam dubia sit & anceps opinio, quam habent homines de motu Deorum oculis percepto, & de eorum voce auribus audita.*

[b] *Primi scriptores* earum rerum *sibi concilient fidem* legentium.

[c] *Cum mentionem fecerimus* Albæ civitatis, *ex qua* Roma *urbs nostra duxit originem, dicimus aliquid de divo Iulio* Cæsare *qui* ab Iülo Albæ conditore *oriundus fuit.*

NOTÆ.

tera, cum Provinciarum seu Proconsules, seu Pro-prætores à militibus ob victoriam Imperatores appellati laureatas literas ad Senatum mitterent; quibus, & Imperatoris nomen, & supplicationem deposcerent: tum solebat Senatus adire Deorum templa, gratias agere, offerre sacrificia, vota facere, dare epulum, dies festos celebrare, modo plures, modo pauciores, pro dignitate, & victoris, & victoriæ.

1. *Penates Deos.*] Dei Penates ii sunt, per quos penitus spiramus & vivimus, ex Macrobio. Tradit Cicero sic dictos à penu; quo significatur id omne, quo vescimur. Erant Penates alii totius generis humani, alii cœli, alii terræ, alii cujusque & civitatis, & domus. Quos vero Penates Æneas Troia secum in Italiam advexerit, obscurum est; alii Vestam, alii Neptunum & Apollinem, alii Castorem & Pollucem fuisse volunt.

2. *Æneam.*] Anchisæ & Veneris filium, Virgilii versibus nobilitatum; qui tamen patriæ proditor ab aliis dicitur: ab illo enim, vel Scæa porta Græcis aperta, ut auctor est Dares; vel equus ligneus Græco gravis milite in urbem inductus. Troiæ reliquias incolere per Græcos cum ipsi liceret: seu quod Polyxenam pro felici reditu immolandam apud se occultasset, ab Agamemnone ejectus, ut placet Dareti; vel ab Antenore, quod in ipsum populum concitaret, ut vult Dictys Cretensis; in Italiam appulit.

3. *Troia.*] Phrygiæ minoris civitas non procul à monte Ida, quæ à Dardano Dardania, Troia à Troë, & ab Ilo Ilium appellata, decennali Græcorum obsidione nobilis.

4. *Lavinii.*] Vrbs olim fuit Latii inter Ostiam & Velitras non procul à mari ab Ænea condita.

5. *Ascanio.*] Qui regni sedem à Lavinio ad Albam, quam condiderat, transtulit.

6. *Albam.*] In Latio: dicta est Alba ab alba sue, quam ibi reperit Æneas; longa vero à longo tractu: à Tullo Hostilio eversa, civesque Romam migrare jussi: nunc etiam *Alba*.

voce illa prius emissa, [1] quid enim amplius agas, si occidisse parum est? Non occideras tu quidem, Cassi, Cæsarem. Neque enim extingui ulla divinitas potest: sed mortali adhuc corpore utentem violando, meruisti ut tam infestum haberes Deum.

9. Jam quod [2] L. Lentulus littus prænavigans, in quo Cn. [3] Pompeii Magni, perfidia [4] Ptolemæi Regis, [5] interempti [6] corpus conscissæ scaphæ lignis comburebatur: ignarus casus ejus, cum ipsi [7] fortunæ erubescendum rogum vidisset, commilitonibus dixit, Quid scimus, an hac flamma C. Pompeius cremetur: [a] divinitus missæ vocis miraculum est. An. M. 4006. Ol. 183. 1. Vrb. C. 705. Ant. Ch. 47.

10. [b] Atque hoc quidem hominis tantum: illud autem ore ipsius Apollinis editum, quo Appii interitum veridica Pythicæ vaticinationis fides præcurrit. Is bello civili, quo se Cn Pompeius à Cæsaris concordia pestifero sibi, nec Reipub. utili consilio abruperat, eventum gravissimi motus explorare cupiens; [c] viribus imperii (namque [8] Achaiæ præerat) Antistitem Delphicæ [9] cortinæ, in intimam sacri specus par- An. M. 4005. Ol. 182. 4. Vrb. C. 704 Ant. Ch. 48.

Interpretatio.

[a] *Pro miraculo habenda est vox emissa inspiratione Deorum.*

[b] *Atque hoc oraculum Lentuli fuit editum ore tantum hominis; illud vero, quod sequitur, ore Apollonis: quo dicto vera prædictio Pythiæ vaticinantis prænunciavit mortem Appii.*

[c] *Summa sua potestate, nam regebat Achaiam, coëgit Sacerdotem templi Delphici descendere in profundissimam partem antri sacri. in qua sicut responsa certiora dantur consulentibus, ita nimius haustus spiritus divini est letalis* Pythiis *dantibus illa responsa.*

Notæ.

1. *Quid amplius agas &c.*] Cum à Cæsare impetum in se fieri cerneret, Cassius fugiendo dixit. *Quid agam? si occidisse Cæsarem nihil profuit, cum etiam mortuus mihi infestus occurrat.* De Cassio, pugnaque Philippensi jam sæpius.

2. *L. Lentulus.*] Qui Consul anno urbis 705. & ipse Ptolemæi jussu in carcere necatus est.

3. *Pompeii magni.*] Carbone in Sicilia & Hiempsale in Africa devictis, Romam victor Pompeius redibat, cum Sylla honoris causa obviam illi progressus occurrit; eumque complexus alta voce Magnum appellat; inde *Pompeius magnus* vulgo nuncupari cœptus.

4. *Ptolemæi Regis.*] Dionysii, qui Ptolemæi Auletis filius, una cum Cleopatra sorore, etiam tum puer regebat Ægyptum.

5. *Interempti.*] Tot olim nationum victor Pompeius ad Ptolemæum supplex venerat: at ille metuens, ne, aut invaderet imperium, aut plus Cleopatræ, quam sibi faveret, ex Photini consilio misit Achillam & Septimium, à quibus exceptus in navicula Pompeius confoditur.

6. *Corpus.*] Caput ab Achilla delatum ad Regem, corpus à Septimio in fluctus, à fluctibus in littus projectum; ibique à Philippo quodam combustum.

7. *Fortunæ erubescendum.*] Fortunæ enim pudori esse debuit, eum, quem tot triumphis ornasset, tam humili rogo ab uno cliente furtim sepeliri.

8. *Achaiæ.*] Achaia proprie dicta, pars erat Peloponnesi, Corinthum inter & Patras: late sumpta Epiro, Thessalia, Peloponneso, & mari circumscribitur; in Bœotiam, Atticam, Phocidem, Locros, & Doridem divisa. *Livadia & Rumelia.*

9. *Cortinæ.*] Quæ, vel tripus corio Pythonis tectus, vel pars templi interior,

tem coëgit descendere: unde ut certæ consulentibus sortes petuntur, ita nimius divini spiritus haustus [1] reddentibus pestifer existit. Igitur impulsu concepti numinis instincta virgo, horrendo sono vocis, Appio inter obscuras verborum ambages fata cecinit. Nihil, inquit, ad te hoc Romane bellum: [2] Eubœæ [3] Cœlam obtinebis. At is ratus consiliis se Apollinis moneri, ne illi discrimini interesset, in eam regionem secessit, quæ inter [4] Rhamnunta nobilem Attici soli partem, [5] Caristumque [6] Chalcidico freto vicinam interjacens, Cœlæ Eubœæ nomen obtinet, ubi ante Pharsalicum certamen morbo consumptus, prædictum à Deo locum sepulturæ possedit.

An. M. 3665. Ol. 97. 4. Vrb. C. 364. Ant. Ch. 388.

An. M. 3943. Ol. 167. 2. Vrb. C. 642. Ant. Ch. 110.

An. M. 4056. Ol. 195. 3. Vrb. C. 749. Ant. Ch. 3.

11. Possunt & illa miraculorum loco poni: Quod deusto sacrario Saliorum, nihil in eo præter [7] lituum Romuli [8] integrum repertum est. Quod Ser. Tullii statua, cum [9] ædes Fortunæ conflagrasset, inviolata permansit. Quod Q. [10] Claudiæ statua in vestibulo [11] templi Matris Deûm posita, bis ea æde incendio consumpta, prius [12] P. Nasica Scipione, & L. Bestia; item [13] M. Servilio, & L. Lamia Coss. in sua ba… flammis intacta stetit.

NOTÆ.

ubi & cortina tendi, & reddi oracula solebant.

1. *Reddentibus pestifer.*] Quo enim vehementior numinis afflatus, eo puella debilior.

2. *Eubœa.*] Quæ Ægæi maris insula, à Bœotia Euripo admodum angusto sejuncta. *Negrepont.*

3. *Cœlam.*] Hoc est sinum; quare Eubœæ cœla valet plane idem, quod Eubœæ sinus: vox enim illa à Græcis desumpta est; sic Strabo, τ Εὐβοίας τὰ κοιλά.

4. *Rhamnunta.*] Rhamnus duplex; altera in Eubœa, altera in Attica; illa Fortunæ, hæc Amphiaraï templo, & Phidiaca Nemesi nobilis.

5. *Caristum.*] Eubœæ civitatem, propter quam lapis nascitur, quem pectunt, nent, unde texunt mantilia, quæ, ubi sordescunt, in flammas projecta, non secus emendantur, ac si maculas elueris. Ita Strabo, l. 10.

6. *Chalcidico freto.*] Chalcis urbs Eubœæ præcipua, ab Aulide Bœotiæ portu exiguo freto divisa. *Negroponte.*

7. *Lituum.*] Baculus erat incurvus, & à summo leviter inflexus, qui ab ejus, quo canitur, litui similitudine, nomen invenit, teste Cicerone. Lituo utebantur augures ad designanda in aëre spatia illa, inter quæ auguria captarentur. Est etiam lituus ex Festo, genus buccinæ incurvæ; qui qui cecinerit, Liticen dicitur.

8. *Integrum repertum.*] Lituus ille in colle Palatino ad urbis per Gallos excidium servatus; tum etiam urbe capta incensaque, inter altissimos cinerum cumulos illæsus repertus.

9. *Ædes Fortunæ.*] Quod Romanum imperium multum auxerit Servius, multaque in urbe templa Fortunæ, Primigeniæ, Obsequenti, Privatæ posuerit; illius statuam in æde Fortunæ positam testatur Plutarchus.

10. *Claudiæ.*] Quæ Matrem Deûm Pessinunte advectam induxit; ex Livio.

11. *Templi Matris Deûm.*] Primum in templo Victoriæ posita: deinde ædes in Palatio à M. Iunio Bruto ipsi dedicatæ.

12. *P. Nasica Scipione & L. Bestia.*] Vterque patricii generis, ille Corneliorum, hic Calphurniorum. Vir ille facetus & urbanus: hic bello strenuus; sed pecuniæ avidior, turpe cum Iugurtha fœdus pepigit.

13. *M. Servilio & L. Lamia.*] Alter nulla re nisi consulatus honore illustris fuit, alterum, ut virum doctum, laudat Horatius

11. Aliquid admirationis civitati nostræ Acilii etiam Aviolæ [1] rogus attulit, qui & à medicis, & à domesticis mortuus creditus, cum aliquandiu humi jacuisset, elatus, postquam ignis corpus ejus corripuit, vivere se proclamavit, auxiliumque pædagogi sui (nam is solus ibi remanserat) invocavit. Sed jam flammis circumdatus, fato subtrahi non potuit.

An. M. 4021. Ol. 186. 4. Vrb. C. 720. Ant. Ch. 32.

[2] L. quoque Lamiæ prætorio viro æque vocem fuisse super rogum constitit.

An. M. 4012. Ol. 184. 3. Vrb. C. 711. Ant. Ch. 41.

EXTERNA.

1. Quæ minus admirabilia, [3] Eris Pamphilii casus facit: quem Plato scribit inter eos, qui in acie ceciderant, decem diebus jacuisse, biduoque postquam inde sublatus esset, impositum rogo revixisse: ac mira quædam tempore mortis visa narrasse.

2. Et quoniam ad externa transgressi sumus, quidam Athenis vir eruditissimus, cum ictum lapidis capite excepisset, cætera omnia tenacissima memoria retinens, litterarum tantummodo, quibus præcipue inservierat, oblitus est. [a] Dirum malignumque vulnus in animo percussi, quasi de industria scrutatis sensibus, in eum potissimum, quo maxime lætabatur, acerbitate nocendi erupit; singularem doctrinam hominis pleno invidiæ funere efferendo: cui si talibus studiis perfrui fas non erat, utilius aliquanto fuit, ad illa aditum non impetrasse, quam jam percepta eorum dulcedine caruisse.

3. Mirabilior tamen sequentis casus narratio. Nausimenis enim Atheniensis uxor, cum filii ac filiæ suæ stupro intervenisset, inopinati monstri perculsa conspectu: & in præsens tempus ad indignandum, & in posterum ad loquendum obmutuit. Illi nefarium concubitum voluntaria morte pensarunt. Hoc modo fortuna sæviens huic vocem, iis vitam ademit; illi propitia donat.

INTERPRETATIO.

[a] *Dirum certe & malignum vulnus illius hominis læsi in memoria, quæ pars est animi; quasi enim de industria considerasset omnes sensus, malignitate sua illum præcipue corrupit, quo ille inprimis delectabatur; auferendo maximam illius scientiam, quam* Dii illo casu *invidisse visi sunt: cui homini, si non licebat* usque ad finem vitæ *frui sua doctrina, multo illi utilius fuisset nunquam studuisse litteris, quam carere voluptate quam ex iis perceperat.*

NOTÆ.

carm. 1. & 3. Vrbs sub Tiberio præfuit.

1. *Rogus.*] Pro mortui dignitate & honoribus quos gesserat, vel majorem, vel minorem extruxêre pyram: Legéque cautum fuit, ne de lignis politis strueretur.

2. *L. quoque Lamia.*] E plebeia quidem, at nobili Æliorum gente, quæ in tres potissimum familias divisa fuit, Tuberonum, Pætorum, & Lamiarum, qui ad Lamum Formiorum olim Principem referebant originem, si Horatio l. 3. credimus, *Æli vetusto nobilis ab Lamo, &c.*

3. *Eris Pamphili.*] Non est operæ pretium huic exemplo, aliisque quæ proxi-

4. Ægles Samius [1] athleta mutus, cum ei victoriæ quam adeptus erat, titulus & præmium eriperetur, [a] indignatione accensus, vocalis evasit.

5. [2] Gorgiæ quoque Epirotæ fortis viri clara fuit origo, qui in funere matris utero elapsus, inopinato vagitu suo lectum ferentes consistere coëgit, novumque spectaculum patriæ præbuit, [b] ex ipso genetricis rogo lucem, & cunas assecutus: Eodem enim momento temporis, altera jam fato functa parit, [c] alter ante elatus, quam natus est.

6. [d] Divinæ fortunæ vulnus [3] Pheræo Iasoni quidam exitii ejus cupidus intulit. Nam cum inter insidias gladio eum percussisset, [4] vomicam, quæ à nullo medicorum sanari potuerat, ita rupit, ut hominem pestifero malo liberaret.

7. [e] Æque Diis immortalibus acceptus [5] Simonides, cujus salus ab imminenti exitio defensa, ruinæ quoque subtracta est. Cœnanti enim [6] apud Scopam, in [7] Cranone (quod est in [8] Thessalia oppidum) nunciatum est [9] duos juvenes ad januam venisse, magnopere rogantes, ut

INTERPRETATIO.

a *Ira commotus cœpit loqui.*

b *In ipso loculo matris vitam invenit, &* illius pheretro *pro cunis usus est.*

c *Puer prius portatus est ad rogum* cum matre, *quam natus est.*

d *Quidam cupiens occidere Iasonem Pheræum inflixit illi vulnus optandum & magnæ felicitatis.*

e *Simonides tam dilectus fuit à Diis immortalibus, quam Iason: cum illius vita erepta à certo periculo naufragii, conservata etiam fuerit à ruina cœnaculi.*

NOTÆ.

me sequuntur addere plura; auctores à quibus referuntur indicasse satis erit. Eris Pamphilii meminere tum Plato l. 10. de Rep. tum Macrobius in somnio Scipionis: Viri illius eruditissimi Plinius l. 7. c. 24. Æglis Samii Aulus Gellius.

1. *Athleta.*] De Athletis sic breviter Aristoteles; Qui celeritate valet, is cursor est: qui potest, tum premere, tum continere, luctator: qui percutiendo pellere, pugil: qui horum utroque modo, pancratio idoneus: qui ad hæc cuncta aptus, quinquertio. Plura tamen Athletarum genera constituit Hieronymus Mercurialis in Gymnasticis; sunt enim Stadiodromi, Diaulodromi, Dolichodromi, Palæstritæ, Pancratiastæ, Discoboli, Saltatores, Pentathli.

2. *Gorgia.*] Non Philosophus ille est ac Rhetor celeberrimus, qui Leontinus fuit.

3. *Pheræo Iasoni.*] Pheræorum tyranno, de quo postea. Phera oppidum Thessaliæ ad Bœbeïdem lacum: aliæ in Attica, Peloponneso, Apulia, &c.

4. *Vomicam.*] Vlcus est latens, quod saniem, si evomat, Vomica dicitur.

5. *Simonides.*] Id Pindaro tribuit Solinus; Simonidi Cicero & Quintilianus.

6. *Apud Scopam.*] Non Sculptorem, qui Mausoleum cælavit, sed fortunatum virum, & nobilem; ex Cicer.

7. *In Cranone.*] Quæ in campis Pharsalicis ex Plinio; Ephyra ab Homero dicta, ex Stephano.

8. *Thessalia.*] Ad Sinum Pelasgicum & Maliacum; Macedoniæ finitima, inter Peneum fluvium & Thermopylas; quibus Bœotia terminatur. *Ianna.*

9. *Duos juvenes.*] Castorem & Pollucem. Inter cœnam cecinerat id carmen, quod in Scopam scripserat; in quo multa ornandi causa poëtarum more fuerant in

ad eos

ad eos continuo prodiret: ad quos egressus, neminem reperit ibi. Ceterum eo momento temporis [1] triclinium, in quo Scopas epulabatur, collapsum, & ipsum & omnes convivas oppresit. [a] Quid hac felicitate locupletius, quam [2] nec mare, nec terra sæviens, extinguere valuit?

8. Non invitus huic subnecto [3] Daphidam, ne quis ignoret quantum interfuerit cecinisse Deorum laudes, & numen obtrectasse. Hic cum ejus studii esset, cujus professores [4] Sophistæ vocantur: [b] ineptæ & mordacis opinationis Apollinem Delphis irridendi causa consuluit, An equum invenire posset, cum omnino nullum habuisset. Cujus ex oraculo reddita vox est, inventurum equum, sed ut eo perturbatus periret. Inde cum jocabundus, quasi delusa sacrarum sortium fide, reverteretur, incidit [5] in Regem Attalum, sæpenumero à se contumeliosis dictis absentem lacessitum: ejusque jussu, saxo, cui [6] nomen erat Equi, præcipitatus, [c] ad Deos usque cavillandos dementis animi justa supplicia pependit.

9. Eodem oraculo Macedonum Rex [7] Philippus admonitus, ut à quadrigæ violentia salutem suam custodiret, toto regno disjungi cursus jussit; eumque locum, qui [8] in Bœotia Quadriga vocatur, semper An. M. 3718. Ol. 111. 1. Vrb. C. 417. Ant. Ch. 335.

INTERPRETATIO.

[a] *Quis felicior unquam fuit Simonide! quem, nec mare furens, nec casus triclinii in terra extructi, potuit occidere.*

[b] *Ille cum esset mordax & ineptam opinionem de Diis haberet; consuluit Delphis Apollinem, ut illum irrideret.*

[c] *Punitus est supplicio quod juste meritus fuerat mente adeo stulta et Deos etiam irrideret.*

NOTÆ.

Castorem & Pollucem inserta, ita Cicero l. 2. de Orat.

1. *Triclinium.*] A voce Græca κλίνη, quæ lectum significat, triclinium dicitur; quod circum mensam sternerentur tres lectuli, quorum in uno dominus; in altero uxor cum reliqua familia; in tertio invitati ad epulas amici assiderent.

2. *Nec mare nec terra.*] Quia jam à mortuo, quem sepelierat monitus, naufragium vitaverat.

3. *Daphidam.*] Non Sophistam, sed Grammaticum, qui mendacii accusavit Homerum, quod bello Trojano militasse Athenienses scripserit. Suidas.

4. *Sophistæ vocantur.*] Primum Philosophi, deinde Rhetores Sophistæ dicti sunt; postremo abiit nomen in invidiam; ut Sophistæ vocarentur tum ii qui ostentationis aut quæstus causa philosopharentur: tum ii, qui argutiis id, quod falsum est, verum ostendere niterentur.

5. *In Regem Attalum.*] Tres fuerunt Pergameni Principes, quibus idem Attali nomen fuit: unus is, qui victis Galatis Rex Pergami salutatus, Romanos contra Philippum juvit: alter hujus filius, qui tutorio nomine pro nepote Attalo administravit; tertius Attalus ille, qui Romanos scripsit hæredes. Quis eorum Daphidam egerit in præceps? obscurum est.

6. *Nomen erat Equi.*] Montem illum, non Equum, sed Thoraca dictum docet Strabo: aliique non præcipitatum, sed actum in crucem Daphidam volunt.

7. *Philippus.*] Amyntæ filius & Alexandri Magni pater, qui Macedoniæ regnum prius angustis admodum clausum finibus adeo amplificavit, ut 150. populi in ejus ditione numerarentur.

8. *In Bœotia.*] Quæ ex una parte Atticæ, ex altera Thessaliæ finitima. Chalcidico

vitavit : Nec tamen denuntiatum periculi genus effugit : nam [1] Pauſa-
nias in capulo gladii, quo eum occîdit, quadrigam habuit [2] cælatam.

An. M. 3930. Ol. 114. 1. Vrb. C. 429. Ant. Ch. 323. 10. Quæ tam pertinax neceſſitas in patre, & filio Alexandro co[n-]
ſimilis apparuit. Siquidem [3] Calanus Indus ſua ſponte ſe [4] ardenti ro[go]
ſuperjacturus, interpellatus ab eo, ecquid aut mandaret, aut dicere ve-
let, [5] Brevi te, inquit, videbo. Nec id ſine cauſa, quia voluntariu[m]
ejus è vita exceſſum rapida mors Alexandri ſubſecuta eſt.

11. Regios interitus magnitudine miraculi remigis caſus æquat
quem in [6] hexere Tyriorum ſentinam haurientem, cum è navi fluctu
abjeciſſet; altero latere repercuſſum, fluctus contrarius in navem re-
tulit. [a] Itaque miſeri ſimul ac felicis complorationi permiſta fuit gra-
tulatio.

An. M. 3870. Ol. 149. 1. Vrb. C. 369. Ant. Ch. 481. 12. Quid illa? nonne ludibria naturæ in corporibus humanis fui[t]
credenda ſunt? tolerabilia quidem, quia ſævitia caruerunt: ceterum ...

INTERPRETATIO.

a *Quare comploratio facta eſt ob miſerum illum lapſum in mare, & gratulatio*
reditum in navim.

NOTÆ.

mari alluitur; olim Aonia, nunc *Stramulipa*.

1. *Pauſanias.*] Ceraſtæ filius ex Oreſtarum gente: de ſtupro ab Attalo ſibi per vim illato apud Regem fruſtra queſtus, iram in ipſum convertit; & ultionem, quam ab inimico non poterat, ab iniquo judice exegit; Philippumque, dum Cleopatræ filiæ cum Alexandro Epirotarum Rege nuptias celebrat, interficit.

2. *Cælatam.*] Cælata proprie dicuntur vaſa, vel aurea, vel argentea; in quibus ſigna aut ſigilla eminentia expreſſa ſunt, quæ cælo non torno fiant. Quintilianus ſculpturam à cælatura penes materiam diſtinguit l. 3. c. 31. *Cælatura quæ auro, argento, ære, ferro opera efficit: nam ſi ſculptura lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas complectitur.* Hæc Salmaſius.

3. *Calanus.*] Indus Gymnoſophiſta, qui à Taxile Indiæ Regulo perſuaſus Alexandrum ſecutus fuerat.

4. *Ardenti rogo.*] Vbi venit Perſeppolim, firma ſemper uſus valetudine, tum primum ægrotare cœpit: continuo rogum ſibi conſtrui ab Alexandro impetrat: deinde in lectica vectus annos natus 68. Indico more coronatus hymnoſque patria lingua concinens in rogum conſcendit: ubi decore compoſitus mediis in flammis ſtetit immotus. Alexander qui præſens ad[e]rat, veſte pretioſa, aureis argenteis[que] vaſis, ſplendido convivio, tubarum ſon[o], barritu elephantorum, feſtoque totius ex[er]citus clamore funus decoravit.

5. *Brevi te videbo.*] Addidiſſe fertur ... *præclarum*, inquit, *diſceſſum è vita* ... *ut Herculi contigit, mortali corpore* ... *mato in lucem animus exceſſerit.* Hæc Ci[-]cero l. 1. de divin.

6. *Hexere Tyriorum.*] Hic locus ... omnibus codicibus mire depravatus e[ſt]; in iis, quibus vulgo utimur, legitur *in* ... *tore:* In Campenſi *in dextro latere* ... *Tyriorum.* In Pulmanniano, *in texere Ty[-]brum.* In Atrebatenſi, Cauchiano, ... Gemblacenſi accuratius ſcriptum eſt *ahexere Tyriorum*: unde ſuſpicatur Pig[hius] *In hexere Tyriorum* legendum eſſe; q[uæ] ſcriptura quin vera ſit & germana, du[bi]tabit nemo, qui ab auctoribus, tum Gr[æ]cis, tum Latinis naves, aut Penteres, a[ut] Hexeres, aut Hepteres dici, à remorum vel numero, vel ordinibus noverit; c[u]jus rei teſtem appellare Livium ſatis er[it], cujus hæc ſunt verba è libro 37. *Reg[iæ] claſſis ſeptem & triginta majoris for[mæ] navium erat, in quibus tres hepteres,* ... *quatuor hexeres habebat.*

ipsa miraculis annumeranda. Nam & [1] Prusiæ Regis [2] Bithyniæ filius eodem nomine quo pater, pro superiori ordine dentium unum os æqualiter extentum habuit, nec ad speciem deforme, neque ad usum ulla ex parte incommodum.

13. [3] Mithridatis vero Regis filia Dripetine, Laodice regina nata, duplice ordine dentium deformis admodum, [4] comes fugæ patris, à Pompeio devicti, fuit. An. M. 3988. Ol. 178. 3. Vrb. C. 687. Ant. Ch. 65.

14. [5] Ne [a] illius quidem parvæ admirationis oculi, quem constat tam certa acie luminum usum esse, ut à [6] Lilybæo portu, Carthaginiensium egredientes classes intueretur.

15. Oculis ejus admirabilius [7] Aristomenis [8] Messenii cor: quod Athenienses ob eximiam calliditatem exectum, pilis refertum invenerunt: cum eum aliquoties captum, & astutia elapsum, cepissent.

16. At Poëta [9] Antipater [10] Sidonius, omnibus annis, uno tantummodo die, quo genitus erat, febri implicabatur. Cumque ad ultimam ætatem pervenisset, natali suo, certo illo circuitu morbi consumptus est.

17. Hoc loco apte referantur Polystratus, & Hippoclides Philosophi,

INTERPRETATIO.

a *Dignus est etiam ille magna admiratione, qui tam dicitur habuisse acrem oculorum aciem, ut, &c.*

NOTÆ.

1. *Prusiæ.*] Ad quem Annibal profugit, pace Romanos inter & Antiochum facta.

2. *Bithyniæ.*] In Asia minori ad Pontum sita adversa Thraciæ, proxima Troadi: primum Bebrycia, deinde Mygdonia, tum à Bithyno Rege Bithynia nuncupata. *Becsangial.*

3. *Mithridatis.*] Regis Ponti; qui multos annos bellum in Romanos gessit, *donec tribus ingentibus bellis subactus, felicitate Syllæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeii consumeretur,* inquit Florus.

4. *Comes fugæ patris.*] Accepta clade Mithridatis cum satellitibus per rupes elapsus ad Euphratis fontes, tum ad Tigranem fugit, & ab eo repulsus Colchos se recepit.

5. *Ne illius quidem, &c.*] Strabonem appellat Solinus: cujus ea erat oculorum acies, Varrone & Plinio testibus; ut, & 135. millia passuum prospiceret, & classem Punicam Carthagine solventem, naviumque numerum, & ordinem manifesto notaret. Traditque Cicero Iliadem omnem ab eo ita subtiliter scriptam in membranis, ut testa nucis clauderetur.

6. *Lilybæo.*] Siciliæ promontorio versus Libyam, unde Lilybæum dicitur. *Capo coco.*

7. *Aristomenis.*] Atheniensium, an Lacedæmoniorum dux fuerit: ab illis, an ab his occisus; incertum est: cum à Lacedæmoniis Pausanias in Messeniacis; ab Atheniensibus Valerius necatum scribat.

8. *Messenii.*] Messenii Elidem inter, & Arcadiam, Laconiamque, ad mare habitabant: Messenia vero in ora Sinus Messeniaci ad ostiam Balyri fluminis. *Mosceniga.*

9. *Antipater.*] Qui Catonis Vticensis præceptor, ex Plut. Crassi oratoris tempore floruit, ex Cicerone: cujus verba sunt hæc; *Solitus est versus hexametros, aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore; tantumque hominis ingeniosi ac memoris valuit exercitatio; ut cum se mente ac voluntate conjecisset in versum, verba sequerentur.*

10. *Sidonius.*] Sidone oriundus; quæ civitas est Phœniciæ in ora maris Medi-

eodem die nati, ejusdem præceptoris [1] Epicuri sectam secuti, patr- monii etiam possidendi adeundæque scholæ communione conjuncti, eo- demque momento temporis ultima senectute extincti. Tam æqua- lem fortunæ pariter, atque amicitiæ societatem, quis non ipsius cœ- lestis Concordiæ sinu genitam, nutritam, atque finitam putet?

18. [a] Quapropter hoc potissimum fuerit, aut in liberis potentissi- morum Regum, aut in Rege clarissimo, aut in vate ingenii florent- aut in viris eruditissimis, aut in homine fortis ignotæ, ne ipsa quide- omnis bonæ malæque materiæ fœcunda artifex Natura rationem reru- reddiderit. Non magis quam quid ita silvestres capreas, [2] Cret- genitas, tantopere dilexerit, quas sagittis confixas ad salutare auxiliu- herbæ [3] dictamni, tantum-non suis manibus deducit: efficitque, u- concepta ea continuo & tela & vim veneni vulneribus respuant. A- in [4] Cephalenia insula, cum omnia ubique pecora haustu aquæ quo- tidie recreentur, in ea pecudes majore ex parte anni ore aperto ex- to ventos recipientes, sitim suam sedare instituerit. [b] Aut quapropt- [5] Crotone in templo Junonis Laciniæ aram ad omnes ventos immo- bili cinere donaverit potissimum. Vel quare alteram in [6] Macedonia,

INTERPRETATIO.

[a] *Ne ipsa quidem Natura, quæ omnium corporum, sive bonam sive malam materiam efficit, potest rationem reddere, cur hæc miracula præcipue contigerint, aut in* Dripetine *filia Regis potentissimi, aut in* Prusia *Rege clarissimo, aut in* Antipatro *viro præstantis ingenii, aut in* Polystrato & Hypoclide *viris doctissimis, aut in* lynceo illo *homine infimæ sortis. Nec etiam potest reddere rationem; cur tam amaverit capras silvestres genitas in Creta* Insula; *ut cum confixæ sunt telis, illas natura i- sa videatur manibus suis deducere ad di- ctamnum herbam; quæ est illis remediu- salutare: facitque, ut ea herba digesta, - ciant continuo ex vulneribus, & sagitt- & venenum.*

[b] *Quare voluerit ut Crotonæ in tem- Iunonis Laciniæ esset præcipue ara, sup- quam cinis ex victima incensa relictus - nullo vento agitari potest.*

NOTÆ.

terranei: *Said.*

1. *Epicuri sectam.*] Philosophi celeberrimi, qui summum bonum posuit in voluptate, sive corporis, sive animi: ea enim de re aliter aliis placet.

2. *Creta.*] Insula maris Mediterranei non procul à Peloponneso, Iovis incunabulis & centum urbibus olim clara. *Candie.*

3. *Dictamni.*] Non in tota insula, sed in agro peranguſto propter Dictæum montem. Dictamni figuram his versibus expressit Virgilius l. 12.

Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida.
Puberibus caulem foliis, & flore comant-
Purpureo: non illa feris incognita ca-
pris
Gramina, cum tergo volucres hæsere s-
gittæ.

4. *Cephalenia.*] Ionii maris insula, no- procul à Dulichio. *Cefalonia.*

5. *Crotonæ.*] Vrbis Brutiorum, olim cele- bris ob pugiles & aëris salubritatem: und- illud; *Crotone salubrius. Crotone.*

6. *Macedonia.*) Quæ olim Æmo- nia & Emathia dicta est: Græcia, mar- Ionio, & Ægæo, Thraciaque circumscri- bitur. *La Macedoine.*

alteram [1] in Caleno agro aquam proprietatem vini, qua homines inebrientur, possidere voluerit. [a] Non admiratione ista, sed memoria prosequi debemus: cum sciamus recte ab ea plurimum licentiæ vindicari, penes quam infinitus cuncta gignendi labor consistit.

19. [b] Quæ quia supra usitatam rationem excedentia attigimus, serpentis quoque [2] à Tit. Livio curiose pariter ac facunde relata fiat mentio. Is enim ait in Africa [3] apud Bagradam flumen, tantæ magnitudinis [4] anguem fuisse, ut Atilii Reguli exercitum usu amnis prohiberet: multisque militibus ingenti ore correptis, compluribus caudæ voluminibus elisis, cum telorum jactu perforari nequiret, ad ultimum ballistarum tormentis undique petitam, silicum crebris & ponderosis verberibus procubuisse, omnibusque & cohortibus & legionibus ipsa Carthagine visam terribiliorem. Atque etiam cruore suo gurgitibus imbutis, corporisque jacentis pestifero afflatu vicina regione polluta, Romana inde summovisse castra. Dicit belluæ etiam corium cxx. pedes longum, in Urbem missum.

An. M. 3799.
Ol. 131. 2.
Vrb. C. 498.
Ant. Ch. 254.

INTERPRETATIO.

a *Illa* miracula *non tam admirari debemus, quam memoria recolere: cum sciamus multa* nobis ignota *fieri posse potestate* na-turæ, *cujus officium est omnia producere.*

b *Quoniam* supra *retulimus exempla, quæ superant ea, quæ usu solito videre solemus.*

NOTÆ.

1. *Caleno agro.*) Propter Cales oppidum Campaniæ, quod nunc *Calvi.*

2. *T. Livio.*) Cum iis omnibus, qui Romanam attigerunt historiam, longe præstet T. Livius; illumque eorum, quæ Valerio addimus, sæpe laudemus auctorem: non erit alienum, ut puto, quid ille floruit, quidve scripserit, monere te paucis. T. Livius patria fuit Patavinus; sub Augusto floruit: scripsit post Actiacam victoriam: annoque Tiberii quinto ætatis, suæ 76. obiit. Reliquit historiarum libros 142., quibus res Romanas ab Vrbe condita ad mortem Drusi Germanici complexus est: ex tot tantisque libris supersunt tantum 35. decas enim secunda, cæteræque à libro 45. injuria temporum maximo literarum damno perierunt: earumque, præter argumenta, quæ Liviana epitome continentur, superest admodum nihil.

3. *Bagradam.*) Fluvium, qui præter Vticam labitur, & distat 30. millia passuum à Carthagine.

4. *Anguem.*) Ne quis forte in re tam mira nonnihil affingere Valerium putet, libet hic auctorum, qui hujus serpentis meminerunt, verba adscribere; primum Plinii, deinde Gellii; tum Orosii, qui omnium uberrime hoc, quidquid est monstri, descripsit. Plinius l. 8. c. 14. *Ballistis tormentisque, ut oppidum aliquod, expugnata serpens,* 120. *longitudine: pellis ejus maxillæque usque ad bellum Numantinum duravere in templo.* Gellius l. 6. c. 3. *eumque magna totius exercitus conflictatione ballistis atque catapultis diu oppugnatum, ejusque interfecti longum corium pedes* 120 *Romam misisse* refert Tubero. Orosius l. 4. c. 8. *In vindictam Africæ nata serpens multos militum Romanorum devoravit, ad quam expugnandam Regulus cum exercitu profectus est: sed omni telorum ictu in ipsius tergum irrito; quæ per horrendam squamarum cratem, quasi per obliquam scutorum testudinem labebantur: quare ballistas afferri imperavit, per quas saxum murale spinæ ejus incussum compagem totius corporis solvit, & mox circumventus telis oppressus est.* Similia de hoc serpente memorant Florus, Silius Italicus, & Zonaras: sed hac de re hactenus.

VALERII MAXIMI
LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

DE MATRIMONIORUM RITU, ET NECESSITUDINUM OFFICIIS

1. *Nuptiarum auspicia.*
2. *Epulæ seu convivia.*
3. *Matrimonium non repetentes laudatæ.*
4. *Primum repudium.*
5. *Matronalis libertas ac decor.*
6. *Conjugalis concordia.*
7. *Verecunda consanguinitas.*
8. *Charistia.*
9. *Senectus honorata.*
10. *Iuventus observata, exemplisq; instructa.*

D[a]IVES & præpotens Naturæ regnum scrutatus, i jiciam stylum tam nostræ Urbis, quam cæterarum ge tium priscis ac memorabilibus institutis. Operæ e enim cognosci hujusce vitæ, quam sub optimo Prin cipe felicem agimus, quænam fuerint elementa, u eorum quoque respectus præsentibus aliquid mori bus prosit.

1. [1] Apud antiquos non solum publice, sed etiam privatim nihil ge rebatur, nisi auspicio prius sumpto: quo ex more [2] nuptiis etiamnu

INTERPRETATIO.

a *Postquam ostendi summam potestatem naturæ divitis* in faciendis & prodigiis, & miraculis, *jam scribere incipiam instituta vetera & memoratu digna, tam nostræ civitatis, quam aliorum populorum: nam operæ pretium est, ut cognoscamus quænam fuerint primordia hujusce vi quam felicem ducimus sub Tiberio op mo Principe, ut consideratio illorum pri cipiorum prosit quoque moribus nost ætatis.*

NOTÆ.

1. *Apud antiquos, &c.*] Cum alia multa, quæ ad Deorum cultum pertinent, tum etiam ille nihil sine auspiciis agendi ritus à Numa Pompilio manavit, qui, ut populi sibi devinciret animos, multis ceremoniis illigavit, ut tradit Livius.

2. *Nuptiis etiamnum auspices.*] Quod & Plautus, & Cicero confirmant: ita in Prologo Casinæ:

Vltro ibit nuptum, non manebit au ces.

Et Cicero pro Cluentio: *Nubit genero crus, nullis auspicibus, nullis auctori funestis omminnibus.*

auspices interponuntur. Qui quamvis auspicia petere desierint, [a] ipso tamen nomine [3] veteris consuetudinis vestigia usurpant.

§. 4 Fœminæ cum viris cubantibus sedentes [5] cœnitabant: quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit: [b] nam

INTERPRETATIO.

a *Retinent tamen indicia aliqua antiquæ consuetudinis in ipso nomine auspicis, quod adhuc servatur.*

b *Nam in Iovis epulo ipsius* simulacrum *collocatur in lectulo*; statua *vero Iunonis & Minervæ in sedibus ponuntur.*

NOTÆ.

3. *Veteris consuetudinis.*] His Auspiciis Pilumnum & Picumnum Deos olim deputatos scribit ex Varrone Nonius Marcellus: qui vero ad hunc ritum adhiberi solebant, vel Proxenetæ hoc est pronubi, vel Paranymphi dicebantur.

4. *Fœminæ cum viris, &c.*] Non puto me rem studiosis ingratam facturum fore; si hoc in loco quænam fueris apud Romanos cœnandi ratio, breviter exponam: de quo quatuor potissimum quærenda mihi visa sunt. Vnde mos ille accumbendi fluxerit? quis numerus, tum lectulorum, tum convivarum? quis accumbendi modus? quisque locus honoris? summus, an medius? 1. Alia aliis temporibus cœnandi ratio Romæ fuit: primum quidem assidentes, deinde accumbentes cœnitabant: mos ille à Laconibus, & Cretensibus, teste Varrone; hic vero ab Asianis, devicta Asia, Græcisque manavit: usus tamen fuit, ut fœminæ pudoris causa cubantibus viris assiderent, quibus etiam aliquanto post indultum est ut itidem ac viri accumberent.

2. Consuetudo fuit sub vesperam in cœnaculo mensam instrui, & rotundam, & humilem: circum mensam; vel duo, ut minimum; vel tres, ut plurimum, lectulos insterni purpura, aliave veste stragula, pro convivatoris aut opibus aut inopia. Convivarum vero numerus nec Gratiarum numero minor nec musarum major eatenus esse debuit; ut cum paucissimi convivæ, non pauciores essent, quam tres: cum plurimi; non plures, quam novem. 3. Priusquam accumberent, corpus lavare, mutare togam, soleasque, ne inquinarent lectulos, ponere solemne fuit. In lectulis vero ita sese componebant; ut dorso à pulvillis suffulto, & capite leviter erecto, pars corporis inferior jaceret in longum porrecta, superior vero cubito sinistro niteretur. Quod si plures uno lecto decumberent; ea cubandi ratio fuit; ut pedes illius, qui ad caput lecti jacebat, pone dorsum secundi; pedes secundi pone dorsum tertii porrigerentur: secundus vero ad umbilicum primi, tertius ad umbilicum secundi, pulvillo interjecto, occiput obverteret. 4. In uno lecto bini interdum, sæpe terni, quaterni nonnunquam, raro plures accumbebant. Qui ad lecti caput erat, summus dicebatur; qui ad pedes, imus; qui inter istos, medius: Si bini tantum in lectulo convivæ, qui dignitate præstabat cæteris, summus fuit; si terni, medius; si quaterni, proximus à summo.

5. *Cœnitabant.*] Quinque fuerunt apud Romanos cibum sumendi tempora; mane, jentaculum; circiter meridiem, prandium; haud multo post, merenda; sub horam nonam, cœna; noctu, comessatio, quæ ebriosorum fuit. Nec quinquies tamen, nec quater singuli singulis diebus esse solebant; sed pueri tantum, senes, servi, opifices: alii vero, vel bis, vel semel. Prandium, cum à priscis Romanis non usurpatum, tum semper, & brevissimum fuit, & parcissimum: cœna, & lautior & liberalior; quod seorsim apud se prandērent, cum amicis sæpe cœnitarent. Cœnæ tres partes; una gustatio, in qua mora, promulsis, ova, echini, ostreæ, & id generis alia: altera, cœna, in qua cibi lautissimi, & præcipui: tertia, mensæ secundæ, in quibus bellaria, &c. poma, uvæ, nuces. Harum rerum testes laudare locupletissimos possum Varronem, Plutarchum, Macrobium, Gellium & alios.

[1] Jovis epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœ nam invitantur. Quod genus severitatis ætas nostra diligentius in Capitolio, quam in suis domibus servat: videlicet quia magis ad rem pertinet, Dearum quàm mulierum, disciplina contineri.

3. Quæ uno contentæ matrimonio fuerant, [2] corona pudicitiæ honorabantur. Existimabant enim eum præcipue [3] matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui depositæ virginitatis cubile pudicum egredi nesciret: multorum matrimoniorum experientiam, quasi [4] illegitimæ cujusdam intemperantiæ signum esse credentes.

4. [5] Repudium inter uxorem & virum, à condita Urbe usque ad [6] vicesimum & quingentesimum annum [7] nullum intercessit. Primus autem [8] Sp. Carvilius uxorem sterilitatis causa dimisit. Qui quanquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehensione tamen non caruit: quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei proponi debuisse arbitrabantur.

An. M. 3824. Ol. 137. 3. Vrb. C. 523. Ant Ch. 229.

5. Sed quo matronale decus, verecundiæ munimento tutius esset vocanti matronam corpus ejus attingere non permiserunt, ut inviola

NOTÆ.

1. *Iovis epulo.*] Lectisternium dicebatur. Moris enim fuit Idibus Novembris stratis tribus lectulis in Capitolio apponi convivium: tum simulacrum Iovis in lectulo; Iunonis & Minervæ in sella constitui; appositas denique epulas absumi à viris epulonibus, quorum erat ejusmodi convivia Diis placandis imperare: cujus rei institutionem pluribus persequitur Livius l. 5. in eo tamen à Valerio dissentire videtur; quod cum pestilens æstas urbem excepisset; non in honorem Iovis, Iunonis & Minervæ; sed Apollinis, Dianæ, Latonæ, Herculis, Mercurii, & Neptuni primas ejus generis epulas celebratas velit.

2. *Corona pudicitiæ.*] Pudicitia Romanis Dea fuit; eaque, & Patritia, & Plebeia: Patriciæ templum in foro Boario, Plebeia in vico Longo: illud ab Æmilio, hoc à Virginia extructum. In illis ædibus, iis omnibus qui, vel nunquam, vel bis nupsissent, sacrificium facere nefas fuit.

3. *Matronæ.*] Matrona ea fuit; quæ, vel matrimonio vero juncta esset, ex Gellio; vel stolæ ferendæ jus haberet, ex Festo; vel primi pueri mater esset, ex Isidoro.

4. *Illegitimæ cujusdam intemperantiæ.*] Melius, ni fallor, legeris *legitimæ*: cum enim semel, iterum, atque etiam sæpius nubere per leges liceret; repetitas nuptias *legitimam intemperantiam* appellat.

5. *Repudium.*] Repudium inter, divortium, & solemnem renuntiationem hoc interfuit: quod repudium sponsæ remitteretur: divortium cum uxore fieret: Quæ repudii formula hæc fuit, *Conditione tua non utor*; Divortii vero, *Res tuas tibi habeto.* Renunciationis autem hæc lex fuerit, ut vir uxori, vel uxor viro, seu præsenti seu absenti nuncium remitteret.

6. *Vicesimum & quinquagesimum.*] Id contigit ex Dionysio anno Vrbis 520. Coss. M. Pomponio & C. Papyrio; qui in fastis ponuntur An. 522. Ex Gellio, 523. M. Atilio & P. Valerio Coss. qui in fastis leguntur 526. Legit Cujacius 600. ex Plutarcho 230. ex illius interprete 330. Nos Gellium secuti sumus.

7. *Nullum intercessit.*] Legem tamen Romulus tulerat, qua potestas mulieri adempta relinquendi maritum; data viro dimittendi uxorem; si venefica circa prolem visa fuisset; si subdidisset alienam pro sua; si admisisset adulterium.

8. *Sp. Carvilius.*] Gellio Carbilius; Plinio Carvilius, & Carbilius; Plutarcho in Romulo Sp. Servilius; in problemate 14. Carbilius, in comparatione Numæ & Lycurgi

manus

manus alienæ tactu[1] stola relinqueretur. [2] Vini usus olim Romanis feminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit. Ceterum ut non tristis earum & horrida pudicitia, sed honesto comitatis genere temperata esset, indulgentibus maritis & auro abundanti, & multa[3] purpura usæ sunt: & quo formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt. [a] Nulli enim tunc[4] subsessores alienorum matrimoniorum oculi metuebantur: sed pariter & videre sancte, & aspici mutuo pudore custodiebantur.

6. Quoties vero inter virum & uxorem aliquid jurgii intercesserat, in sacellum Deæ Viriplacæ, quod est[5] in Palatio, veniebant: & ibi invicem locuti, quæ voluerant, contentione animorum deposita concordes revertebantur. Dea nomen hoc à placandis viris fertur assecuta: veneranda quidem, & nescio an præcipuis, sed exquisitis sacrificiis colenda: ut pote quotidianæ ac domesticæ pacis custos, [b] in pari jugo charitatis ipsa sui appellatione virorum majestati debitum ac feminis reddens honorem.

INTERPRETATIO.

a *Nulli enim tum oculi timebantur insidiatores alienorum matrimoniorum; sed utrimq; ita oculi custodiebantur, ut viri viderent mulieres sine turpi desiderio; & mulieres viderentur servatâ honestate.*

b *In mutuo mariti & uxoris convictu, quem decet esse plenum caritatis, servans ipsa sui invocatione honorem debitum, & fœminis, & virorum dignitati.*

NOTÆ.

jurgi Sp. Corvinus dicitur. Carvilius fuit novi hominis, at duobus, tum Consulatibus, tum triumphis clarissimi filius, & ipse bis Consul, de Sardis triumphavit.

1. *Stola.*] Quamvis Nonius Marcellus Stolam viris perinde ac mulieribus communem fuisse velit; fuit tamen vestis mulierum propria, qua, pariter ac viri tunica, utebantur: quod ex ipso Varrone patet, qui viro togam & tunicam; mulieri pallium & Stolam tribuit.

2. *Vini usus.*] A Romulo lex de mulieribus hæc lata fuit, si Dionysio credimus, *Mulierem, si vinum biberit, domi ut adulterã puniunto.* Iudicium ad maritum & cognatos pertinuit: unde mos ille fluxit, ut propinqui mulieribus darent osculum, quo facilius noscerent, an olerent temetum; tum enim id nominis vino fuit.

3. *Purpura.*] Colorum omnium nobilissimus; à pisciculo dicitur, qui hunc succum in mediis habet faucibus.

4. *Subsessores.*] Subsessor proprie dicitur, qui ad alium occidendum delitescit: hoc in loco idem valet, quod oppressor tori alieni

5. *In Palatio.*] Palatium sive mons Palatinus; cui nomen inditum; vel à Græcis, qui cum Evandro palantes illuc venerint, ita Varro: vel à Palatia Latini Regis uxore; vel à pecore balante, ita Festus: vel à Pallante Herculis filio, qui ibi sepultus sit, ita Dionysius & Polybius; vel à Pale pastorum Dea, ita Solinus. In hunc montem Romulus Coloniam suam deduxit, primumque muro cingi voluit; quod ibi & fuerit una cum fratre expositus, & Augurio Remum vicerit: eo quod in illo colle Palatino, cùm Romuli ipsius, tum Imperatorum omnium ab Augusto aula fuerit; ideo Principum domus etiam nunc Palatium vulgo dicitur.

7. [a] Hujusmodi inter conjuges verecundia, quid inter ceteras ne-cessitudines, nonne apparet consentanea? nam ut minimo indicio ma-ximam vim ejus significem, aliquandiu nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero [1] lavabatur. Manifestum igitur est tantum religioni sanguini & affinitati, quantum ipsis Diis immortalibus tributum: qui inter ista tam sancta vincula, non magis, quàm in aliquo sacrato loco nudare se, nefas esse credebatur.

8 Convivium etiam solenne majores instituerunt, idque [2] Chari-stia appellaverunt, cui præter cognatos & affines nemo interpone-batur: ut si qua inter necessarios querela esset orta, [3] apud sacra men-sæ, & hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis tollere-tur.

9. [4] Senectuti juventus ita cumulatum & circumspectum honorem reddebat, tanquam majores natu adolescentium communes patres essent. Quocirca juvenes, Senatus die, utique aliquem ex Patribus Conscri-ptis, aut propinquum, aut paternum amicum ad curiam deducebant: affixique valvis exspectabant, donec reducendi etiam officio fungeren-tur. Qua quidem voluntaria statione, & corpora & animos ad publica of-ficia impigre sustinenda roborabant, [b] [5] brevique progressu morarum in lu-cem virtutum verecundia & laboris meditatione, ipsi doctiores eunt. Invi-tati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei convivio essent interfutu-

INTERPRETATIO.

a Non tantum inter conjuges verecundia servatur; sed etiam pudor rationi congruens inter personas conjunctas, vel sanguinis, vel legum vinculo.

b Et ipsi juvenes brevi temporis processu verecundâ illâ aboris exercitatione, manifestatione virtutum suarum doctiores erant.

NOTÆ.

1. *Lavabatur.*] Cum apud Romanos usus lini rarior esset, sordes corporis opus fuit abluere sæpius necessitatis causa, interdum etiam voluptatis. Romæ Balnea ultra octingenta numerat P. Victor.

2. *Charistia.*] Hoc est sacrificatio, qui dies conviviis totus celebratus fuit VIII. Calendas Martias.

3. *Apud sacra mensæ.*] Epulas intellige, quæ sacra mensæ idcirco dicuntur; quod priusquam his vescerentur, primitias offerri Deo moris esset.

4. *Senectuti inventus*] Apud Romanos veteres, summus honos, nec generi, nec pecuniæ, sed ætati delatus est: ubi vero numerosa sobole civitati opus fuit; qui & liberos, & uxorem haberet, prælat- senioribus, quibus nec uxor esset, n- liberi: Et ex lege Iulia Consulum al- fasces primus sumebat, non qui pl- annos, sed plures liberos haberet; si- que par liberorum numerus, is qui ma- tus: si uterque & maritus, & pater totid- liberorum, tum is, qui senior.

5. *Brevique progressu, &c.*] Variant h- in loco libri veteres, & sic quidem corr- xit Pighius: paulo aliter Lipsius, *brevi- processurarum virtutum verecunda & la- riosa meditatione, ipsi doctiores erant.* scriptura, Pighiana, quæ tamen non m- est, & facilior, & verior mihi videtur quare utro quis modo legerit, pecc- rum non crediderim.

[a]ne senioris adventum discubitu præcurrerent : sublataque mensa priores consurgere & abire patiebantur. Ex quibus apparet cœnæ quoque tempore quàm parco, & quàm modesto sermone his præsentibus soliti sint uti.

10. Majores natu in conviviis [b] ad tibias [1] egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent. Quid hoc splendidius, quid etiam utilius certamine? [c] pubertas canis suum honorem reddebat : defuncta virium cursu ætas, ingredientes actuosam vitam favoris nutrimentis prosequebatur. Quas Athenas, quam scholam, quæ alienigena studia huic domesticæ disciplinæ prætulerim? Inde oriebantur [2] Camilli, Scipiones, Fabricii, Marcelli, Fabii : ac ne singula imperii nostri lumina percurrendo sim longior, [d] inde, inquam, cœli clarissima pars Divi fulserunt Cæsares.

INTERPRETATIO.

a *Ne mensa accumberent ante adventum senioris.*

b *Canebant ad tibias antecessorum præclarè gesta expressa carminibus.*

c *Iuvenes reddebant senioribus honorem debitum, & senes exhausti viribus, illis incitamentis hortabantur ad gloriam juvenes ingredientes ætatem rebus gerendis idoneam.*

d *Inde orti sunt Cæsares, qui in deorum numerum translati, fulgent in cœlis, ut clarissima sydera.*

NOTÆ.

1. *Egregia superiorum opera.*] Idem de Romanis ex Catone testatur Cicero; de Hispanis ex Sallustio Servius; de Germanis Tacitus.

2. *Camilli, Scipiones, &c.*] De his omnibus egimus L.1.

CAP. II.

DE MAGISTRATVUM, ATQUE ORDINUM OFFICIIS ET INSTITUTIS.

1. *Senatus Rom. fides & taciturnitas.*
2. *Auctoritas Magistratuum, & observantia Linguæ Latinæ.*
3. *C. Marius eloquentiam spernens.*
4. *Majestas Consularis.*
5. *Constantia Legatorum Romanorum.*
6. *Vigilantia Senatus.*
7. *Diligentia Tribunorum plebis.*
8. *Abstinentia Magistratus.*
9. *Equitum Rom. probatio, & Lupercalia.*

An. M. 3904. Ol. 157. 3. Vrb. C. 603. Ant. C. 149.

1. ADeo autem magna charitate patriæ omnes tenebantur, ut arca na consilia P. Conscriptorum multis seculis nemo Senator enu tiaverit: [1] Q. Fabius Maximus tantummodo, & is ipse per impruden tiam, de tertio Punico bello indicendo, quod secreto [2] in curia era actum, [3] P. Crasso, rus petens, domum reverenti in itinere narravit, memor eum triennio ante Quæstorem factum, ignarusque nondum Censoribus in ordinem senatorium allectum: quo uno modo his, q jam honores gesserant, aditus in curiam dabatur. Sed quamvis honest error Fabii esset, vehementer tamen à Consulibus objurgatus e Nunquam enim taciturnitatem, optimum ac tutissimum administrand rum rerum vinculum, labefactari volebant. Ergo cum Asiæ rex [4] Eu menes, amantissimus nostræ Urbis, bellum à Perse adversus pop. Rom comparari [5] Senatui nuntiasset; non ante sciri potuit, quid aut ille lo cutus esset, aut Patres respondissent, quam captum Persen cognitu est. [a] Fidum erat, & altum Reip. pectus Curia, silentiique salubrita munitum & vallatum undique: cujus limen intrantes, abjecta privat charitate publicam induebant. Itaque non dicam unum, sed nemine audisse crederes, quod tam multorum auribus fuerat commissum.

An. M. 3882. Ol. 152. 1. Vrb. C. 581. Ant. C. 171.

2. Magistratus verò prisci [b] quantopere suam populique Romani ma jestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quod inter cæ tera obtinendæ gravitatis indicia, illud quoque magna cum persev rantia custodiebant, [6] ne Græcis unquam, nisi Latine responsa dare [c] Quin etiam ipsa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excuss per interpretem loqui cogebant; non in urbe tantum nostra, sed eti

INTERPRETATIO.

a *Senatus erat quasi fidele & arcanum Reipublicæ pectus, & tenax silentiÿ saluberrimi.*

b *Sed quanta cura Magistratus antiqui se gesserint, ut suam, populique Romani majestatem servarent; hinc sciri potest, quod inter multa signa gravitatis retinendæ, illu quoque, &c.*

c *Imo rejecta loquendi facilitate, q Græci plurimum valent, illos cogebant loq per interpretem.*

NOTÆ.

1. *Q. Fabius Maximus.*] Cunctatoris filius.

2. *In Curia actum erat.*] Bellum inferendum, delendamque Carthaginem censebat Cato; contra Scipio Nasica, nec justam esse belli causam, nec diruendam urbem; ne sublata illa Romæ æmula, mores Romanæ juventutis otium, luxusque corrumperet: Vicit Catonis sententia, bellumque indictum, & eversa Carthago est.

3. *P. Crasso.*] Mutiano, ni fallor; qui ex Gente Mutia in Liciniam adoptatus, in bello contra Aristonicum periit.

4. *Eumenes.*] Attali superioris filius, paterque junioris, qui populum Romanu scripsit hæredem.

5. *Senatui nuntiasset.*] Ab Attalo Eu menis fratre monitum Senatum scripsit V lerius Antias; ab ipso Eumene Livius. E rum alter; uter, obscurum est; Senatu coram monuit, ut conatibus Persei iret c viam: ipsum Bastarnas secum advoca fœdera cum multis Principibus junx triginta peditum millia, quinque equitu stipendium & frumentum in annos dec paratum. Hæc & plura Livius.

6. *Ne Græcis, &c.*] Ciceroni crim datum est, quod Siciliæ Prætor, Senatui S

in Græcia & Asia: Quo scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Nec illis deerant studia doctrinæ, [a] sed nulla non in re [1] pallium togæ subjici debere arbitrabantur: [b] indignum esse existimantes, illecebris & suavitate litterarum [2] imperii pondus & auctoritatem domari.

3. [c] Quapropter [3] non es damnandus rustici rigoris, C. Mari, qui [4] gemina lauro coronatam senectutem tuam [5] Numidicis & Germanicis illustrem trophæis, victor devictæ gentis facundia politiorem fieri noluisti. Credo ne alienigena ingenii exercitatione, patrii ritus [6] servus transfuga existeres.

INTERPRETATIO.

[a] *Putabant* Romanos gerentes *togam, nulla in re debere subjici* Græcis utentibus *pallio.*

[b] *Iudicantes indignum esse Romanos aliquid remittere ex imperij sui dignitate, ob suavitatem & illecebras Græcarum litterarum.*

[c] *Quare C. Mari, nemo te debet damnare rusticitatis; quod in tua senectute, cum esses coronatus duplici lauro, & insignibus trophæis in Numidia* contra Iugurtham, *& in* Italia contra Cimbros *Germanos relatis, nolueris victor Græcæ gentis devictæ eloquentia fieri politior: credo ne videreris desertor linguæ Romanæ exercendo tuum ingenium in alienis linguis discendis. Quis ergo fecit aditum consuetudini nostri temporis, qua aures Senatorum in Curia obtunduntur nunc Græcis orationibus?*

NOTÆ.

racusano Græcè locutus esset; Tiberiusque in Senatu nonnihil Græcè dicturus, veniam præfatus est, ex Tacito.

1. *Pallium togæ.*] Vt pallium Græcorum, ita toga Romanorum propria fuit: unde vulgo togatos pro Romanis, & palliatos pro Græcis apud auctores reperias: & comœdiæ togatæ, quæ Romanorum; palliatæ, quæ Græcorum. Fuit & toga pacis insigne, sicut sagum belli. Aperta, an integra sine ulla scissura toga fuerit, aliter alij sentiunt: apertam fuisse tradit Valerius; integram multis probat Aldus Manutius: cingi solitam docet Sigonius; alij negant. Lanea fuit & plerumque alba, & tunicæ superinduebatur. Non tamen eadem omnibus togæ mensura fuit; quibus res domi angusta, parva; quibus ampla, major: longior stante Republica; sub Imperatoribus brevior: tum enim neglecta toga, vulgus abiit ad penulas, lacernas, & tunicas; easque pulli coloris: cumque Augustus vidisset pullatorum turbam, dixisse fertur.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam:

Ædilesque monuit, ne quem in circo, nisi togatum, paterentur. Erant varia togarum genera; prætexta, candida, pura, pulla, picta, palmata, &c.

2. *Imperij pondus.*] Id temporis Græci omnes Imperio Romano non parebant.

3. *Non es damnandus.*] Alienus enim fuit à Græcis literis Marius; qui apud Sallustium ita de se ipso loquitur: *Neque litteras Græcas didici: parum placebat eas discere; quippe quæ ad virtutem Doctoribus nihil profuerant: at illa multo optima Reipublicæ doctus sum, hostem ferire, præsidia agitare, nihil metuere, nisi turpem famam; hyemem & æstatem juxta pati, &c.*

4. *Gemina lauro.*] Quia triumphantes lauro coronati in Capitolium vehebantur.

5. *Numidicis & Germanicis.*] Marius enim & Iugurtham Numidiæ Regem & Cimbros Teutonasque Germaniæ populos vicerat, de quibus postea.

6. *Servus transfuga.*] Nonnulli legunt *serus transfuga.* Non malè: senex enim cum esset Marius, Græcam linguam discere noluit, ne externa lingua, velut transfugio, canos suos dedecoraret.

Quis ergo huic consuetudini, qua nunc Græcis actionibus aures curiæ exsurdantur, januam patefecit? ut opinor, [1] Molo Rhetor, qui studia M. Ciceronis acuit. Eum namque ante omnes exterarum gentium in Senatu sine interprete auditum constat. Quem honorem non immerito cepit, [a] quoniam summam vim Romanæ eloquentiæ adjuverat. Conspicuæ felicitatis [2] Arpinum, sive unicum literarum gloriosissimum contemtorem, sive abundantissimum fontem intueri velis.

4. Maxima autem diligentia majores hunc honorem retinuerunt, ne quis se inter Consulem & proximum lictorem, quamvis officii causa una progrederetur, interponeret: filio duntaxat, & ei puero, ante patrem Consulem, ambulandi jus erat. Qui mos adeo pertinaciter retentus est,
An. M. 3761. Ol. 122. 1. Vrb. C. 461. Ant. C. 291. ut [3] Q. Fabius Maximus quinquies Cos. vir etiam pridem summæ auctoritatis, & tunc ultimæ senectutis, à [4] filio Consule invitatus, ut inter se & lictorem procederet, ne hostium Samnitum turba (ad quorum colloquium descendebant) elideretur, id facere noluerit. Idem præstitit
An: M. 3841. Ol. 141. 4. Vrb. C. 540. Ant. C. 212. [5] ille Fabius, qui à Senatu legatus ad filium Consulem [6] Suessam missus; [b] postquam animadvertit eum ad officium suum extra oppidum processisse, indignatus quod ex lictoribus XI. nemo se equo descendere jussisset, plenus iræ sedere perseveravit. Quod cum filius sensisset, [c] proximo lictori

INTERPRETATIO.

a *Quia docuerat Ciceronem Principem eloquentiæ Romanæ. Arpinum certè admodum felix fuit, sive velis considerare* Marium *in eo singularem quod literas contemneret, sive Ciceronem parentem eloquentiæ.*

b *Vbi vidit filium ex oppido ipsi venire obviam officij causa, plenus indignationis perseveravit* in equo *sedere.*

c *Iussit proximo lictori, ut sibi præsto esset,*

NOTÆ.

1. *Molo Rhetor.*] Non Molonis, sed Apollonij, qui Molonis filius fuit, auditor Cicero, si Plutarcho credimus. Post habitam pro Roscio Amerino orationem, à Chrysogono Syllæ liberto, quem perstrinxerat, cum sibi metueret Cicero, primum Athenas, deinde in Asiam, tum in Rhodum insulam secessit: ubi, cum apud Apollonium Græce declamaret, illumque omnes maximis efferrent laudibus; fama est Apollonium diu sedisse subtristem; tum coram omnibus dixisse. *Te quidem laudo & miror, Cicero; sed Græciæ me miseret; cum, quæ sola nobis reliqua erant ornamenta, ea quoque ad Romanos transtuleris, literas & eloquentiam.* Qua voce incitatus Cicero in Italiam ad capessendam Rempublicam rediit. Ita Plut. in Cicerone.

2. *Arpinum.*] Volscorum oppidum, *Arpino*, ubi nati Marius & Cicero; quibus præter genus omnia disparia fuerunt, animus, ingenium, studia. Sed hæc alias.

3. *Q. Fabius Maximus.*] Rullianus, M. Fabii Ambusti ter Consulis & Dictatoris filius, qui genti Fabiæ rebus præclare gestis Maximi cognomen peperit, dictatura, consulatibus quinque, tribus triumphis clarissimus.

4. *Filio Consule.*] Q. Fabio Maximo, qui ob devoratum patrimonium gurges dictus est; eam tamen infamiam bellica laude delevit. De illius contra Samnites victoria postea.

5. *Ille Fabius.*] Cunctator, cujus filius Q. Fabius Maximus tum erat Consul.

6. *Suessam.*] Quæ duplex in Italia fuit, altera *Suessa Pometia* in Volscis; altera *Suessa Aurunca* in Auruncis, ab aliis dicitur Suessula; nunc *Sessa.*

ut sibi [1] appareret, imperavit. Cujus voci Fabius continuo obsecutus: Non ego, inquit, fili, summum imperium tuum contempsi, sed experiri volui, an scires Consulem agere: Nec ignoro quid patriæ venerationi debeatur: verum publica instituta privata pietate potiora judico.

5. Relatis Fabiorum laudibus, offerunt se [2] mirificæ constantiæ viri: qui legati à Senatu [3] Tarentum [4] ad res repetendas missi, cum [5] gravissimas ibi injurias accepissent, unus etiam urina respersus esset, in theatrum (ut est consuetudo Græciæ) introducti, legationem quibus acceperunt verbis peregerunt: De his quæ passi erant [6] questi non sunt, ne quid ultra ac mandatum esset, loquerentur: [a] insitusque pectoribus eorum antiqui moris respectus dolore, qui ex contumelia gravissimus nascitur & sentitur, convelli non potuit. Finem profecto fruendarum opum, quibus ad invidiam abundaveras, Tarentina civitas, quæsisti. Nam dum [7] horridæ virtutis in seipsum connexum stabilimentum, nitore fortunæ præsentis inflata fastidiose æstimas, in prævalidum [8] imperii nostri mucronem cæca & amens irruisti.

An. M. 3772.
Ol. 124. 3.
Vrb. C. 471.
Ant. C. 281.

Interpretatio.

a *Observatio moris antiqui* nihil ultra mandata loquendi, *non potuit expelli eorum pectoribus dolore, qui sentiri solet maximus ex contumelia. O civitas Tarentina, tu certe voluisti invenire finem opum tuarum, quibus diu abundaveras usque ad invidiam aliarum civitatum: nam dum in splendore fortunæ nascentis tumida superbe contemnis virtutem* Romanorum, *& duram* ad labores bellicos *& firmiter stabilitam ob consensum civium aliena ope non indigentium, cæca & amens incurristi in arma invicta nostri Imperij*, à quo eversa es.

Notæ.

1. *Appareret.*] Hoc est, præsto adesset. Apparere enim idem valet, quod præsto adesse.

2. *Mirificæ constantiæ viri.*] Hujus legationis princeps fuit L. Posthumius.

3. *Tarentum.*] Calabriæ, Apuliæ, & Lucaniæ caput in maris Adriatici faucibus, ex Floro, in Salentinorum confinio. *Tarente.* Eam urbem Cretenses, qui cum Theseo à Cnosso venerant, olim occuparunt: postea Iapyges è Sicilia profugi; denique Parthenii è Lacedæmone.

4. *Ad res repetendas.*] L. Valerius Tarentum, urbem sociam ratus, cum Romana classe appulerat: continuo Tarentini, qui cum Gallis & Etruscis fœdus clam inierant, contra se missam suspicati eam hostiliter invadunt; præfecti navium trucidati, omnes bello utiles cæsi, alii pretio venditi: quod ubi Romam allatum est, legati, qui de injuria expostularent, missi sunt.

5. *Gravissimas injurias.*] Si quod verbum minus elegans, Græce enim loquebantur, Romanis excidisset, Tarentini eos irridere, tollere clamores, barbaros appellare.

6. *Questi non sunt.*] E theatro dum abeunt Romani, scurra quidam legati vestes lotio respersit; tum universo theatro in risum effuso, *Ridete*, inquit Posthumius, *dum vobis per tempus licet: nam post hæc diu flebitis, dum has vestes multo eluetis sanguine.* Hæc Dionysij sunt fere.

7. *Horridæ virtutis, &c.*] Quia Tarentini Lucanos, Brutios, ipsumque è Græcia Pyrrhum in auxilium evocarunt: Romani vero suis opibus bellum illud confecerunt.

8. *Imperij nostri mucronem.*] Fugato Pyrrho, non Tarentini solùm, sed Brutii etiam, Appuli, Lucani, Samnites belli contagione subacti; deletumque Samnium, sic ut ne appareret quidem, materia triginta triumphorum.

6. Sed ut à luxu perditis moribus, ad ſeveriſſima majorum inſtitu transgrediar, antea Senatus aſſiduam ſtationem eo loci peragebat, q hodie quoque [1] Senaculum appellatur: [a] nec expectabat ut edicto contra heretur, ſed inde citatus protinus in Curiam veniebat: ambiguæ laud civem exiſtimans, qui debitis Reipub officiis non ſua ſponte, ſed juſſ fungeretur: [b] quia quicquid imperio cogitur, exigenti magis, qua præſtanti acceptum refertur.

7. Illud quoque memoria repetendum eſt, quod [2] Tribunis pleb. in trare Curiam non licebat, ante valvas autem poſitis ſubſelliis, decret Patrum attentiſſima cura examinabant: ut ſi qua ex eis comprobaſſent, rata eſſe non ſinerent. Itaque veteribus Senatus conſultis T. litera ſub ſcribi ſolebat: eaque nota ſignificabatur, ita Tribunos quoque cen ſuiſſe: [c] Qui quamvis pro commodis plebis excubabant, inque imperii compeſcendis occupati erant; inſtrui tamen eos argenteis vaſis, & [3] an nulis aureis publice præbitis patiebantur, quo talium rerum uſu auctori tas Magiſtratuum eſſet ornatior.

8. Quorum quemadmodum majeſtas amplificabatur, ita abſtinenti arctiſſime conſtringebatur. [d] Immolatarum enim ab his hoſtiarum exta, ad Quæſtores ærarii delata veniebant; ſacrificiiſque pop. Rom. tum Deo rum immortalium cultus, tum etiam hominum continentia inerat; Im peratoribus noſtris, quam ſanctas manus habere deberent, apud iſta altaria diſcentibus: Continentiæ verò tantum tribuebatur, ut multorum æs alienum, quia provincias ſincere adminiſtraverant à Senatu perſolu tum ſit. [e] Nam quorum opera publicam auctoritatem ſplendorem ſuum

INTERPRETATIO.

a *Nec expectabat ut congregaretur mandato Conſulis, ſed ex illo Senaculo vocatus veniebat continuo in Curiam, arbitratus dubiũ eſſe, an civis ille laudẽ mereretur, qui, &c*

b *Quia quidquid fit à cive coacto per mandatum Magiſtratus, debet potiùs attribui illi, qui exigit, quàm illi qui facit.*

c *Qui* Tribuni *licet vigilarent pro commodis populi, & occupati eſſent in coërcenda nimia poteſtate* aliorum Magiſtratuum, *tamen patiebantur illos uti vaſis argenteis, & annulis aureis datis ex ærario publico, ut, &c*

d *Exta victimarum, quas Magiſtratu immolaverat, deferebantur ad cuſtodes pe cunia publica, ut venderentur.*

e *Nam putabant indignum eſſe & ſib turpe, in urbe imminui eorum dignitatem, quorum integritate viderant auctoritatem publicam habuiſſe in remotis provinciis ſuum ſplendorem.*

NOTÆ.

1. *Senaculum.*] Quem locum potiſſimum intelligat Valerius, incertum eſt: cum tria Romæ fuerint Senacula, ut auctor eſt Feſtus; unum inter Capitolium & forum, alterum ad portam Capenam, tertium intra ædem Bellonæ; in qua & hoſtium & exterarum nationum legatis dabatur Senatus. Senaculum Græcis eſt γερουσία, quaſi ſenum ſtatio.

2. *Tribunis plebis.*] Conſule Magiſtra tus Romanorum.

3. *Annulis aureis.*] Annulorum uſus ex Ægyptiis & Iudæis ad Græcos; à Græcis ad Romanos veniſſe videtur: nam Thamar Gen.38. annulum à Iuda popoſcit; Annu lum Ioſepho Pharao tradidit, Gen.41. Nul la quidem apud Homerum annulorũ men tio; at Annuli Polycratis Samii meminit

procii

procul obtinuisse viderant, eorum dignitatem domi collabi, indignum, sibique deforme esse arbitrabantur.

9. [a] Equestris vero ordinis juventus omnibus annis bis urbem spectaculo sui sub magnis autoribus celebrabat die [1] Lupercalium, & equitum probatione. Lupercalium mos à Romulo & Remo inchoatus est, tunc cum lætitia exultantes, quod his avus [2] Numitor, Rex Albanorum, eo loco, ubi [3] educati erant, [4] urbem condere permiserat sub monte Palatino, hortatu Faustuli educatoris sui, quem [5] Evander Argivus consecraverat: facto sacrificio cæsisque capris, epularum hilaritate, ac vino largiore provecti, divisa pastorali turba, cincti pellibus immolatarum hostiarum, jocantes obvios petiverunt: cujus hilaritatis memoria annuo circuitu [6] feriarum repetitur. [7] Trabeatos vero equites [8] Idibus

An. M. 3301.
Ol. 7. 1.
Vrb. C. 1.
Ant. C. 751.

INTERPRETATIO.

a Iuvenes vero ordinis equestris exhibebant se per urbem spectandos, sub magnis auctoribus illius ritus, bis singulis annis,

NOTÆ.

Plinius. Romæ primis temporibus, vel nemo, vel pauci annulis usi sunt: postea Senatus omnis, at ferreis; aureis vero ii soli qui, vel triumpharent, vel legationem obirent: deinde Equestri ordini insigne annulus fuit: plebi enim stante Rep. prohibitus: denique eo devenit annulorum libido, ut singuli digitorũ articuli iis graves essent, annulique cuderentur leviores & graviores, æstivi & hyemales.

1. *Lupercalium.*] De Lupercis in Sacerdotiis Romanorum egimus.

2. *Numitor.*] Procæ Sylvij filius, & Rheæ Sylviæ pater, qui à fratre Amulio regno ejectus, à nepotibus, occiso Amulio, restitutus est.

3. *Educati erant.*] Amulij jussu ad Palatini montis radices expositi, sive ab Acca Laurentia Faustuli pastoris uxore educati sunt, sive à lupa, quæ, dum vagiunt in luto, mammas præbuit.

4. *Vrbem condere.*] Numitor, ut & nepotibus propriam tribueret ditionem, & fautores Amulij à se removeret, Romulo & Remo agros, pecuniam, arma, mancipia concessit.

5. *Evander.*] Carmentis filius, Rex Arcadiæ; qui, quod matrem imprudens occidisset, regno ejectus venit in Italiam; pulsisque Aboriginibus tenuit illa loca, ubi multo post Roma condita est.

6. *Feriarum.*] Feriæ à feriendis victimis dictæ; aliæ publicæ, aliæ privatæ: publicarum genera quatuor. I. Stativæ, statis diebus universo populo communes. II. Conceptivæ, quæ, vel à Sacerdotibus, vel à Magistratibus in certos dies concipiuntur, ut Latinæ feriæ. III. Imperativæ, quas pro imperio, seu Consul, seu Prætor indicebant. IV. Nundinæ, quibus conveniebant rustici, rebus suis provisuri. Feriæ vero privatæ, aliæ familiarum propriæ, ut Corneliæ; aliæ personarum, ut dies natales. *Feriarum, festorumque ratio in liberis requietem habet litium & jurgiorum; in servis, operum & laborum.* Cicero l. 2. de legibus.

7. *Trabeatos.*] Suetonius apud Servium tria trabearum genera distinguit; unum è sola purpura diis consecratum; alterum è purpura & cocco augurale; tertium è purpura albo colore intexta: qua, cum Reges, tum exactis Regibus, & Consules & Equites cum Idibus Quintilibus transveherentur, usi sunt.

8. *Idibus.*] Romani menses singulos tres in partes tribuebant, Kalendas, Nonas & Idus: de quibus duo tantum quærimus; unde hæc nomina petita, quotque dies singulis partibus dati. Kalendæ à καλῶ, quod apud Græcos idem valet, quod apud nos *voco.* Cùm enim mense Lunari

An. M.3750.
Ol. 119. 1.
Vrb. C. 449.
Ant. Ch. 303.

[1] Juliis [2] Q. Fabius [3] transvehi instituit. Idem Censor [4] cum P. Decio se- ditionis finiendæ gratia, quam comitia [5] in humillimi cujusque potesta- tem redacta accenderant, omnem forensem turbam in quatuor tantum- modo [6] tribus descripsit: easque Urbanas appellavit. Quo tam salubri facto, vir alioqui bellicis operibus excellens, [7] Maximus cognominatus est.

NOTÆ.

uterentur; ubi Pontifex primum' Lunæ aspectum observasset, vocata in Capitolium plebe, quot dies ad Nonas superessent, hac formula prædicebat: Si quinque, *Dies quinque te voco, Iuno Novella.* Si septem, *Dies septem te voco, Iuno Novella.* Nonæ, quasi novæ observationis initium; vel, quod ab eo die ad Idus novem dies putarentur. His diebus Rex Sacrorum ferias menstruas prædicebat. Idus; vel ab ove Iduli, quæ hoc die immolabatur; vel ab hetrusca voce *Iduare*, hoc est, dividere, quod mensem duas in partes prope æquales dividant. II. Kalendæ certam sedem semper occupant, primum cujusque mensis diem: Nonæ & Idus non item. In Martio, Maio, Iulio & Octobri, Nonæ septimum, Idus decimum quintum: In reliquis Nonæ quintum, Idus decimum tertium. Sicque nonis modo quatuor, modo sex dies tribuuntur: semper, & Idibus novem, & Kalendis sexdecim.

1. *Iuliis.*] Cùm à mense Martio anni principium peteretur, hic mensis, quod ab eo quintus esset, Quintilis dictus est: nomenque suum, Ianuario & Februario à Numa additis, retinuit. At M. Antonius Consul, teste Macrobio, legem tulit, ut à Iulio Cæsare, qui eo mense natus erat, Iulius diceretur.

2. *Q. Fabius.*] Rullianus.

3. *Transvehi.*] Multi quidem de hac pompa scripserunt, sed aliter aliis placet. Eo institutam putat Sigonius, ut Equites de stipendiis legitime confectis Censori rationem redderent. Testatur Aurelius Victor, Equites ab æde Honoris olea coronatos ad Capitolium in equis transi[...] Ab utroque Dionysius dissentit; cui ta[...]men libentius assenserim, cum in hon[o]rem Castoris & Pollucis, quod victo[riam] de Latinis anno 257. relatam nu[n]ciassent, hanc pompam celebratam ve[...] & ab æde Martis per forum in Capitoli[um] tetendisse Equites, qui per tribus & c[en]rias ad quinque millia distincti, q[ui] redirent è pugna, fronde oleagina co[ro]nati, togisque palmatis insignes esse[nt,] quorum alii coronas, alii torques, p[...] phaleras, hastas, armillas, singuli [sin]gula, & præmia virtutis, & bellicæ lau[dis] insignia magnifice ostentarent. Dign[um] sane majestate Imperii spectaculum.

4. *Cum P. Decio.*] P. Decii Mur[is fi]lius, qui quatuor Consulatibus, & C[en]sura nobilis, paternum secutus exempl[um] se devovit, suisque victoriam de Gall[is &] Samnitibus morte sua peperit. Li[...]vius.

5. *In humillimi cujusq; potestatē.*] Id Ap[pii] Claudii prava lectione factum est, [qui] Censor humilibus per omnes tribus d[...]sis, forum & campum corruperat, in[quit] Livius.

6. *Tribus descripsit.*] Quot tribus R[o]mæ fuerint, quo tempore, à quo fin[...]læ, vel institutæ, vel aliis additæ [...] jam diximus in Magistratibus Romanorum.

7. *Maximus cognominatus est.*] [...] etiam Livius l 9. *Adeoque eam rem a[...] tam gratis animis ferunt, ut Maxim[i] cognomen, quod tot victoriis sibi non peperer[at,] hac ordinum temperatione pareret.*

CAP. III.

DE MILITARIBUS INSTITUTIS.

1. Capite censi milites primi. *2. Militaris exercitatio.* *3. Velitum primus usus.*

LAudanda etiam populi verecundia est, qui impigre se laboribus & periculis militiæ offerendo, [a] dabat operam, ne Imperatoribus [1] capite censos [2] sacramento rogare esset necesse, quorum [3] nimia inopia suspecta erat, ideoque his publica arma non committebantur.

1. Sed hanc diutina usurpatione firmatam consuetudinem C. Marius, An. M. 3947. Ol. 168. 2.
[4] capite censum legendo militem, abrupit. [b] Civis alioqui magnificus, Vrb. C. 646.
sed novitatis suæ conscientia, vetustati non sane propitius: memorque, Ant. C. 106.
si militaris ignavia humilitatem spernere perseveraret, se à maligno virtutum interprete velut capite censum Imperatorem compellari posse. Itaque fastidiosum [5] delectus genus in exercitibus Romanis obliteran-

INTERPRETATIO.

a *Efficiebat, ut Imperatores non opus haberent exigere juramentum à* pauperibus civibus, *qui capite censebantur.*

b *Civis alioqui præstantissimus; sed quod sciret se humili loco natum, infensus nobilibus; & memor, si milites ignavi pergerent contemnere abjectionem novorum hominum, posse se ab injusto æstimatore veræ virtutis appellari Imperatorem capite censum; quare censuit superbam rationem eligendi milites delendam esse in Romanis exercitibus, ne notata humilitas eorum, qui* capite censentur, *ipsius gloriam immineret.*

NOTÆ.

1. *Capite censos.*] Qui capite censi dicerentur, ut facilius intelligas, Romanos omnes in duos quasi ordines tribuere libet; quorum alter jus haberet suffragii, alter non item; res illius, hujus nomina tantum & personæ censerentur; hujus nulla classis, ille in quinque classes divisus esset: qui enim centum millia æris, vel eo plus possiderent, primæ classis erant; qui infra centum ad 75. millia, secundæ; qui 50. tertiæ; qui 25. quartæ; qui undecim, quintæ; qui vero aut nullo aut perexiguo ære censebantur, hi capite censi; qui eo nomine erant à militia immunes, quod illis familia aut nulla, aut tenuis esset. Ita Gellius l. 16. c. 10.

2. *Sacramento.*] Quia in verba Imperatoris jurare tenebantur, se quocunque duceret ituros, nec à signis discessuros.

3. *Nimia inopia suspecta erat.*] Ne aut ad hostes deficerent, aut prædæ magis cupiditate, quam amore patriæ militiam susciperent.

4. *Capite censum legendo militem.*] Ad bellum Iugurthinum scripsit milites, non ex more majorum, neque ex classibus; sed uti cujusque libido erat; capite censos plerosque: quod factum, vel inopia bonorum, vel ambitione Marii; quod ab eo genere celebratus erat, & homini potentiam quærenti egentissimus quisque opportunissimus erat. Hæc Sallustius.

5. *Delectus genus.*] Legendi militis hæc ratio fuit. Consul in Capitolio, nonnum-

dum duxit, ne talis notæ contagio ad ipsius quoque gloriæ sugillationem penetraret.

An. M. 3949. Ol. 168. 4. Vrb. C. 648. Ant. C. 104.

2. [a] Armorum tractandorum meditatio à [1] P. Rutilio Consule [2] Cn. Mallii collega militibus est tradita. Is enim nullius ante se Imperatoris exemplum secutus, [b] [3] ex ludo Cn. Aurelii Scauri doctoribus gladiatorum accersitis, vitandi atque inferendi ictus subtiliorem rationem legibus ingeneravit: virtutemque arti, & rursus artem virtuti immiscuit, ut illa impetu hujus fortior, hæc illius scientia cautior fieret.

An. M. 3843. Ol. 142. 2. Vrb. C. 542. Ant. C. 210.

3. [4] Velitum usus eo bello primum repertus est, quo [5] Capuam [6] Fulvius Imperator [7] obsedit. Nam cum equitatui Campanorum crebris excursationibus equites nostri, quia numero pauciores erant, resistere non

INTERPRETATIO.

a Exercitatio armorum tractandorum.

b Evocatis magistris gladiatorum ex Schola gladiatoria Cn. Aurelij Scauri, introduxit datis certis legibus modum quemdam subtiliorem ictus, & vitandi, & inferendi.

NOTÆ.

quam etiam in campo ad vitandas Tribunorum intercessiones, quibus ibi non erat locus; in sella curuli sedebat: tum per Tribunos, & tribum, & classem ducta sorte, ne alia alii prælata videretur, eligi moris erat: deinde vocata tribus in centurias suas ibat; post ex singulis centuriis milites pro censu & classe nominatim appellabat: erant enim ad manum tabulæ, in quibus singulorum, & nomina, & ætas, & opes scriptæ. Nunquam sorte, nisi in tumultu, electi; si qui militiam detrectarent, eorum bona, aut direpta, aut vendita; & aliquando ipsi, vel servitute, vel morte mulctati.

1. *P. Rutilio.*] Patre Consulari natus erat, discipulus Panætii, vir eruditus, & in Stoïcis prope perfectus. Postquam Silanus à Cimbris victus, & oppressi cum toto exercitu Manlius & Cæpio: Rutilius, cui Italia obvenerat, jussus est juventutem omnem sacramento adigere, legiones novas scribere, & aliquanto post Publicanorum causa injustè damnatus Smyrnam secessit.

2. *Cn. Mallii.*] Mirum, quam variis modis nomen hujus Consulis apud auctores legatur. Eusebio & Orosio M. Manilius: Cassiod. C. Manilius, Livio, Sallust. & Tacito M. Manilius: Ciceroni Cn. Manilius; in tabulis Græcis Cn. Mallius: homo ignobilis, sine ingenio, sine virtute, Q. Catulo viro præstantissimo, populi suffragiis, teste Cicerone, prælatus fuit: à Cimbris cum duobus filiis, totoque exercitu cæsus est.

3. *Ex ludo.*] Gladiatorio, plures enim erant in urbe, Gallicus, Dacicus, Magnus, Mamertinus, Æmylius, quibus præerant lanistæ.

4. *Velitum.*] Velites, quasi volantes, ex Festo. Ex omnibus legionibus electi juvenes erant maxime vigore & levitate corporum veloces; qui juncti equitibus pugnarent, docti in equos pone equites insilire; & ubi signum datum esset, desilire perniciter: quare equites ante pugnam, pedites in pugna; ferentariis nostris, vulgo *Dragons*, in eo tantum absimiles, quod illi alienis equis, hi propriis vehuntur.

5. *Capuam.*] Ad Vulturnum totius olim Campaniæ longe nobilissimam, & in Italia Romæ æmulam; luxuriæ & superbiæ domicilium, ex Cicerone. *Capoüe.*

6. *Fulvius Flaccus.*] Q. Fulvius Flaccus ex nobili Fulviorum stemmate, qui tribus Consulatibus & Censura perfunctus, rem contra Annibalem gerebat.

7. *Obsedit.*] Bis hoc anno Capuam obsedit Fulvius, semel ante urbem ab Annibale obsessam, iterum depulso ab urbe Annibale. De Capuæ clade postea.

poſſent, Q. Nævius Centurio è peditibus lectos expediti corporis, brevibus & incurvis ſeptenis armatos haſtis, [a] parvo tegmine munitos, veloci ſaltu jungere ſe equitibus, & rurſus celeri motu dilabi inſtituit: quo facilius equeſtri prælio ſubjecti pedites, viros pariter atque equos hoſtium telis inceſſerent. Eaque novitas pugnæ unicum [1] Campanæ perfidiæ debilitavit auxilium. Ideoque auctori ejus Nævio adhuc honos eſt habitus.

Interpretatio.

[c] *Munitos brevi ſcuto edocuit, & levi ſaltu in equos poſt terga equitum aſcendere, & deinde celeri lapſu deſilire in pedes; ut pedites juncti in prælio equitibus facilius laceſſerent telis; milites ſimul & equos hoſtium.*

Notæ.

1. *Campana perfidia.*] Quod poſt Cannenſem pugnam ad Pœnos defeciſſent.

Cap. IV.

DE SPECTACULIS.

1. *Theatra primum ædificata.*
2. *Loca ordinibus primum attributa.*
3. *Origo ſcenicorum ludorum.*
4. *Origo ſæcularium.*
5. *Primi ſæculares.*
6. *Ornamenta, & luxus ludorum.*
7. *Gladiatorium & athleticum primum.*

1. [a] PRoximus militaribus inſtitutis ad urbana caſtra, id eſt [1] theatra, gradus faciendus eſt, quoniam hæc quoque ſæpenumero animo-

Interpretatio.

[a] *Cum de militaribus inſtitutis dixerim, nunc loquor de Theatris, quæ ſunt quaſi caſtra urbana, in quibus ſæpe inſtruuntur* turmæ gladiatorum, *velut acies fortiter inter ſe dimicantes: nam theatra extructa ob deorum cultum, & delectationem hominum dederunt ſpectantibus voluptatem pacis tempore erubeſcendam: quia in præliis ſcenicis, quod monſtroſum videtur, ſæpe civilis ſanguis effuſus eſt.*

Notæ.

1. *Theatra.*] Varia Romæ fuit, pro varietate temporum, ludorum ſpectandorum ratio. Primum, quibus erat animus, dexteritatis, aut firmitatis, aut pernicitatis dare ſpecimen, in diem & locum dictum conveniebant; & inde judices, hinc circumfuſa turba ſpectabat: deinde, quod alii aliis objectu corporum nocerent, locus circum undique aggeſtis ceſpitibus factus eſt altior, medius depreſſior: poſt ſubſellia ſibi quiſque attulit. Vbi vero Meſſala & Caſſius theatrum faciendum locarunt, magnifica Romæ identidem theatra viſa ſunt; præ cæteris tamen maxime celebrantur theatra S. Mummij, M. Scauri, & Curionis, temporaria: & Pompeij Magni

ſas acies inſtruxerunt, excogitataque [1] cultus Deorum, & hominum delectationis cauſa, non ſine aliquo pacis rubore voluptatem & religionem civili ſanguine, ſcenicorum portentorum gratia, macularunt.

An. M. 3900. 2. Quæ inchoata quidem ſunt à [2] Meſſalla, & Caſſio Cenſoribus;
Ol. 156. 3. [a] cæterum auctore [3] P. Scipione Naſica omnem apparatum operis eorum
Vrb. C. 599. ſubjectum [5] haſtæ venire placuit. Atque etiam S. C. cautum eſt, ne
Ant. C. 153. quis in Urbe propiuſve paſſus mille ſubſellia poſuiſſe, ſedenſ-ve ludos
An. M. 3904. ſpectare vellet, [b] ut ſcilicet remiſſioni animorum juncta ſtandi virilitas,
Ol. 157. 3. propria Romanæ gentis nota eſſet.
Vrb. C. 603.
Ant. C. 149.

3. Per quingentos autem & quinquaginta octo annos Senatus populo mixtus ſpectaculo ludorum interfuit. Sed hunc morem [5] Attilus Serra-
An. M. 3860. nus, & L. Scribonius Ædiles, [6] ludos Matri Deûm facientes, ſuperioris
Ol. 146. 3. Africani ſententiam ſecuti, [7] diſcretis Senatus & populi locis, ſolve-
Vrb. C. 559. runt: Eaque res avertit vulgi animum, & favorem Scipionis magnopere
Ant. C. 193. quaſſavit.

An. M. 3690. 4. Nunc cauſam inſtituendorum ludorum ab origine ſua repetam.
Ol. 104. 1. [8] C. Sulpitio Petico, C. Licinio Stolone Conſulibus, intoleranda vis
Vrb. C. 389. ortæ peſtilentiæ, civitatem noſtram à bellicis operibus revocatam, do-
Ant. C. 363. meſtici atque inteſtini mali cura afflixerat: Jamque plus in exquiſito & novo cultu religionis, quam in ullo humano conſilio poſitum opus videbatur. Itaque placandi cœleſtis Numinis gratia, compoſitis carmini-

INTERPRETATIO.

a *Verum hortante P. Scipione Naſica placuit omnem illius theatri apparatum vendi ſubjectum* auctioni publicæ, quæ fiebat *ſub haſta.*

b *Vt ſcilicet ille habitus ſtandi dignus viris fortibus junctus cum animorum remiſſione cognoſceretur eſſe proprius Romanæ gentis.*

NOTÆ.

ex lapide quadrato ſtabile.

1. *Cultus deorum.*] Ludi enim diis conſecrati, venatio Dianæ, Marti gladiatores, vocis & organorum concentus Apollini & Muſis, & alii aliis.

2. *Meſſalla & Caſſio.*] Ille M. Valerius Meſſalla, hic C. Caſſius Longinus; uterque Conſul fuerat, hic anno 583. ille anno 593.

3. *Scipione Naſica.*] Qui Corculum vulgo dictus eſt.

4. *Haſta*] Figebatur haſta in auctionibus publicis.

5. *Attilius Serranus.*] C. A. & M. ab auctoribus vocatur. Ipſe primus Megaleſiæ ludos ſcenicos edidit, Prætorque claſſem ſortitus Macedonum, naves multas merſit. Quis ille Scribonius Libo, incertũ.

6. *Ludos Matri Deûm.*] Megalenſes ij ludi, eo dicti ſunt, quod Peſſinunte, unde Romam dea illa advecta eſt, celeberrimum fuerit his temporibus illius templum, *Megaleſion*. Fuit Ædilium Curulium hos ludos in palatio per ſex dies edere, quos Prætores & Magiſtratus in toga & prætexta celebrarent; cives omnes conviviis & ſodalitatibus.

7. *Diſcretis Senatus.*] Senatoria ſubſellia non in Megalenſibus ludis, ſed in Romanis à populari conſeſſu ſeparata tradit Livius; Valerio tamen aſſentitur Cicero.

8. *C. Sulpitio Petico, & C. Licinio Stolone.*] Peticus quatuor Conſulatibus, Dictatura, triumpho nobilis. Stolo uno Conſulatu & plebis Tribunatu notus.

bus vacuas aures præbuit, uſque ad id tempus Circenſi ſpectaculo contenta, quod primus Romulus, [1] raptis virginibus Sabinis, [2] Conſualium nomine celebravit: [a] Verum, ut eſt mos hominum parvula initia pertinaci ſtudio proſequendi, venerabilibus erga Deos verbis juventus, rudi atque incompoſito motu corporum jocabunda, geſtus adjecit. Eaque res Ludium ex Etruria accerſendi cauſam præbuit: cujus decora pernicitas vetuſto ex more [3] Curetum [4] Lydorumque [5] (à quibus Etruſci originem traxerunt) novitate grata Romanorum oculos permulſit. Et quia Ludius apud eos Hiſtrio appellabatur, [6] ſcenico nomen Hiſtrionis inditum eſt. Paulatim deinde ludicra ars ad [7] Satyrarum modos perrepſit, à quibus primus omnium [8] Poëta Livius, ad fabularum argumenta ſpectantium animos tranſtulit. [b] Iſque ſui operis actor, cum ſæpius à po-

INTERPRETATIO.

a Verum ut homines ſolent ſtudio pertinaci augere res ab initio parvo cœptas, juventus ludens verbis in deorum honorem compoſitis, miſcuit varios geſtus & ſaltationes corporis motu agreſti, & incompoſito.

b Iſque actor ſui operis, cum ſæpius à populo in ſcenam revocatus ad agendum, *vocem ſuam raucam feciſſet.*

NOTÆ.

1. *Raptis virginibus.*] Ordinata enim civitate connubia novo populo, cum à finitimis non impetraſſet, extorſit, & Conſualibus ludis Sabinas aliaſque virgines, quæ viſendi ſtudio confluxerant, rapi juſſit.

2. *Conſualium.*] A Conſo deo, cujus aram Romulus ſub terram ſe reperiſſe dicebat; ſive Neptunus Equeſtris ille Conſus eſſet, ſive quivis alius deus, qui rapiendarum virginum ipſi auctor fuerit. In his ludis cum multa, tum id maxime ridiculum fuit, quod & equos, & aſinos non modo ociari ſinerent, ſed floribus etiam coronarent.

3. *Curetum.*] Qui primum in Phrygia ad montis Idæ radices, tum in Creta, denique in Græcia habitarunt; multa de his Strabo, quem, ſi plura requiris, conſule l. 10. hæc enim cum & incerta ſint, & fabularum licentia pleraque corrupta, à nobis omittuntur.

4. *Lydorum.*] Aſiæ minoris populi fuerunt, qui propter Phrygiam Pactoli ripas incolebant.

5. *A quibus Etruſci.*] Aty duo erant filij, Lydus & Tyrrhenus: cumque regio ingenti fame laboraret, ducta ſorte è duobus filiis retinuit Lydum, Tyrrhenum cum magna populi parte foras abire juſſit: qui in eam appulit Italiæ partem, quam nomine ſuo Tyrrheniam appellavit, nunc *la Toſcane.*

6. *Scenico.*] A verbo Græco σκηνὴ, *umbra*, quod ante theatrorum uſum ſub frondibus & umbraculis carmina decantare ſolerent paſtores.

7. *Satyrarum*] Satyra fabula eſt in qua Tragici Poëtæ nec Heroas, nec Reges, ſed Satyros induxerunt ludendi cauſa, jocandique, ut inter res tragicas ſeriaſque ſpectator Satyrorum jocis & luſibus delectaretur: unde poſtea argutum poëma hexametro verſu confectum Satyræ nomen accepit; quale extat Horatij, Iuvenalis, & Perſij. In tragœdias Satyros à Latinis receptos vix putem Sed in comœdias à Livio Andronico primum inductos, deinde in Atellanas fabellas aliquãto poſt demigraſſe indicat Livius l. 7. Nominis ratio alia ab aliis affertur; à Satyris ego dictos arbitror, quod ridiculæ res & pudendæ, quales à Satyris fere, & proferuntur, & fiunt, in his fabellis dicerentur. Hęc Diomedes Grammaticus, & Aldus Manutius.

8. *Poëta Livius.*] Andronicus, homo Græcus, qui à M. Livio Salinatore, cujus liberos erudiebat, libertate & familia do-

pulo [1] revocatus vocem obtudisset, adhibito pueri & tibicinis concentu, gesticulationem tacitus peregit. [2] Attellani autem [3] ab Oscis acciti sunt; quod genus delectationis Italica severitate temperatum, a ideoque vacuum nota est: nam neque [4] tribu movetur, neque à militaribus stipendiis repellitur.

5. Et quia cæteri ludi ipsis appellationibus unde trahantur, apparet; non absurdum videtur [5] Secularibus initium suum, cujus generis minus certa notitia est, reddere. Cum ingenti pestilentia Urbs agrique vastarentur, [6] Valesius vir locuples, rusticæ vitæ, duobus filiis & filia ad desperationem usque Medicorum laborantibus, aquam calidam iis à foco petens, genibus nixus, [7] Lares familiares, ut puerorum periculum in ipsius caput transferrent, oravit: Orta deinde vox est,

INTERPRETATIO.

a *Et ideo* actor fabulæ Attellanæ *nulla infamia notatur*.

NOTÆ.

natus, primus Romæ fabulam docuit, Q. Claudio Cethego Cæci filio, & M. Sempronio Tuditano Coss. anno ipso antequam natus est Ennius, post urbem conditam 514. duplici laude clarus; quod, & poëta, & actor suarum fabularum fuerit. Ita Cicero, Gellius & alij.

1. *Revocatus.*] Dum fabellas suas diceret Livius, populo interdum ita placuit, ut ad principium ab eo revocatus sæpius, vocem obtuderit: tum ille, & puerum, & tibicinem accivit, quorum alter voce caneret, alter tibia, dum ipse utriusque & modos & cantus motu corporis subsequeretur.

2. *Attellani.*] Ludiones ab Attellis, quæ Campaniæ civitas est, nunc *Aversa*, Romam acciti: quorum fabellæ cum turpiores essent, Romana severitate ita temperatæ sunt, ut in iis pauca obscœna, joci vero multi, multique sales. In duobus potissimum Attellanæ à Satyris differebant, quod in illis obscœnæ personæ inducerentur; in his vero, vel Satyri fere, vel si quæ sunt personæ Satyris similes, ut Silenus, ut Autolycus: & Attellanis semper servare personam jus fuerit, Satyris non item.

3. *Ab Oscis.*] Campaniæ populis, qui à verborum, quibus utebantur sæpius, turpitudine nomen sortiti; unde obscœna verba pro impudicis vulgo dicimus.

4. *Tribu movetur.*] Cæteri, qui artis ludicræ causa in scenam prodirent, infames erant.

5. *Sæcularibus.*] Qui vel centesimo decimo, ex Horatio, vel centesimo quoque anno, ex Livio & Varrone, per triduum omni genere, tum ludorum, tum sacrificiorum celebrabantur: ritus omnes persequi infinitum sit; utilius erit, opinor, quoties hi ludi Romæ, quoque tempore exhibiti sint, breviter inquirere. Novies omnino factos esse affirmare possum idoneis auctoribus Dione, Herodiano, Eutropio, Zosimo & Eusebio. Primum quidem anno ab Vrbe condita 52. ex Zosimo; secundum sub Valerio Publicola; tertium & quartum sub Consulibus, ex Livio, Gellio, & aliis apud Zosimum; quintum sub Augusto; sextum sub Claudio; septimum sub Domitiano; octavum sub Septimo Severo, ex Dione & Herodiano; denique sub Philippo anno Vrbis millesimo, ex Eutropio & Eusebio. Vnum tamen te monitum velim, hos omnes ludos non stato tempore, sed alios citius, alios serius celebratos. Ita fere Politianus Miscellaneorum c. 58.

6. *Valesius.*] Homo dives, & in gente Sabina nobilis, unde nomen & familia Valeriorum.

7. *Lares familiares.*] Qui focis præerant; cum enim priscis temporibus defuncti

habiturum

habiturum eos salvos, si continuo flumine [1] Tiberis devectos [2] Terentum deportasset, ibique ex [3] Ditis patris, & Proserpinę ara, petita [4] calda, recreasset. Eo prædicto magnopere confusus, quod & longa & periculosa navigatio imperabatur: spe tamen dubia præsentem metum vincente, pueros ad ripam Tiberis protinus detulit (habitabat enim in villa sua propter vicum Sabinæ regionis [5] Eretum) ac [6] lintre [7] Ostiam petens, nocte concubia ad [8] Martium campum appulit. Sedentibusque ægris succurrere cupiens, igne in navigio non suppetente; ex gubernatore cognoscit, haud procul apparere fumum. Et ab eo jussus egredi Terentum (id ei loco nomen est) [a] cupide arrepto calice, aquam flumine haustam, eo unde fumus erat obortus, jam lætior pertulit, di-

INTERPRETATIO.

a *Cupide calice arrepto lætior ob auditum Terenti nomen aquam haustam ex fluvio pertulit in eum locum, ubi fumus visus fuerat: arbitratus se invenisse in hoc loco non remoto remedium à diis Laribus ipsi indicatum: & dum constanter confidit omini oblato: in terra, quæ fumabat, etsi nullæ ibi essent ignis reliquiæ, elicuit continuo flatu flammam ex congestis in unum locum ignis fomentis, quæ ibi invenerat; & dedit aquam, &c.*

NOTÆ.

sepelirentur in ædibus; inde factum est, ut eorum manes pro diis familiaribus habiti sint; quos pelle canina ideo vestiebant: quod haud aliter ac canes domesticis custodiæ, alienis vero terrori essent.

1. *Tiberis.*] Fluvius Italiæ post Padum nobilissimus, qui oritur ex Apennino, Romam alluit, & in mare Tyrrhenum dilabitur. *Le Tibre.*

2. *Terentum.*] Sic legendum, non *Tarentum*: fuit pars quædam Tiberis in urbe, quod ex Ovidio & Martiali certum est. Sic Ovidius 1. Fastorum.

Iamque ratem monitu docta Carmentis ad arcem
Egerat, & Thuscis obvius ibat aquis.
Fluminis illa latus cui sunt vada juncta Terenti
Aspicit, & sparsas per loca sola casas.

Et Martialis l. 10.

Bis mea Romano spectata est vita Terento.

3. *Ditis Patris.*] Plutonis, qui Dis appellatur, vel quod terrena vis omnis, & natura ipsi dicata putaretur. Ita Cicero; vel quod minime dives sit, cum mortui bonis omnibus careant. Ita Quintilianus, de Proserpina l. 1. c 1.

4. *Calda.*] Pro aqua calida; sic enim veteres sæpe locuti sunt: quin etiam Martialis ipse:

Frigida non deerit, non deerit calda petenti.

5. *Eretum.*] Oppidum est dictum à Iunone, id est, Ἥρας, quæ ibi colitur, ut vult Servius; Stephano Ἤρητος dicitur, Dionysio & Straboni, *Eretum*: hodie, *Monte Ritondo.*

6. *Lintre.*] Linter genus est naviculæ brevis, quæ trajiciendis fluminibus apta est.

7. *Ostiam.*] Vrbem in Maris & Tiberis confinio ab Anco Martio conditam. *Ostie.*

Martium campum.] Qui Marti sacer erat extra urbem ad portam Flumentanam, à Caia Tarrasia Vestali Virgine populo donatus. Mos erat hoc in loco creari Reges & Magistratus, ex Dionysio; summorum virorum, & cremari corpora, & statuas erigi: exorto tumultu haberi delectum: juventutem cursu, saltu, pilis, funda, sagittis, area, ad armorum tractationem exerceri.

vinitus dati remedii quasi vestigia quædam in propinquo nactum se exi-stimans: inque solo magis fumante, quam ullas ignis habente reli-quias; dum tenacius omen apprehendit, contractis levibus, & quæ fors obtulerat, nutrimentis, pertinaci spiritu flammam emovit, calefa-ctamque aquam pueris bibendam dedit. Qua pota, salutari quiete so-piti, diutina vi morbi repente sunt liberati; patrique indicaverunt, vidisse se in somniis, quos nescio Deorum, spongia corpora sua perter-gere, & præcipere ut ad Ditis patris & Proserpinæ aram, à qua fuerat potio ipsis allata, [1] furvæ hostiæ immolarentur, lectisternia ludique nocturni fierent. Is quod eo loci nullam aram viderat, desiderari cre-dens, ut à se construeretur; aram empturus in Urbem perrexit, relictis qui fundamentorum constituendorum gratia terram ad solidum foderent. Hi domini imperium exequentes, cum ad xx. pedum altitudinem humo egesta pervenissent; animadverterunt [2] aram Diti patri, Proserpinæque inscriptam. Hoc postquam Valesius, nunciante servo, accepit, omisso emendæ aræ proposito, hostias nigras, quæ antiquitus furvæ diceban-tur, Terenti immolavit, [3] ludos & lectisternia, continuis tribus nocti-bus, quia totidem filij periculo liberati erant, fecit.

An. M. 3551.
Ol. 69. 2.
Vrb. C. 250.
Ant. C. 502.

Cujus exemplum [4] Valerius Poplicola, qui primus Consul fuit, stu-dio succurrendi civibus, secutus, apud eandem aram publice nuncupatis votis, cæsisque atris bubus, Diti maribus, feminis Proserpinæ, lecti-sternioque, ac ludis trinoctio factis, aram terra, ut ante fuerat, obruit.

6. Religionem ludorum crescentibus opibus secuta lautitia est. Ejus instinctu [5] Q. Catulus Campanam imitatus luxuriam, primus spectantium consessum [6] velorum umbraculis texit. Cn. Pompeius ante omnes, [7] aqua

NOTÆ.

1. *Furvæ hostiæ.*] Nigræ: veteres enim diis superis albas victimas, inferis nigras immolabant.

2. *Aram Diti patri.*] Hujus aræ, si Zosimo credimus, hæc origo fuit; orto bello Romanos inter & Albanos, jam instructa ad prælium utraque acies erat; cum ecce subito existit quidam furva pelle amictus, vociferans jubere Ditem patrem, deamque Proserpinam sacrum sibi fieri, priusquam prælium iniretur: continuo à Romanis sub terram ara extructa, oblatumque sacrificium; araque, ne cerneretur, humi defossa; commissum prælium, relataque victoria.

3. *Ludos & lectisternia.*] Aliter Varro: cum multa fierent portenta, murusque & turris ad portam Collinam de cœlo tacta essent, in campo Martio Diti patri & Proserpinæ, ex jussu librorum Sibyllinorum ludi facti sunt.

4. *Valerius Poplicola.*] Quis Valerius ille, l. 1. c. 8. quid nuncupare vota, l. [...] c. 1. n. 8. quid lectisternium, l. 3. c. 1. n. [...] diximus.

5. *Q. Catulus.*] Qui Consul M. Lep[idum] collegam acta Syllæ rescindere c[o]nantem, Italia expulit, & Capitoli[um] dedicavit.

6. *Velorum umbraculis.*] Byssina ve[la] primus in theatrum duxit, ex Plini[o] l. 15.

7. *Aquæ per semitas, &c.*] Cum th[ea]trum suum dedicaret; tum enim varia sp[e]ctacula exhibita, ludi Gymnici, equoru[m] & cursus & certamina; omnis fere ge[ne]ris animalium venationes; 500. leo[nes] quinque dierum spatio confecti; elepha[nti]

per semitas decursu, æstivum minuit fervorem [1] [a] C. Pulcher scenam varietate colorum adumbravit, vacuis ante pictura tabulis extentam. An. Vrb. c. 654
Quam totam argento [2] C. Antonius, auro [3] Petreius, ebore Q. Catulus prætexuit. [4] Versatilem fecerunt [5] Luculli. Argentatis [6] choragiis An. Vrb. c. 679
[7] P. Lentulus Spinther adornavit. [8] [b] Translatum antea Pœniceis indutum tunicis [9] M. Scaurus exquisito genere vestis cultum induxit. An. Vrb. c. 690 An. Vrb. c. 695

7. Gladiatorium munus primum Romæ datum est in foro boario, [10] Ap. Claudio, M. Fulvio Coss. Dederunt [11] M. & D. Bruti, funebri memoria patris cineres honorando. Athletarum certamen à M. Scauri tractum est munificentia. An. M. 3790. Ol. 129. 1. Vrb. C. 489. Ant. C. 263.

INTERPRETATIO.

a *C. Pulcher operuit scenam variis coloribus, cum antea ornata esset tantum tabulis, in quibus nulla erat pictura.*

b *M. Scaurus induxit eleganti genere vestis, & pretioso cultum scenicum, ornatum antea tunicis rubicundis.*

NOTÆ.

tique 18. cum armatis pugnarunt. Hæc Plut. & Dio.

1. *C. Pulcher.*] Clodius P. Clodij patruus, & Consul anno Vrbis 661. quem splendida Ædilitate perfunctum scribit Cicero.

2. *C. Antonius.*] Oratoris filius, & Ciceronis in Consulatu Collega, de quo multa postea.

3. *Petreius.*] Hoc nomen corruptum est, cum è Petreiorum familia nemo Ædilis fuerit: quare emendatius legeris, vel P. Trebonius, vel P. Cethegus; ita enim nonnulli.

4. *Versatilem fecerunt.*] Duplex enim scena, versatilis & ductilis; illa machinis quibusdam ita vertebatur, ut aliam atque aliam picturæ speciem identidem ostentaret: ductilis erat, cum hinc & inde ducta tota pictura omnis interior nudabatur.

5. *Luculli.* Optime, ut solet, hunc locum emendavit Pighius: nec enim *Lucani*, sic scriptum erat, sed Luculli scenam versatilem fecerunt. Ambo fratres, natu major Lucius, minor Marcus, simul Ædiles ludos magnificentissimos dederunt: uterque Consul, alter anno post alterum; uterque summus Imperator, & triumpho, ille de Asia, hic de Macedonia, nobilis: Lucius tamen, ut ætate, ita virtute etiam, & authoritate Marco superior. Ipsius vitam scripsit Plutarchus.

6. *Choragiis.*] Choragia dicuntur instrumenta scenarum.

7. *P. Lentulus Spinther.*] E gente Cornelia, qui ludos bis dedit, semel Ædilis Curulis, Cicerone Consule, iterum Prætor; omnesque superiores, teste Cicerone, magnificentia superavit: Consul Ciceronis restitutionem obtinuit; Proconsul de Cilicibus triumphavit.

8. *Translatum.*] Aliter Pighius, aliter Lipsius hanc vocem explicant: Pighio infima Ludionum & vulgaris turba est, quæ pro ludorum occasione per scenam sæpius transferatur; Lipsio idem est, quod translatitium, hoc est, receptum & crebrum. Ita etiam Phædrus: *Dij sunt locuti more translatitio*, id est, in fabulis seu comœdiis recepto.

9. *M. Scaurus.*] Ex Æmiliorum stemmate, illius, qui Senatus diu Princeps fuit, filius, & Syllæ privignus; qui his in ludis & suas absumpsit opes, & magnum æs alienum contraxit: de illo infra.

10. *Appio Claudio, & M. Fulvio.*] Ille Appij Cœci frater, caudex hic vel M. vel Q. Primus è gente Fulvia Flaccus dictus est: ambo Consules, cum cœptum primum bellum Punicum.

11. *M. & D. Bruti.*] Vterque filius D. Iunij Bruti Scevæ Consulis anno Vrbis 461. in cujus honorem hos ludos exhibuerunt; solius Decimi meminit Florus.

Cap. V.

DE FRUGALITATE ET INNOCENTIA.

1. *Prima aurata statua in urbe.*
2. *Ius civile cum fastis promulgatum.*
3. *Veneficij prima quæstio.*
4. *Tibicinum Quinquatria prima.*
5. *Frugalis antiquorum victus.*
6. *Febris Deæ sacella in urbe.*

An. M. 3873. Ol. 149. 4. Vrb. C. 572. Ant. C. 182.

1. Statuam auratam nec in urbe, nec in ulla parte Italiæ quisquam prius aspexit, quam à [1] M. Acilio Glabrione equestris patri poneretur in [2] æde Pietatis: Eam autem ædem P. Cornelio Lentulo, & M. Bæbio Tamphilo Consulibus ipse dedicavit, quia pater compos voti factus, Rege [3] Antiocho apud [4] Thermopylas [5] superato.

An. M. 3750. Ol. 119. 1. Vrb. C. 449. Ant. C. 303.

2. Jus civile per multa secula inter sacra ceremoniasque Deorum immortalium abditum, [6] solisque Pontificibus notum, Cn. Flavius libertino patre genitus, & [7] Scriba, cum ingenti [8] nobilitatis indigna-

Notæ.

1. *M. Acilio Glabrione.*] Patri & filio unum idemque nomen fuit; sed longe dispar gloria: pater enim Prætura, Consulatu, victoria de Antiocho, & triumpho clarus; filius nullo Magistratu, nisi forte Ædilitate vix notus. De Lentulo & Bæbio l. 1. c. 1.

2. *Æde Pietatis.*] Ædem illam in Circo Flaminio Iulius Obsequens, in foro Olitorio P. Victor; in loco, ubi postea theatrum Marcelli fuit, Plinius collocat. Publicus olim hic carcer erat, in quo, cum vinctam matrem filia suis aluisset uberibus, & impunitas matri concessa est, & locus Pietati dicatus, & templum ab Acilio Glabrione extructum.

3. *Antiocho.*] Qui rebus in Asia præclare gestis, Magni cognomen assecutus, longe lateque imperabat; in Romanos si bellum non gessisset, felicior quidem futurus, sed non illustrior.

4. *Thermopylas.*] Sunt angustiæ montium ad Oetam montem, Thessaliam inter & Græciam: erant in ipso ingressu Θερμὰ λουτρὰ, hoc est, calida lavacra; & desuper ara dicata Herculi, murusque super quem olim visebantur πύλαι portæ, unde Thermopylæ. Nunc *Bocca di lupo.*

5. *Superato.*] Antiochus, ne à Romanis ante copiarum suarum adventum opprimeretur, illas angustias cum Ætolis occuparat: at Consul Acilius, Ætolis è jugis montium Catonis virtute dejectis, illum aggreditur, cæsoque illius exercitu, excussis dentibus saucium in fugam vertit.

6. *Solis Pontificibus.*] Apud Collegium Pontificum tum erant actiones omnes, omnisque juris scientia.

7. *Scriba.*] App. Claudij Cœci, qui cum actiones omnes in formam redegisset, eas Appij jussu, an secus, incertum, Flavius populo vulgavit; vel potius, ut tradit Plinius, Flavius ipse, Appij quidem hortatu, eos dies, assidue consultando à Pontificibus, exceperat, quos in certum ordinem digestos cum populo communicavit.

8. *Nobilitatis indignatione.*] Tam graviter id tulit Nobilitas, ut plerique annulos aureos, phalerasque, tanquam in luctu deponerent. Sic Plinius.

tione factus [1] Ædilis Curulis, vulgavit, ac [2] fastos pene toto foro exposuit. Qui cum ad visendum ægrum [3] Collegam suum veniret, neque à nobilibus, quorum frequentia cubiculum erat completum, sedendi loco reciperetur: [4] [a] sellam curulem afferri jussit, & in ea honorum pariter atque contemptus sui vindex, consedit.

3. Veneficij quæstio & moribus, & legibus Romanis ignota, complurium matronarum patefacto scelere orta est: Quæ cum viros suos clandestinis insidiis veneno perimerent, [5] [b] unius ancillæ indicio protractæ, [6] pars capitali judicio damnatæ, [7] centum septuaginta numerum expleverunt. An. M. 3713. Ol. 112. 2. Vrb. C. 422. Ant. C. 330.

4. [8] Tibicinum quoque Collegium solet in foro vulgi oculos in se convertere, cum inter publicas, privatasque ferias, actiones, personis tecto capite, variaque veste velatis, concentusque edit. [c] Inde tracta licentia. [9] Quondam vetiti in æde Jovis, quod prisco more factitaverant, vesci, [10] Tibur irati se contulerunt. Quorum ministerio Senatus deserta sacra non æquo animo ferens, per legatos à Tiburtibus petiit, ut eos gratia sua Romanis Templis restituerent. An. M. 3743. Ol. 117. 2. Vrb. C. 442. Ant. C. 310.

INTERPRETATIO.

a *Et in ea sedit, ut ulcisceretur injuriam, & sibi, & dignitati* Ædilis Curulis *ab illis illatam.*

b *Vocata ad judicium indicio unius ancillæ.*

c *Inde hæc facultas illis concessa est.*

NOTÆ.

1. *Ædilis Curulis.*] Triumvir etiam fuit, & nocturnus, & coloniæ deducendæ, templumque Concordiæ, magna nobilium invidia, dedicavit.

2. *Fastos.*] Libros, qui docebant dies, quibus agere cum populo, aut fas esset, aut nefas: à fando tamen dicti sunt, quod ij dies, quibus populo fari licebat, fasti; ij vero, quibus non licebat, nefasti vocarentur.

3. *Collegam suum.*] Q. Antium Prenestinum, qui paucis ante diebus hostis erat.

4. *Sellam curulem.*] Cui nomen factum, vel à Curibus Sabinorum oppido, unde desumpta est; vel à rotis, quibus imposita, ut in omnes urbis partes facilius traheretur.

5. *Vnius ancillæ indicio.*] Quæ indicaturam se causam publicæ pestis Q. Fabio Rulliano tum Ædili Curuli professa est; Fabius rem ad Consules, Consules ad Senatum deferunt; consensuque ordinis fides indici data: tum patefactum est muliebri fraude urbem premi, mulieresque ea venena coquere.

6. *Pars capitali, &c.*] Duæ ex iis Patriciæ, Cornelia & Servilia cum ea medicamenta salubria esse contenderent, ab ancilla bibere jussæ, spatio ad colloquendum sumpto, aliis non abnuentibus, epoto medicamento, suametipsa fraude omnes interierunt. Hæc Livius l 8.

7. *Centum septuaginta.*] Ita etiam Livius; sed Orosius 380. numerat: supra fidem multas fuisse scribit S. Augustinus l. 3. de civitate Dei.

8. *Tibicinum.*] Qui sacrificiis, ne quid infaustum accideret, præcinere solebant. De feriis consule l 2. c. 2. n 9.

9. *Quondam vetiti.*] Ius illud ipsis ademptum fuit per App. Claudium & C. Plautium Censores.

10. *Tibur.*] Sabinorum oppidum decimo sexto ab urbe lapide, aëris salubritate, & crebris fontibus commendatum. *Tivoli.*

[a] Quos illi in proposito perseverantes, interpositæ festæ epulationis simulatione, mero somnoque sopitos, [1] plaustris in Urbem devehendos curaverunt: quibus & honos pristinus restitutus, & hujusce lusus jus est datum. [b] Personarum usus, pudorem circumventæ temulentiæ causam habet.

5. Fuit etiam illa simplicitas antiquorum in cibo capiendo, humanitatis simul & continentiæ certissimus index.[c] Nam maximis viris [2] prandere & cœnare in propatulo verecundiæ non erat: nec sane ullas epulas habebant, quas populi oculis subjicere erubescerent: Erant adeo continentiæ attenti, ut frequentior apud eos [3] pultis usus, quam panis esset. Ideoque in sacrificiis mola, quæ vocabatur, ex farre & sale constat: exta farre sparguntur: & pullis, quibus auspicia petuntur, puls objicitur: primitus enim ex [4] [d] libamentis victus sui Deos eo efficacius, quo simplicius placabant.

6. Et cæteros quidem ad benefaciendum venerabantur: Febrem autem ad minus nocendum, templis colebant, quorum adhuc unum in Palatio, alterum in [5] area Marianorum monumentorum, tertium in summa parte Vici longi extat. [e] In eaque remedia, quæ corporibus ægrorum adnexa fuerant, deferebantur. Hæc ad humanæ mentis æstus leniendos cum aliqua usus ratione excogitata, cæterum salubritatem suam industriæ certissimo ac fidelissimo munimento tuebantur: bonæque valetudinis eorum quasi quædam mater erat frugalitas, inimica luxuriosis epulis, & aliena nimiæ vini abundantiæ, & ab immoderato Veneris usu aversa.

INTERPRETATIO.

a *Quos tibicines perseverantes in proposito* non redeundi Romam, *Tiburtini deportaverunt in urbem curribus obrutos somno & vino*; quod biberunt *in convivio* facto *uno die, quem illi festum sibi simulaverant.*

b Illis permissum est, *ut personis uterentur ob pudorem ebrietatis per deceptionē cōmissæ.*

c *Nam in loco patenti & publico cœnare & prandere non erubescebant viri maximi.*

d *Olim placabant deos*, illis offerendo *primitias cibi, quo vescerentur, & tanto efficacius, quo simplicius agebant.*

e *In eaque* febris templa, *post recuperatam valetudinem portabantur remedia, quæ fuerant ægrorum corporibus applicata: hæc inventa erant hominum usu, & ingenio, ad sedandos nimios mentis phrenetica æstus.*

NOTÆ.

1. *Plaustris in urbem, &c.*] Sive Tiburtini hujus fraudis inventores fuerint, ut scribit Livius; sive libertus quidam, ut Plutarchus & Ovidius. non prius dolum senserunt ebrij, quam plaustris in foro relictis plenos crapula lux oppressit; tunc populi concursus factus est, impetratoque ut manerent, datum, ut triduum quotannis ornati cum cantu per urbem veherentur Hæc Livius.

2. *Prandere.*] Prandium quasi παρένδιον, quod meridie sumeretur; ἔνδιον enim idem sonat, quod tempus meridianum.

3. *Pultis.*] Cibi genus est quod ex farina & aqua, mixto sale, conficitur.

4. *Libamentis.*] Libare est partem & primitias diis fundere. Peracta enim immolatione, quæ per fruges & molam salsam fiebat, vinum, antequam aspergeretur, cum Sacerdos ipse, tum adstantes delibabant; deinde evulsas à victima setas, tanquam prima libamina Sacerdos projiciebat in ignem; tum victimam mactandam ministris dabat.

5. *A ea Marianorum.*] Trophæa C. Marii bello Cimbrico parta, quæ à Sylla disjecta, à Cæsare Dictatore instaurata memorat Suetonius, non procul à via Prænestina.

CAP. VI.

DE EXTERNIS INSTITVTIS.

1. *Spartanorum frugalitas.*
2. *Mos militaris eorundem.*
3. *Atheniensium institutum contra otiosos & inertes.*
4. *Areopagus eorundem.*
5. *Honos virtutis apud eosdem.*
6. *Ingratitudinis actio apud eosdem.*
7. *Massiliensium instituta varia.*
8. *Cejorum venenum publicum.*
9. *Massiliensium lex de advenis armatis.*
10. *Gallorum mos in mutuo dando.*
11. *Cimbrorum Celtiberorumque mos in adeundis præliis.*
12. *Thracum opinio de vitæ calamitate.*
13. *Lyciorum luctus.*
14. *Indarum fœminarum fidus amor erga maritos.*
15. *Pœnicarum fœminarum prostitutio.*
16. *Persarum institutum de educandis liberis.*
17. *Numidarum Regum mos in auctoritate servanda.*

1. [a] IDem sensit proxima majorum nostrorum gravitati [1] Spartana civitas: quæ severissimis [2] Lycurgi legibus obtemperans, [3] aliquandiu civium suorum oculos à contemplanda Asia retraxit; ne illecebris ejus capti, ad delicatius vitæ genus prolaberentur. Audierant enim lautitiam inde, & immodicos sumptus, & omnia non necessariæ voluptatis genera fluxisse: primosque [4] Ionas unguenti, coronarumque in convivio dandarum, & secundæ mensæ ponendæ consuetudinem, haud

INTERPRETATIO.

a *Idem sensit Respublica Spartiatarum, quæ gravitatis studio majoribus nostris similis videtur.*

NOTÆ.

1. *Spartana civitas.*] Spartani adeo voluptatum contemptores fuerunt, patientesque laboris, ut eorum etiam virginibus palæstra, pulvis, militia, venatio in studiis fuerit.

2. *Lycurgi legibus.*] Quas tamen & rectæ rationi, & bonis moribus adversari in his potissimum duobus tradit Aristoteles; quod, & adulteria quorum maritus ipse procurator esset, & furta quæ callide fierent, probarentur.

3. *Aliquandiu.*] Soli toto orbe terrarum septingentos annos, & amplius suis moribus, & nunquam mutatis legibus vixerunt. Cicero pro Flacco.

4. *Ionas.*] Ab Ione Xuthi filio sic nominati sunt; prius Ægialenses dicti; ex Achaia ab Heraclidis pulsi, primum in Atticam sub Melantho, deinde in Asiam, Neleo & Androclo Codri filiis, ducibus, anno mundi 3930. venerunt; & oram illius, quæ ab illis Ionia nuncupata est, urbibus frequentarunt.

parva luxuriæ irritamenta reperiſſe : [a] Ac minime mirum eſt, quod homines labore ac patientia gaudentes, tenaciſſimos patriæ nervos, externarum deliciarum contagione ſolvi & hebetari noluerunt : cum aliquanto faciliorem virtutis ad luxuriam, quam luxuriæ ad virtutem tranſitum viderent. Quod eos non fruſtra timuiſſe dux ipſorum [1] Pauſanias patefecit, qui maximis operibus editis, ut primum ſe Aſiæ moribus permiſit, fortitudinem ſuam, effœminato ejus cultu, mollire non erubuit.

An. M. 3580 Ol. 76. 3. Vrb. C. 279. Ant. C. 473.

2. Ejuſdem civitatis exercitus non ante ad dimicandum deſcendere ſolebant, quam [2] tibiæ concentu & [3] anapæſti pedis modulo cohortationis calorem animo traxiſſent, vegeto & crebro ictus ſono ſtrenue hoſtem invadere admoniti. Idem ad diſſimulandum & occultandum vulnerum ſuorum cruorem, Pœniceis in prælio tunicis utebantur; non, ne ipſis aſpectus ejus terrorem, ſed ne hoſtibus fiduciæ aliquid afferret.

3. Egregios virtutis bellicæ ſpiritus Lacedæmoniorum, prudentiſſimi pacis moribus Athenienſes ſubſequuntur : [b] apud quos [4] inertia è latebris ſuis, languore marcens, in forum perinde ac delictum aliquod protrahitur, fitque ut facinoroſæ, ita erubeſcendæ rea culpæ.

4. Eſt & ejuſdem urbis ſanctiſſimum conſilium [5] Areopagus, ubi quid quiſque Athenienſium ageret, aut quonam quæſtu ſuſtentaretur, diligentiſſime inquiri ſolebat, ut homines honeſtatem (vitæ rationem memores reddendam eſſe) ſequerentur.

INTERPRETATIO.

a *Et nullo modo mirum eſt, quod* Spartani, qui homines erant *ſtudioſi laboris & patientiæ, noluerunt* laboris amorem, & ſobrietatem, quæ ſunt quaſi *nervi firmiſſimi Reipublicæ, ſolvi & relaxari turpi communicatione voluptatum externarum.*

b *Apud quos* cives *inertem vitam agentes & otioſo torpore languidi accuſantur in foro* coram judicibus, *quaſi crimen aliquod admiſiſſent, & puniuntur tanquam rei facinoris probroſi.*

NOTÆ.

1. *Pauſanias.*] Qui Mardonium cum ducentis & amplius Perſarum millibus ad Platæas cecîdit; deinde in Thracia Perſis, vel cæſis, vel fugatis, Byzantium occupavit: tum ſemel atque iterum proditionis & accuſatus & abſolutus eſt: denique conſpirationis cum Hilotis convictus in aſylum fugit, ubi fame necatus eſt.

2. *Tibiæ concentu.*] Idem refert ex Thucydide Gellius.

3. *Anapæſti.*] Pes eſt, qui primas duas ſyllabas breves habet, & ultimam longam.

4. *Inertia.*] Annis ſingulis ſinguli cives judicibus rationem reddere tenebantur, cui arti quis ſe dediſſet, quove quæſtu toleraret vitam, &c.

5. *Areopagus.*] De Areopago tria quærimus; quænam ratio nominis, à quo inſtitutus, quæque fuerit judiciorum forma? Areopagum Martis pagum interpretantur Varro, & Auguſt. collem aut ſaxum Stephanus, Suidas & Scaliger : vicum Budæus. Suſpicor ego, in re enim incerta conjectura uti licet, huic, ſeu pago, ſeu potius colli, primum τῦ πάγε nomen

5. Eadem

5. Eadem bonos cives corona decorandi primo consuetudinem introduxit, duobus oleæ connexis ramulis clarum Periclis cingendo caput. Probabile institutum, rem, sive personam intueri velis. Nam & virtutis uberrimum alimentum est honos; & [1] Pericles dignus, à quo talis muneris dandi posteritas potissimum initium caperet.

6. Age, quid illud institutum Athenarum, quam memorabile? quod convictus à patrono [2] libertus ingratus, jure libertatis exuitur. Supersedeo te, inquit, habere civem, tanti muneris impium æstimatorem: Nec adduci possum ut credam urbi utilem, quem domi scelestum cerno: abi igitur, & esto servus, quoniam liber esse nescisti.

7. Inde [3] Massilienses quoque ad hoc tempus usurpant disciplinæ gravitatem, prisci moris observantia, charitate populi Rom. præcipue conspicui; [a] qui tres in eodem manumissiones rescindi permittunt, si ter ab eodem deceptum dominum cognoverint: Quarto errori subveniendum non putant; quia sua jam culpa injuriam accepit, qui ei se toties objecit. Eadem civitas severitatis custos acerrima est. Nullum aditum in scenam [4] Mimis dando, quorum argumenta majore ex parte stuprorum continent actus; ne talia spectandi consuetudo etiam imi-

INTERPRETATIO.

a Permittunt ut tertia manumissio ejusdem servi rescindatur, si servus ter dominum deceperit; si vero quater deceperit, quartam deceptionem puniendam non arbitrantur.

NOTÆ.

inditum; deinde, vel, quod ibi de Marte judicium habitum sit, ut docet seu fabula, seu historia; vel quod hoc in loco causę de cædibus, quibus Mars dicitur præesse, agerentur, Areopagum dictum esse. II. Areopagum à Solone institutum affirmant Tullius & Plutarchus, negat Aristoteles: alij ad Cecropem ipsum, ut urbis, ita illius judicij originem referunt: horum quis verius dicat, obscurum est. III. Novem erant judices, tum genere, tum virtute nobiles, quos inter Regi locus fuit; non de omni criminum genere, sed de veneno, impietate, incendio & parricidio cognoscebant; idque & noctu & summo silentio, ne reorum vultu, lacrymis, precibus, eloquentia judices moverentur.

1. *Pericles.*] Xantippi Atheniensis filius, vir belli domique illustris; de cujus rebus gestis sæpe postea. Illius mores his verbis expressit Cicero. *Qui cum floreret omni genere virtutis, eloquentia laude fuit clarissimus; vir lenitate & mansuetudine & gravitate conspicuus; qui in summa potentia nihil iræ indulserit: Orator & Philosophus præstantissimus, qui Atheniensium Rempublicam 40. annis gubernavit.*

2. *Libertus ingratus.*] Libertum in hac actione, vel pœna, vel præmium manebat; si vicisset, perfecta libertas; sin minus, servitus perpetua.

3. *Massilienses.*] quorum civitas Massilia in littore Galliæ ad mare Mediterraneum, origine Græca, à profugis ex Asia Phocæensibus condita; cum Cyrus rerum in Asia potiretur. Plutarchus tamen Massaliam Mercatorem nescio quem illius conditorem fuisse memorat: Eustathius vero vult illi nomen impositum ex occursu piscatoris navem religantis, μάσσειν enim Æolice est religare, & ἁλιεὺς piscator.

4. *Mimis dando.*] Mimi ab imi-

tandi licentiam sumat. Omnibus autem, qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiæ quærunt, clausas portas habet, & mendacem & fucosam superstitionem submovendam esse existimans. Cæterum à condita urbe gladius est ibi, quo noxij jugulantur: rubigine quidem exesus, & vix sufficiens ministerio; sed index, in minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis monumenta servanda.

Duæ etiam ante portas eorum arcæ jacent: altera, qua liberorum; altera, qua servorum corpora ad sepulturæ locum plaustro devehuntur: [a] sine lamentatione, sine planctu, luctus funeris die, domestico sacrificio, adjectoque necessariorum convivio, finitur. Etenim quid attinet, aut humano dolori indulgere, aut divino Numini invidiam fieri, quod immortalitatem suam nobiscum partiri noluerit? Venenum cicuta temperatum in ea civitate publice custoditur, quod datur ei, qui causas [1] Sexcentis (id enim Senatus ejus nomen est) exhibuit, propter quas mors sit illi expetenda: [b] Cognitione virili benevolentia temperata, quæ nec egredi vita temere patitur, & sapienter excedere cupienti celerem fati viam præbet; [c] ut vel adversa, vel prospera nimis usis fortuna (utraque enim finiendi spiritus, illa ne perseveret, hæc ne destituat, rationem præbet) comprobato exitu terminetur.

An. M. 4071. 8. Quam consuetudinem Massiliensium non in Gallia ortam, sed è
Ol. 199. 3. Græcia translatam inde existimo, quod illam etiam [2] in Insula Ceo
Vrb. C. 771. servari animadverti, quo tempore Asiam [3] cum Sex. Pompeio petens,
Æræ Ch. 19.

INTERPRETATIO.

a *Luctus terminatur die funeris, sacrificio domestico, & convivio amicorum, sine ullo planctu, & sine ulla lamentatione.*

b Mors eorum qui *viriliter mori cupiunt, est temperata benevolentia* judicum & civium.

c *Ut qui usi sunt fortuna, vel nimis adversa, vel nimis prospera, intereant laudando mortis genere.*

NOTÆ.

tatione nomen habent. Sicut & cothurno Tragici, & Comœdi socco, ita & Mimi nudis pedibus agebant; non personati, sed obliti fuligine; pellibus amicti & tunicis albo distinctis. Illis solemne fuit cum canistris, herbis, hedera, violis, corollis in honorem Bacchi ad numerum saltare, & inde procurrentes, obvium quemque subsannare.

1. *Sexcentis.*] Quos Τιμοῦχοι appellabant. His omnibus præerant viri Quindecim, qui negotia & faciliora & levioris momenti expedirent. Vt quis in hunc ordinem legeretur, duo vulgo requirebant: unum, ut liberos suscepisset: alterum, ut non oriundus aliunde; sed illius pater, avus, proavus, cives fuissent. Strabonem, si quis plura requirat, consulat.

2. *In Insula Ceo.*] Variant hoc in loco MSS. Codices: in aliis enim *Coco*, vel *Ceo*; in aliis *Chio*, vel *Coo* legitur: diversas tamen insulas esse constat. Ex his malim *Ce..n* tetrapolim fuisse duabus vero urbibus Coressa Pœessaque maris fluctibus submersis, cives Iulida & Carthæam migrasse testantur Strabo & Plinius. Nunc *Zia*.

3. *Cum Sexto Pompeio.*] Qui eodem anno, quo Augustus obiit, Consul erat, & Proconsul Asiæ præfuit, cum Germanicus Pisonis insidiis veneno periit in Syria. Vide Pompeiorum familiam.

Iulida oppidum intravi. Forte enim evenit, ut tunc summæ dignitatis ibi fœmina, sed ultimæ jam senectutis, reddita jam ratione civibus, cur excedere vita deberet, veneno consumere se destinarit, mortemque suam Pompeij præsentia clariorem fieri magni æstimarit. Nec preces ejus vir ille, ut omnibus virtutibus, ita humanitatis quoque laudibus instructissimus, aspernari sustinuit. Venit itaque ad eam, facundissimoque sermone, qui ore ejus quasi è beato quodam eloquentiæ fonte manabat, ab incepto consilio diu nequicquam revocare conatus, [a] ad ultimum, propositum exequi passus est; quæ nonagesimum annum transgressa, [b] cum summa & animi & corporis sinceritate, lectulo, quantum dignoscere erat, quotidiana consuetudine cultius strato recubans, & innixa cubito; Tibi quidem, inquit, Sex. Pompei, Dij magis, quos relinquo, quam quos peto, gratias referant: quia nec hortator vitæ meæ, nec mortis spectator esse fastidisti. [c] Cæterum ipsa hilarem Fortunæ vultum semper experta, ne aviditate lucis tristem intueri cogar; reliquias spiritus mei prospero fine, duas filias & septem nepotum gregem superstitem relictura, permuto. Cohortata deinde ad concordiam suos, distributo eis patrimonio, & cultu suo sacrisque domesticis [1] majori filiæ traditis, poculum, in quo venenum ante temperatum erat, constanti dextra arripuit: Tum defusis [2] Mercurio delibamentis, & invocato numine ejus, ut se placido itinere in [3] meliorem sedis infernæ deduceret partem; cupido haustu mortiferam traxit potionem. Ac sermone significans, quasnam subinde partes corporis sui rigor occuparet, cum jam visceribus eum, & cordi imminere esset locuta; [d] filiarum manus ad supremum opprimendorum oculorum officium advocavit. Nostros autem, tametsi novo spectaculo obstupefacti erant, suffusos tamen lacrymis dimisit.

9. Sed ut ad Massiliensium civitatem, unde in hoc diverticulum ex-

INTERPRETATIO.

a *Tandem passus est mortem sibi consciscere, ut proposuerat.*

b *Cum maxima integritate & puritate, & animi & corporis.*

c *Semper experta fortunam mihi faventem, ne illam mihi adversam cogar experiri per nimiam vivendi cupiditatem, malo morte felici deserere, quod mihi reliquum vitæ esse posset, relictura & duas filias, & magnam nepotum multitudinem mihi superstitem.*

d *Advocavit filias, ut supremo officio fungerentur, claudendo ipsius oculos suis manibus; nostri etiam oculi erant lacrymis suffusi, etiamsi eramus attoniti novo illo spectaculo.*

NOTÆ.

1. *Majori filiæ.*] Mos erat, ut majoribus natu sacra domestica traderentur.

2. *Mercurio.*] Qui, & deorum, tum superiorum, tum inferorum nuntius, & animabus mortuorum præesse fingitur. Vnde Virgilius.

Animas ille evocat orco
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit.

3. *Meliorem sedis partem.*] Campum Elysium.

cessi, revertar: intrare oppidum eorum nulli cum telo licet; præstoque est, qui id custodiæ gratia acceptum, exituro reddat; ut hospitia sua, quemadmodum advenientibus humana sunt, ita ipsis quoque tuta sint.

10. [a] Horum mœnia egresso vetus ille mos Gallorum occurrit, quos memoria proditum est, pecunias mutuas, quæ his apud inferos redderentur, dare solitos: quia persuasum habuerunt, animas hominum immortales esse. Dicerem stultos, nisi idem [1] Braccati sensissent quod [2] palliatus [3] Pythagoras credidit.

11. Avara & fœneratoria Gallorum Philosophia: Alacris & fortis [4] Cimbrorum, & [5] Celtiberorum, qui in acie exultabant, tanquam gloriose & feliciter vita excessuri: lamentabantur in morbo, quasi turpiter & miserabiliter perituri. Celtiberi etiam nefas esse ducebant prælio superesse, cum is occidisset, [6] pro cujus salute spiritum devoverant. Laudanda utrorumque populorum animi præstantia, quod & patriæ incolumitatem fortiter tueri, & fidem amicitiæ constanter præstandam arbitrabantur.

12. [7] Thraciæ vero illa natio merito sibi sapientiæ [8] laudem vindicaverit, quæ natales hominum flebiliter, exequias cum hilaritate celebrans, sine ullis doctorum præceptis, [b] verum conditionis nostræ habi-

INTERPRETATIO.

a *Si ex urbe Massiliensium velim egredi, mihi occurrit antiqua illa Gallorum consuetudo.*

b *Perfectè cognovit miseram conditionem vitæ humanæ.*

NOTÆ.

1. *Braccati.*] Gallia omnibus ex partibus Oceano, Pyreneis montibus, Alpibus, Rheno, & mari Mediterraneo circumscribitur. Multiplex olim illius divisio fuit, in Cisalpinam & Transalpinam, Togatam, Comatam & Braccatam, quæ erat Narbonensis Romanorum Provincia. De aliis divisionibus alias.

2. *Palliatus.*] Hoc est Græcus Philosophus, quod pallio, cum Græci omnes, tum maxime Philosophi uterentur.

3. *Pythagoras.*] Mnezarchi annulorum sculptoris filius, ex Insula Samo, Pherecydis discipulus, & Italicæ Philosophiæ Princeps, qui post diuturnam peregrinationem reversus in patriam, Polycrate adhuc in ea dominante, Crotonem in Italia petiit, ibique 600. discipulis floruit, μετεμψυχώσεως primus astructor.

4. *Cimbrorum.*] Qui Insulam incolebant prope Albis ostia, *Danemarck*, vel *Silandia*, acceptis à Romanis cladibus notissimi.

5. *Celtiberorum.*] Qui Iberi fluminis ripas habitabant, ex Strab.

6. *Pro cujus salute spiritum.*] Quod de Celtiberis Valerius & Plutarchus, idem de Gallis prodidit Cæsar l.3. cujus hæc verba sunt: *Cum Sexcentis devotis, quos Soldurios apppellant, quorum hæc est conditio: ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum se amicitiæ dediderunt: si quid iis per vim accidat, aut eumdem casum una ferant, aut sibi mortem consciscant: neque adhuc hominum memoria repertus est quispiam, qui eo interfecto, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusaret.*

7. *Thracia.*] Quæ inter Ægeum mare, Propontidem, Pontum Euxinum, Macedoniam & Mysiam. *Romania.*

8. *Laudem.*] Thracibus hoc commune

tum pervidit. Removeatur itaque naturalis omnium animalium dulcedo vitæ, quæ multa & facere & pati turpiter cogit; si ejus aliquanto felicior ac beatior finis reperietur.

13. Quocirca recte [1] Lycii, cum iis luctus incidit, muliebrem vestem induunt: ut deformitate cultus commoti maturius stultum projicere mœrorem velint.

14. Verum quid ego fortissimos hoc in genere prudentiæ viros laudem? Respiciantur [2] Indorum fœminæ, quæ cum more patrio complures eidem nuptæ esse soleant, mortuo marito, in certamen judiciumque veniunt, quam ex iis maxime dilexerit: Victrix gaudio exultans, deductaque à necessariis lætum præferens vultum, conjugis se flammis superjacit, & cum eo tanquam felicissima crematur: superatæ cum tristitia & mœrore in vita remanent. Protrahe in medium Cimbricam audaciam, adjice Celtibericam fidem, junge animosam Thraciæ sapientiam, annecte Lyciorum in luctibus abjiciendis callide quæsitam rationem: Indico tamen rogo nihil eorum præferes, [a] quem uxoris pietas in modum genialis tori propinquæ mortis secura conscendit.

15. Cui gloriȩ, Pœnicarum fœminarum, ut ex comparatione turpius appareat, dedecus subnectam. [3] Siccæ enim fanum est Veneris, in quod se matronæ conferebant; [b] atque inde procedentes ad quæstum, dotes, corporis injuria, contrahebant, honesta nimirum tam inhonesto vinculo conjugia juncturæ.

16. Jam Persarum admodum probabile institutum fuit, quod liberos suos non prius aspiciebant, quam septimum implessent annum, quo parvulorum amissionem æquiore animo sustinerent.

17. Ne [4] Numidiæ quidem Reges vituperandi, qui more gentis suæ nulli mortalium [5] osculum ferebant. [c] Quicquid enim in excelso fasti-

INTERPRETATIO.

a *Quem rogum uxor pia in maritum, contemnens mortem imminentem, conscendit, tam læto vultu, quam si esset lectus genialis.*

b *Atque inde cupientes habere pecuniam, comparant sibi dotem stupro corporis.*

c *Qui enim positus est in summo culmine honoris & dignitatis, non debet deprimi ad humilem & vulgatam inter plebeios consuetudinem, ut alij majori veneratione illum prosequantur.*

NOTÆ.

fuit cum Agathyrsis, Cæsiis, Indis, aliisque nationibus; de quibus Herod. Mela, & alij.

1. *Lycij.*] Quorum regio Phrygia, Pamphylia, Caria, & mari Mediterraneo clauditur.

2. *Indorum fœminæ.*] Quod & Solinus refert: Thracibus tamen id tribuit Herodotus.

3. *Sicca.*] Vrbs est Africæ trium dierum itinere à Carthagine dissita. Sicca Venerea dicitur Ptolemæo.

4. *Numidiæ.*] Quæ inter mare & Æthiopiam hinc ad Carthaginensium ditionem, inde ad Mauritaniam pertinebat. *Biledulgerid.*

5. *Osculum ferebant.*] Mos osculum figendi, vel honoris, vel amoris causa,

gio positum est, humili & trita consuetudine, quo sit venerabilius, vacuum esse convenit.

Notæ.

ſtante Republica Romæ, vel nunquam, vel raro uſurpatus. Sub Auguſto maxime invaluit; & quamvis à Tiberio edicto prohibitus, ſæpius quam ante uſurpatus eſt: quin etiam Imperatoribus ipſis, quod & amicos & cives primarios oſculo exciperent, laudi datum eſt: cujus rei locupletiſſimos teſtes laudare poſſum Plinium, Suetonium, & Pacatum. Ita Plinius de Trajano loquitur: *Gratum erat cunctis, quod Senatum oſculo exciperes, ſicut dimiſſus oſculo fueras.* In Othone Suetonius; *Mane Galbam ſalutavit, utque conſueverat, oſculo exceptus etiam ſacrificanti interfuit.* Et Pacatus de Theodoſio: *Ille cohoneſtatus affatu, ille menſa beatus, ille oſculo conſecratus eſt.* Hæc ferę Lipſius.

Cap. VII.

DE DISCIPLINA MILITARI.

Observata a Romanis.

1. *P. Scipione Æmilio Coſ.*
2. *Q. Metello Numidico Coſ.*
3. *P. Rupilio Coſ.*
4. *C. Aurelio Cotta Coſ.*
5. *Q. Fulvio Flacco Cenſ.*
6. *A. Poſthumio Tuberto Dict. & T. Manlio Torquato Coſ.*
7. *L. Quintio Cincinnato Dict.*
8. *L. Papirio Curſore Dict.*
9. *L. Calpurnio Piſone Coſ.*
10. *Q. Metello Macedonico Procoſ.*
11. *Q. Fabio Max. Serviliano Procoſ.*
12. *P. Afr. majore Procoſ.*
13. *P. Africano minore Procoſ.*
14. *L. Æmilio Paullo Procoſ.*
15. *Senatu Romano.*

Ab Externis.

1. *Senatu Carthaginienſi.*
2. *Clearcho Spartanorum Duce.*

VEnio nunc ad præcipuum decus, & ſtabilimentum Rom. Imperij, ſalutari perſeverantia ad hoc tempus ſincerum & incolume ſervatum, militaris diſciplinæ tenaciſſimum vinculum; in cujus ſinu ac tutela ſerenus tranquilluſque beatæ pacis ſtatus acquieſcit.

An. M. 3920. Ol. 161. 3. Vrb. C. 619. Ant. C. 133.

1. [1] P. Cornelius Scipio, cui deleta Carthago avitum cognomen dedit, Conſul in Hiſpaniam miſſus, ut inſolentiſſimos [2] Numantinæ urbis ſpiritus [3] ſuperiorum ducum culpa nutritos, contunderet; eodem

Notæ.

1. *P. Cornelius Scipio.*] Africanus Minor Æmilij Pauli filius, & Africani majoris adoptione nepos. De Carthaginis ruina l. 1. c. ...

2. *Numantina urbis.*] Vrbs fuit Celtiberorum in Hiſpania bello in Romanos geſto nobilitata. *Puente Garay.*

3. *Superiorum ducum.*] Septem ante Scipionem in Numantinos duces fuerunt. Cæcilius Metellus, Q. Pompeius,

temporis momento, quo castra intravit, edixit: ut omnia ex his quæ voluptatis causa comparata essent, auferrentur ac summoverentur. Constat tum maximum inde [1] institorum, & lixarum numerum cum duobus millibus scortorum abiisse. Hac turpi atque erubescenda sentina vacuefactus noster exercitus, qui paulo ante metu mortis, [2] deformi se fœderis ictu maculaverat, erecta virtute, recreataque, acrem illam & animosam Numantiam incendiis exustam ruinisque prostratam solo æquavit. Itaque neglectæ disciplinæ militaris indicium, Mancini miserabilis deditio; servatę merces, [3] speciosissimus Scipionis triumphus extitit.

2. Eam sectam [4] Metellus secutus, cum exercitum in Africa, [5] Jugurthino bello nimia [6] Sp. Albini indulgentia corruptum Consul accepisset, [a] omnibus Imperij nervis ad revocandam pristinæ disciplinam militiæ connisus est. Nec singulas partes apprehendit, sed totam continuo in statum suum redegit. Protinus namque lixas è castris summovit, cibumque coctum venalem proponi vetuit: in agmine neminem militum ministerio servorum jumentorumque, ut arma sua & alimenta ipsi ferrent, uti passus est. Castrorum subinde locum mutavit: eadem, tanquam Iugurtha semper adesset, vallo fossaque aptissime cinxit. Quid ergo restituta continentia, quid repetita industria profecit?

An. M. 3945.
Ol. 167. 4.
Vrb. C. 644.
Ant. C. 103.

INTERPRETATIO.

a *Ad restituendam disciplinam antiquæ militiæ, adhibuit omnem authoritatem, quam habet Imperator.*

NOTÆ.

Popilius Lænas, Hostilius Mancinus, Æmilius Lepidus, Furius Philus, & Calphurnius Piso; quorum alij fugati, alij victi à Numantinis.

1. *Institorum & lixarum.*] Institores dicuntur ij, qui jumenta, quibus venalia portantur, agunt; lixæ vero, qui militibus apparant cibum, potum, aliaque, quæ ad victum pertinent.

2. *Deformi se fœderis ictu.*] Duce Mancino, ut l. 1. c. 6. n. 7. explicuimus. Scipio omnia luxuriæ & ignaviæ adjumenta edicto sustulit, ne miles gregarius servum aut equum haberet; ne quisquam ordine egrederetur; ne quis lectis uteretur; & præterea subinde castra movere, juxta ac si instarent hostes; vallo & fossa munire; vigilias crebras ponere, &c.

3. *Speciosissimus Scipionis triumphus.*] Victi à Scipione Numantini intra urbem obsessi sunt; cumque, nec pugnæ copia fieret, nec ulla spes superesset, aut pacis, aut fugæ; in rabiem furoremque conversi, duces suos, se, patriamque ferro, veneno, subjectoque igne peremerunt; ne unus quidem fuit, qui in vinculis duceretur, *prædaque ut de pauperibus nulla, triumphusque fuit tantum de nomine*, inquit Florus. Plinius tamen 17. millia pondo argenti à Scipione delata memorat, sed Floro libentius assenserim; cum illi, & Orosius & alij consentiant.

4. *Metellus.*] Q. Cęcilius Metellus Numidicus, Metelli Calvi filius: de quo plura in gente Cæcilia.

5. *Iugurthino bello.*] Iugurtha Masinissæ nepos, Micipsæ per adoptionem filius, Hiempsalem & Adherbalem Micipsæ filios ac patrueles suos, regno ac vita spoliaret, quare bellum in ipsum gestum est.

6. *Sp. Albini indulgentia corruptum.*] Vel avaritia, ipse enim à Iugurtha pecunia corruptus cum diceretur, lege Manilia damnatus est.

[1] Crebras scilicet victorias, & multa [2] trophæa peperit ex eo hoste, cujus tergum, sub [3] ambitioso Imperatore, Romano militi videre non contigerat.

An. M. 3922. Ol. 162. 1. Vrb. C. 621. Ant. C. 131. 3. [a] Bene etiam illi disciplinæ militari affuerunt, qui necessitudinum perruptis vinculis, ultionem vindictamque læsæ cum ignominia domuum suarum exigere non dubitaverunt. Nam [4] P. Rupilius Consul eo bello, quod [5] in Sicilia cum fugitivis gessit, Q. Fabium generum suum, quia negligentia [6] Taurominitanam arcem amiserat, Provincia jussit decedere.

An. M. 3802. Ol. 132. 1. Vrb. C. 501. Ant. C. 251. 4. Jam [7] C. Cotta [8] P. Aurelium Pecuniolam sanguine sibi junctum,

INTERPRETATIO.

a *Illi etiam multum contulerunt ad observantiam disciplinæ militaris, qui nulla habita ratione cognatorum & amicorum, non dubitarunt sumere ultionem & vindictam ob neglectam disciplinam, etiam cum dedecore suarum familiarum.*

NOTÆ.

1. *Crebras victorias.*] Vbi semel justo prælio Iugurtham vicit, Numidiam populatus Zamam obsidet; deinde Regi pacem petenti deditionem imperat; at ille supplicij metu deterritus, iterum prælium parat; eandemque quam antea fortunam expertus, ad Bocchum Mauritaniæ Regem fugit; tumque Metello Marius subrogatur. Hæc multis Sallustius.

2. *Trophæa.*] Trophæum seu Tropæum; sic enim rectius scribitur; monumentum fuit à victore erectum ibi, ubi hostem fuderat: primum quidem rapta ex hoste spolia arborum ramis suspensa; deinde turres ædificari cœptæ. Apud Romanos primi Domitius Ænobarbus & Fabius Maximus saxeas erexere turres, & desuper exornata armis hostilibus trophæa fixere, ut auctor est Florus.

3. *Ambitioso Imperatore.*] Sp. Albino, qui, quo militi gratior esset, ejus libidini obsequebatur.

4. *P. Rupilius.*] Non Rupilius; sed P. Rutilius Rufus, qui paulo post publico judicio eo damnatus est, quod in amicos Ti. Gracchi consuluisset asperius.

5. *In Sicilia cum fugitivis.*] Dum bellis variis distinentur Romani, Eunus quidam natione Syrus fanatico furore simulato servos, quasi Syriæ deæ imperio, ad libertatem vocat; & 60. amplius millium collegit exercitum. Ita Florus. Alterum addit Livius nomine Cleonem, qui septuaginta servorum millia contraxit; utrumque conjungit Diodorus. Ab his Prætorum quatuor Manilij, Lentuli, Pisonis, & Hypsæi sæpe fusi exercitus, castraque direpta, donec Consul Rutilius contra eos missus est.

6. *Taurominitanam arcem.*] Tauromininium Straboni urbs est Siciliæ, Romanorum Colonia; nunc *Taormina*: Ptolemæo mons, cui civitas erat imposita, tum à servis occupata. A Rutilio, vi Tauromimio, proditione Enna captis, servorum alij in prælio ceciderunt, pars acti præcipites, pars suppliciis necati. Cleon eruptione facta fortiter dimicans occubuit, Eunus à Romanis captus in carcere misere periit. Hæc Diodorus.

7. *C. Cotta.*] Male à Sigonio vocatur Valerius. Huic primo ex gente Aurelia Cottæ ob iracundiam nomen inditum. Vnde distichon illud;

Irasci faciles Cottas, vultuque severos
Fama refert; domui nomen & inde datum.

8. *P. Aurelium Pecuniolam.*] Nec cum Valerio, nec inter se consentiunt Frontinus & Zonaras: ille enim Valerium, hic Q. Cassium appellat. Ille, sicuti Valerius, virgis cæsum; hic dignitate dejectum scribit, quod præter Consulis mandatum

quem

quem obsidioni Liparitanæ ad auspicia repetenda [1] Messanam transiturus præfecerat, virgis cæsum, [2] gregalis militiæ munere inter pedites fungi coëgit; quod ejus culpa [3] agger incensus, & pene castra fuerunt capta.

5. Q. etiam Fulvius Flaccus Censor, [4] Fulvium fratrem [5] cohortem legionis, in qua Tr. militum erat, injussu Consulis domum dimittere ausum, Senatu movit. Non digna exempla, quæ tam breviter, nisi majoribus urgerer, referrentur. [a] Quid enim tam difficile factu, quam copulato societate generis & imaginum, deformem in patriam reditum indicere? aut communione nominis, ac familiæ veteris propinquitatis serie cohærenti, virgarum contumeliosa verbera adhibere? aut censorium supercilium adversus fraternam charitatem distringere? [b] Dentur hæc singula quamvis claris civitatibus, abunde tamen gloria disciplinæ militaris instructæ videbuntur.

An. M. 3801. Ol. 132. 1. Vrb. C. 501. Ant. C. 251.

An. M. 3880. Ol. 151. 3. Vrb. C. 579. Ant. C. 172.

6. [c] At nostra urbs, quæ omni genere mirificorum exemplorum totum orbem terrarum replevit, Imperatorum proprio sanguine manantes secures (ne turbato militiæ ordine vindicta deesset) è castris publice speciosas, privatim lugubres duplici vultu recepit: incerta gratulandi prius, an alloquendi officio fungeretur. Igitur ego quoque hæsitante animo vos, bellicarum rerum severissimi custodes, [6] Posthumi Tuberte, & Manli Torquate, memoria ac relatione complector; quia animadverto

INTERPRETATIO.

a *Quid enim tam factu difficile, quam imperare reditum in patriam ignominiosum homini conjuncto & sanguinis & stemmatis vinculo*, ut fecit Rutilius; *aut virgis cædere, quod supplicium infame, affinem ejusdem & nominis & familiæ*, ut Cotta: *aut exercere censoriam severitatem contra fratrem, ut Fulvius.*

b *Si civitates aliæ etiam potentes haberent singula, vel unum hujusmodi exemplum, merito gloriari possent de observata disciplina militari.*

c *Vrbs nostra, cum dubitaret, an deberet gratulari Imperatoribus* ob victoriam, *an consolari victores ob mortem filiorum, aspexit ambiguo vultu secures Imperatorum fluentes sanguine natorum; & sicut publicæ rei gloriosas, ita privatis familiis lugubres.*

NOTÆ.

datum urbem aggressus multos è suis amisisset.

1. *Messanam.*] Vrbem Siciliæ Peloro promontorio propinquam, à Messeniis Achaiæ populis conditam: cujus incolæ primum Messanenses, deinde Mamertini dicti sunt. *Messine.*

2. *Gregalis militiæ.*] Gregales milites, ut ex ultimis Centuriarum Decuriis delecti; ita ad infima quæque deputati.

3. *Agger incensus.*] Sic quidem legit Pighius; at, qui agger cum è terra esset, incendi potuit? melius, opinor, Lipsius; *agger inscensus*; nam inscendi & conscendi vallum, trita est lectio.

4. *Fulvium fratrem.*] Q. Fulvius Flaccus, de quo superius, duos fratres habuit M. & Cn. Fulvios: illum in Hispaniam legatum duxit; hunc Censor Senatu movit.

5. *Cohortem legionis.*] Quid Cohors, quid Legio, quis Tribunus Militum, in Militia Romanorum diximus.

6. *Posthumi Tuberte.*] Ab aliis Aulus, Spurius ab aliis dicitur, qui Dictator Volscos & Æquos insigni pugna superavit.

fore, ut pondere laudis, quam meruistis, obrutus, magis imbecillitatem ingenij mei detegam, quam vestram virtutem, sicut par est, repræsentem. Tu namque Posthumi Dictator, A. Posthumium, quem ad generis penetraliumque sacrorum successionem propagandam genueras; cujus infantiæ blandimenta sinu atque osculis foveras; quem puerum literis, quem juvenem armis instruxeras; sanctum, fortem, amantem tui pariter ac patriæ; quia non tuo jussu, sed sua sponte præsidio progressus, hostes fuderat,[1] victorem securi feriri jussisti; & ad hoc peragendum imperium, paternæ vocis ministerio sufficere valuisti. [a] Nam oculos tuos, certum scio, clarissima in luce tenebris offusos, ingens animi opus intueri nequivisse. Tu item, Manli Torquate [2] Latino bello Consul, filium, quod provocatus à Geminio Metio duce Tusculanorum ad dimicandum, [3] te ignaro descenderat, gloriosam victoriam & [4] speciosa spolia referentem, [5] abripi à lictore, & in modum hostiæ mactari jussisti: satius esse judicans, patrem forti filio, quam patriam militari disciplina carere.

An. M. 3624. Ol. 87. 3. Vrb. C. 323. Ant. Ch. 429.

An. M. 3714. Ol. 110. 1. Vrb. C. 413. Ant. Ch. 339.

7. Age, quanto spiritu putamus usum L. [6] Quinctium Cincinnatum Dictatorem eo tempore, quo [7] devictis Æquis, &

An. M. 3597. Ol. 80. 4. Vrb. C. 296. Ant. Ch. 256.

INTERPRETATIO.

a *Et ad hoc mandatum* de morte filij *exequendum satis fuit, ut sola voce id lictoribus imperares: nam certe scio, te obrutum mœrore, licet mens tua esset in luce clarissima*, dum patriæ bono prospicit, *non potuisse intueri ingens illud opus fortitudinis*.

NOTÆ.

1. *Victorem securi.*] Ab hac opinione dissentit Livius l. 4. qui Posthumij filium à patre securi percussum negat: *Nec libet*, inquit, *credere, & licet in variis opinionibus: & argumento est, quod imperia Manliana, non Posthumiana appellata sint, quum qui prior auctor tam sævi exempli foret, occupaturus insignem titulum crudelitatis fuerit.*

2. *Latino bello.*] In bello Gallico id contigisse dicit apud Sallustium Cato in Oratione contra Catilinam: falsus tamen, seu Cato, seu Sallustius opinione sua est; nam bello Latino accidisse ex aliis omnibus liquet, cum Decius Consulum alter se devovit.

3. *Te ignaro.*] Invito; edixerant enim Consules, ne quis extra ordinem in hostem pugnaret.

4. *Speciosa spolia referentem.*] T. Manlius cum suis turmalibus, supra hostium castra ad teli iactum evaserat; cum illum Metius ad singulare certamen provocat: Movet ferocem animum juvenis, seu ira, seu pudor; oblitus itaque imperij patrij, præceps ad id certamen agitur, spiculumque fixit inter aures equi hostilis; cujus doloris impatiens equus excussit equitem, quem cuspide Manlius terræ affixit.

5. *Abripi à lictore.*] Ad patris prætorium cum spoliis tendebat Manlius, ignarus futuri. *Vt me omnes*, inquit, *pater, tuo sanguine ortum vere ferrent, provocatus, equestria hæc spolia capta ex hoste cæso porto.* Quod ubi audivit Consul, filium aversatus, concionem classico advocari jubet; quæ, ut frequens convenit, filium arguit violati imperij; tum ad palum alligari, cervicesque amputari imperat.

6. *Quintium Cincinnatum.*] Gentis Quintiæ principem, qui semel Consul, bis Dictator fuit: de quo sæpe postea.

7. *Devictis Æquis.*] Sabini & Æqui illis finitimi à Romanis defecerant: contra Sabinos Nautius, adversus Æquos Minucius movit; qui, dum in castris se pavi-

[1] sub jugum missis, [2] L. Minutium [3] Consulatum deponere coëgit, quod castra ejusdem hostes obsederant? Indignum enim maximo imperio credidit, quem non sua virtus, sed fossa vallumque tutum præstiterat; cuique verecundiæ non fuerat, arma Romana metu trepida clausis portis contineri. [a] Ergo imperiosissimi XII. fasces, penes quos Senatus & Equestris Ordinis, & universæ plebis summum decus erat, quorumque nutu Latium, ac totius Italiæ vires regebantur, contusi atque fracti Dictatoriæ se animadversioni substraverunt. Ac ne inulta foret læsa gloria militaris, Consul delicti omnis vindex punitus est. His (ut ita dicam) piaculis, Mars imperij nostri pater, ubi aliqua ex parte à tuis auspiciis degeneratum erat, numen tuum propitiabatur: affinium & cognatorum & fratrum nota, filiorumque strage, [b] ignominiosa Consulum ejuratione.

8. Ejusdem ordinis est quod sequitur. [4] Papirius Dictator, cum adversus imperium ejus Q. Fabius Rullianus Magister Equitum exercitum [5] in aciem eduxisset, quanquam fusis Samnitibus in castra redierat, tamen neque virtute ejus, neque successu, neque nobilitate motus, virgas expediri, eumque [6] nudari jussit. O spectaculum admira-

An M. 3730.
Ol. 114. 1.
Vrb. C. 429.
Ant. Ch. 323.

Interpretatio.

a *Ergo Consul, ante quem portantur duodecim fasces, quæ signa sunt summi imperij, & decus Senatus, &c. se submisit punitioni sibi imperatæ à Dictatore.*

b *Ignominiosa depositione Consulum.*

Notæ.

dus tenet; ita ab hoste obsessus est, ut nec egredi, nec victum tolerare liceret: quod ut Romam allatum, Quintius Cincinnatus operi agresti intentus ab altero Consule Dictator dicitur: continuo in hostes profectus, eos post acre certamen in castra pulsos ad deditionem compulit, peractoque triumpho die 16. Dictaturam deposuit.

1. *Subjugum missis.*] Tribus hastis jugum fit, humi fixis duabus, superque eas transversa una deligata; sub hoc jugo Dictator Æquos misit.

2. *L. Minutium.*] Augurinum, qui aliquanto post Præfectus annonæ, nefaria Sp. Melij consilia aperuit.

3. *Consulatum deponere.*] Consularem exercitum, ipsumque Consulem increpans: *Carebis*, inquit, *præda parte miles ex eo hoste, cui prope præda fuisti; & tu L. Minuci, donec Consularem animum incipias habere, legatus his legionibus præeris.* Ita se Minutius abdicat Consulatu, jussusque ad exercitum manet. Hæc Livius l. 3.

4. *Papirius.*] L. Papirius Cursor, vir animi vigore & corporis viribus excellens, Consulatibus quinque, duabus Dictaturis, & tribus de Samnitibus triumphis clarissimus. De Fabio Rulliano jam antea sæpius.

5. *In aciem eduxisset.*] Incertis auspiciis in Samnium Dictator venerat; itaque monitus à Pullario, repetendorum auspiciorum causa Romam revertitur; simulque Magistro Equitum denunciat, ne se absente cum hoste manum conserat: Fabius tamen, cum comperisset apud hostes soluta esse omnia, occasione rei bene gerendæ incitatus conflixit, eaque fortuna pugnæ fuit, ut viginti hostium millia cæsa eo die dicantur.

6. *Nudari jussit.*] Præter spretum imperium, duo præcipue Papirium pupuge-

bile! & Rullianus, & Magister Equitum, & victor, scissa veste, spoliatoque corpore, lictorum verberibus lacerandus: [a] ut in acie exceptorum vulnerum nodosis ictibus cruore renovato, victoriarum, quos modo speciosissimos erat adeptus titulos, respergeret. Precibus deinde suis exercitus occasionem Fabio confugiendi in urbem dedit; ubi frustra Senatus auxilium imploravit. Nihilo minus enim Papirius in exigenda pœna perseveravit: Itaque coactus est [1] pater ejus, post Dictaturam, tertiumque Consulatum, rem ad populum devocare, auxiliumque Tribunorum plebis supplex pro filio petere. Neque hac re [2] severitas Papirij refrenari potuit: Ceterum, [3] cum ab universis civibus, & ipsis Tribunis plebis rogaretur; testatus est, non pœnam illam se Fabio, sed populo Romano & Tribunitiæ concedere potestati.

An: M. 3921. Ol. 161. 4. Vrb. C. 620. Ant. Ch. 132.

9. [4] L. quoque Calpurnius Piso Consul, cum in Sicilia bellum adversus fugitivos gereret, & C. Titius Equitum Præfectus, fugitivorum multitudine circumventus, [5] arma cum suis tradidisset; his Præfectum ignominiæ generibus affecit. Jussit eum toga laciniis abscissis amictum discinctaque tunica indutum, nudis pedibus, à mane in noctem [b] usque ad principia per omne tempus militiæ adesse. Interdixit etiam ei convictum hominum, usumque balnearum: [6] turmasque equitum, quibus præfuerat, ademptis equis in funditorum alas transcripsit. Magnum profecto dedecus patriæ magno Pisonis decore vindicatum est: quoniam quidem id egerit, ut qui cupiditate vitæ adducti, [c] cruce dignissimis fugitivis trophæa de se statuere concesserant, liberta-

INTERPRETATIO.

a *Vt macularet gloriam victoriæ, quam modo retulerat, sanguine iterum nodosis virgarum ictibus ducto ex vulneribus, quæ in pugna acceperat.*

b *Iussit à leße usque ad stationem primam in acie per omne tempus quo arma ibi gerebat.*

c Sua ignavia *passi erant, ut fugitivi morte turpissima digni de se trophæa armis traditis erigerent; & servi imponerent ipsis hominibus liberis jugum infame.*

NOTÆ.

runt; unum, quod arma hostilia Fabius cremasset; alterum, quod ad Senatum, non ad se de victoria scripsisset.

1. *Pater ejus.*] Fabius Ambustus.

2. *Severitas.*] Infestus enim paulo post Romam venit Papirius, & universo Senatu frustra deprecante, prehendi Fabium imperat.

3. *Cum ab universis civibus.*] Cum populus universus, Tribunique plebis pœnam deprecarentur; & ipse adolescens paterque procumberent ad genua Dictatoris; tum ille facto silentio; *Bene habet,* inquit, *Quirites; vicit disciplina militaris, vicit imperij majestas; non noxa eximitur Q. Fabius, sed noxa damnatus donatur populo Romano, donatur Tribunitiæ potestati. Vive Q. Fabi, felicior hoc consensu civitatis ad tuendum te, quam, qua paulo ante exultabas victoria.* Ita fere Livius l.8.

4. *L. Calpurnius Piso.*] Qui ob frugalitatem primus frugi dictus est. De fugitivis supra.

5. *Arma cum suis tradidisset.*] Loco tantum cessisse hostibus scribit Frontinus.

6. *Turmas equitum.*] Quid equitum

tique suæ servili manu flagitiosum imponi jugum non erubuerant; amarum lucis usum experirentur, mortemque, quam effœminate timuerant, viriliter optarent.

10. Nec minus Pisone acriter [1] Q. Metellus, qui cum apud [2] Contrebiam res gereretur, collocatas à se in quadam statione quinque cohortes, atque ex ea viribus hostium depulsas, [3] repetere eandem stationem è vestigio jussit: non quod speraret ab iis amissum locum recuperari posse, sed ut præteritæ culpam pugnæ, insequentis certaminis manifesto periculo puniret. Edixit etiam, ut si quis ex his fugiens castra petiisset, pro hoste interficeretur. Qua severitate compressi milites, corporibus fatigatis, & animis desperatione vitæ implicatis, loci tamen iniquitatem, multitudinemque hostium superarunt. [a] Humanæ igitur imbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas.

An. M. 391. Ol. 159. 3. Urb. C. 611. Ant. C. 141.

11. In eadem Provincia [4] Q. Fabius Max. ferocissimæ gentis animos contundere & debilitare cupiens, mansuetissimum ingenium suum, ad tempus deposita clementia, sæviore uti severitate coëgit. Omnium enim qui [5] ex præsidiis Romanis ad hostes transfugerant, captique erant, manus abscidit; ut trunca præ se brachia gestantes, defectionis metum reliquis injicerent. Rebelles itaque manus à corporibus suis distractæ, inque cruentato solo sparsæ, cæteris, ne idem committere auderent, documento fuerunt.

An. M. 3913. Ol. 159. 4. Vrb. C. 612. Ant. C. 140.

12. Nihil mitius superiore Africano: is tamen ad firmandam disciplinam militarem, [b] aliquid ab alienissima sibi crudelitate amaritudinis mutuandum existimavit. Siquidem devicta Carthagine, cum omnes

INTERPRETATIO.

[a] *Necessitas habet maximam vim ad confirmandam humanam infirmitatem.*

[b] *Aliquod exemplum maximæ severitatis faciendum putavit, licet sua natura à crudelitate abhorreret.*

NOTÆ.

turma, quid alea funditorum, quis Præfectus equitum, docebit de re militari dissertatio.

1. *Metellus.*] Macedonicus, qui bellum in Hispania, & Consul, & Proconsul gessit.

2. *Contrebiam.*] Celtiberiæ civitatem, quæ Ortelio eadem est ac Cantobrica.

3. *Repetere eandem stationem.*] Cum omnes in procinctu testamenta facerent, velut ad certam mortem ituri; non deterritus Metellus illos redire jussit. Ita Florus.

4. *Q. Fabius Maximus.*] Servilianus adoptatus in gentem Fabiam, qui bellum cum Viriatho feliciter gessit: non recte ab Appiano Æmilianus dicitur.

5. *Ex præsidiis Romanis.*] Aliter Appiano, aliter etiam Orosio placet, quorum uterque transfugis manus abscissas negat; idque supplicij genus inflictum affirmat, ille militibus latronis cujusdam nomine Cannobæ; hic civibus oppidi Baccia, quod cum Viriathus obsedisset, Fabius quidem pulsis hostibus liberaverit; sed quingentis civium principibus manus præscindi jusserit. Vix ego adduci possum, ut credam tanta fuisse immanitate Fabium, ut & in socios & in amicos tam crudeliter sæviret.

qui ex nostris exercitibus ad Pœnos transierant, [1] in suam potestatem redegisset; gravius in Romanos, quam in [2] Latinos [3] transfugas animadvertit. Hos enim tanquam patriæ fugitivos crucibus affixit, illos tanquam perfidos socios securi percussit. Non prosequar hoc factum ulterius, & quia Scipionis est, & quia Romano sanguini, quamvis merito perpesso, servile supplicium insultare non attinet: cum præsertim transire ad ea liceat, quæ sine domestico vulnere gesta narrari possunt.

An. M. 3908. Ol. 158. 3. Vrb. C. 607. Ant. Ch. 145.

13. Nam posterior Africanus, everso Punico imperio, exterarum gentium transfugas, in edendis populo spectaculis, feris objecit.

An. M. 3886. Ol. 153. 1. Vrb. C. 585. Ant. Ch. 167.

14. Et L. Paullus Perse Rege superato ejusdem generis & culpæ homines elephantis proterendos substravit: utilissimo quidem exemplo, si tamen acta excellentissimorum virorum humiliter æstimare sine insolentiæ reprehensione permittitur. [a] Aspero enim & [4] abscisso castigationis genere militaris disciplina indiget: quia vires armis constant, quæ ubi à recto tenore desciverunt, oppressura sunt, nisi opprimantur.

An. M. 3842. Ol. 142. 1. Vrb. C. 541. Ant. Ch. 211.

15. Sed tempus est eorum quoque mentionem fieri, quæ jam non à singulis, verum ab universo Senatu pro militari more obtinendo, defendendoque administrata sunt. [5] L. Marcius Tribunus militum, cum reliquias duorum exercituum P. & Cn. Scipionum, quos arma Pœnorum in Hispania absumpserant, dispersas mira virtute collegisset, earumque suffragiis dux esset creatus; Senatui de rebus actis à se scribens, in hunc modum orsus est: L. MARCIUS PROPR. Cujus honoris usurpatione uti eum Patribus Conscriptis non placuit; quia duces à po-

INTERPRETATIO.

a *Militaris enim disciplina indiget punitionis genere severo & compendioso*, abscissa omni mora: *quia robur exercitus constat armatis militibus, qui postquam desciverunt à recto tramite per* seditionem, duces *opprimunt, nisi* mature *ab iis puniantur.*

NOTÆ.

1. *In suam potestatem redegisset.*] Scipio victis in Africa Syphace & Annibale, Carthaginem terra marique oppugnabat, cum Pœni legatos de pace Romam mittunt; sed pacis legibus Scipioni permissis, ut auctores sunt Polybius & Livius, ab eo jussi sunt naves longas, elephantos, perfugas, fugitivos, captivosque tradere.

2. *Latinos.*] Non abs re erit hic annotare, quid Latinos inter & Italicos interfuerit. Qui agrum Romanum colerent in Latio Latini; qui alium alibi, Italici dicebantur: Iure Latij, quod Romano quidem deterius, Italico vero commodius erat, fruebantur Latini, Italici non item.

3. *Transfugas.*] Multi tamen, cum nec fugæ, nec veniæ, nec salutis spes esset ulla, sese vivos in Æsculapij templo combusserunt.

4. *Abscisso castigationis genere.*] Si quis quid deliquisset, ad judicium crimen admissum referri debuit; at interdum, ne supplicij mora, scelus aliud ex alio nasceretur ante judicium Imperator pro arbitrio, pœnæ & genus & modum imperabat.

5. *L. Marcius.*] De morte Scipio-

pulo, non à militibus creari solerent. [a] Quo tempore tam angusto, tamque gravi, propter immane Reipublicæ damnum etiam Trib. militum adulandus erat, quoniam quidem ad statum totius civitatis corrigendum unus suffecerat. Sed nulla clades, nullum meritum valentius militari disciplina apud Senatum fuit: succurrebat enim quam animosa severitate Tarentino bello majores eorum usi fuissent; in quo quassatis & attritis Reip. viribus, cum magnum [1] captivorum civium suorum numerum à Pyrrho Rege ultro missum recepissent, decreverunt, ut ex iis, qui equo meruerant, peditum numero militarent; qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transcriberentur: neve quis eorum intra castra tenderet, [b] neve locum extra assignatum, vallo aut fossa cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet: Recursum autem iis ad pristinum militiæ ordinem proposuerunt, [c] si quis bina spolia ex hostibus tulisset: Quibus suppliciis compressi, ex deformibus Pyrrhi munusculis, acerrimi hostes extiterunt. Parem iram adversus illos Senatus distrinxit, [2] qui apud Cannas Remp. deseruerant. Nam cum eos gravitate decreti ultra mortuorum conditionem relegasset, acceptis à M. Marcello litteris, ut eorum sibi opera ad expugnationem Syracusanam uti liceret;

An.M.3776.
Ol 125. 3.
Vrb.C. 475.
Ant. Ch. 277.

An.M. 3838.
Ol. 141. 1.
Vrb. C. 537.
Ant.Ch. 215.

INTERPRETATIO.

[a] Quo tempore tam adverso Romanis, tamque duro propter ingentes clades à Republica acceptas, etiam Tribunus militum erat adulatione in officio retinendus; & ipse Marcius unus reparaverat miserum civitatis statum: sed militaris disciplina plus valuit apud Senatum, quam clades tunc accepta, & magna Marcij merita.

[b] Ne locum sibi assignatum extra castra vallo aut fossa muniret.

[c] Si quis retulisset spolia ex duobus hostibus à se occisis: Qua pœna coacti sunt præstare se acerrimos hostes Pyrrhi, qui illos Senatui gratis tanquam munus remiserat. Senatus exercuit similem severitatem contra illos qui in pugna Cannensi ab hostibus capti videbantur Rempublicam deseruisse: cum enim illos gravi decreto relegasset in Siciliam, quod exilium illis morte durius erat, acceptis à M. Marcello literis, &c.

NOTÆ.

num Marcijque victoriis vide l. 1. c. 6 n. 2.

1. *Captivorum civium.*] De captivis à Pyrrho remissis inter Scriptores minime convenit: tradit Plutarchus captivos ex Cyneæ sententia Fabricio traditos; ea tamen lege, ut si pacem abnuisset Senatus, ad Pyrrhum reducerentur; eosque reipsa, pace repudiata, remissos. Eutropius & Frontinus eumdem obtinere gradum prohibitos, nisi bina prius ex hoste spolia tulissent: Zonaras notatos ignominia, nec contra Pyrrhum deinceps arma tulisse; sed alios in alia præsidia amandatos. Auctores illos inter se conciliandi facilis hæc ratio mihi visa est: bis captivos Fabricio Pyrrhus tradidit, semel post relatam de Lævino victoriam; iterum post detectam à Fabricio perfidiam Timocharis. Primum quidem, auctore Appio, ad Pyrrhum remissi, ut scribit Plutarchus, deinde vero recepti; at iis, quas Valerius, Eutropius & Frontinus memorant, infamiæ notis insigniti.

2. *Qui apud Cannas, &c.*] Eorum alij è prælio rebus perditis, alij capti ab hostibus ruptis vinculis aufugerant, multi etiam ab Annibale venumdati: qui frequentes ad Marcellum, dum Syracusanam

rescripsit indignos esse, qui in castra reciperentur. Cæterum, se ei permittere, ut faceret quod expedire Reip. judicasset, dum [a] ne quis ex eis munere vacaret, aut dono militiæ donaretur, aut in Italiam, donec hostes in ea essent, accederet. Sic enerves animos odisse virtus solet. Age, quam graviter Senatus tulit, quod [1] Q. Petillium Consulem fortissime adversus Ligures pugnantem occidere milites passi essent? Legioni enim neque [2] stipendium anni procedere, [3] neque æra dari voluit: quia pro salute Imperatoris, hostium telis se non obtulerant. Idque decretum amplissimi Ordinis, speciosum & æternum Petillii monumentum extitit, [b] sub quo in acie, morte, in Curia ultione clari cineres ejus acquiescunt. Consimili animo, cum ei Annibal sex millium

An.M. 3838. Ol. 141. 1. Urb. C. 537. Ant. C. 215.

Romanorum, quæ capta in castris habebat, redimendorum potestatem fecisset, [4] conditionem sprevit; memor tantam multitudinem armatorum juvenum, si honeste mori voluissent, turpiter capi non potuisse. [c] Quorum nescio utrum majus dedecus fuerit, quod patria spei, an quod hostis metus nihil in his reposuerit: hæc pro se, ille ne adversus se dimicarent, parvi pendendo. Sed cum aliquoties Senatus pro militari disciplina se severum exhibuerit, nescio an tum præcipue, cum mi-

INTERPRETATIO.

a *Ne quis eorum militiæ vacationem haberet, &c.*

b *Sub quo* monumento *conquiescunt Petilii cineres illustres, & in bello ob mortem fortiter obitam, & in Senatu ob vindictam sumptam de ignavis militibus.*

c *Dubium est an illorum major fuerit infamia, quod hostis illos non timuerit, an quod patria non speraverit ab iis se posse defendi; dum hæc non curat, ut pro se pugnent, & ille non metuit ne contra se dimicent.*

NOTÆ.

obsidionem cogitat, accurrunt, honestumque militandi ordinem postulant: quorum ille & precibus & lacrymis commotus, ad Senatum rescripsit.

1. *Q. Petillium.*] Consule l. 1. c. 5. n. 9. ubi pugnam, in qua cecidit, descripsimus.

2. *Stipendium.*] Fuit æs, vel semestre, vel annuum datum militi: quo si privaretur, ære dirutus dicebatur.

3. *Neque æra dari voluit.*] Duplex fuit apud Romanos in milites animadversio; altera levior; gravior altera: levior, quæ famæ dedecus, gravior, quæ corpori vel vulnus, vel mortem intulit. Ad leviorem pertinuit ignominiosè dimitti, stipendio legitimo spoliari, fossam fodere, discinctum destitui, cibum stantem capere, hordeo pasci, &c. Ad graviorem vero, cædi virgis, securi percuti, in crucem tolli, &c.

4. *Conditionem sprevit.*] Victor Annibal in singula capita pretium statuerat, equiti quingentos nummos, tricenos pediti, servo terdenos: quare captivi legatos cum Carthalo Nobili Pœno Romam miserunt; at Carthaloni lictor venit obviam, qui Senatus nomine nunciaret, ut ante noctem excederet Romanis finibus: è captivis vero, qui apud suos manere volebant, ad Annibalem remissi; qui fuga sibi consuluerant, vel infamia à Censoribus notati, vel variis etiam suppliciis affecti: qui apud Annibalem erant, nobilissimi quique missi Carthaginem, alii occisi, pars venundati, multi inter se dimicare coacti. Ita Polyb. Livius, Zonaras & alii.

Lites

lites qui [1] Rhegium [2] injusto bello occupaverant, mortuoque duce Jubellio, M. Cæsium Scribam ejus sua sponte Imperatorem delegerant, carcere inclusit, ac M. Fulvio Flacco Tribuno plebis denunciante, ne in cives Romanos [3] adversus morem majorum animadverteret, nihilominus propositum executus est. Cæterum quo minore cum invidia id perageretur, [4] quinquagenos per singulos dies virgis cæsos, securi percuti jussit, eorumque corpora sepulturæ mandari, mortemque lugeri vetuit.

An. M. 3783.
Ol 127. 2.
Vrb.C. 482.
Ant. Ch. 270

NOTÆ.

1. *Rhegium.*] In Brutiis ad oram freti Siculi, ex adverso Messanæ urbis. *Regio.*

2. *Injusto bello.*] Rem & fusius & clarius Polybius narrat. Quo tempore Pyrrhus Tarentinis venit auxilio, Rhegini suis diffisi viribus Romanos evocant; qui ad quatuor millia urbem ingressi duce Decio Campano, aliquanto post civibus, partim exilio, partim morte mulctatis, urbem retinent: quodque Romani variis essent impliciti bellis, hoc facinus diu inultum fuit; ab iis tandem Rhegium obsessum, militesque Decij gladio omnes, alij pugnando, alij in carcere perierunt.

3. *Adversus morem majorum.*] Nam lege cautum erat, ne civis Romanus aut cæderetur virgis, aut capite plecteretur.

4. *Quinquagenos.*] Legio integra ex Orosio; trecenti ex Polyb. deducti in forum, cæsi virgis, securique percussi.

EXTERNA EXEMPLA.

1. Leniter hoc Patres Conscripti, si Carthaginensium Senatus in militiæ negotiis procurandis violentiam intueri velimus, à quo [a] duces bella pravo consilio gerentes, etiam si prospera fortuna subsecuta esset, cruci tamen suffigebantur: [b] quod bene gesserant, Deorum immortalium adjutorio; quod male commiserant, ipsorum culpæ imputantes.

2. Clearchus vero Lacedæmoniorum dux egregio dicto disciplinam militiæ continebat, identidem exercitus sui auribus inculcando, à militibus Imperatorem potius, quam hostem metui debere. [c] Quo aperte denunciabat, futurum ut spiritum pœnæ impenderent, quem pugnæ acceptum ferre dubitassent. Idque à duce præcipi non mirabantur, maternarum blanditiarum memores, quæ exituros eos ad præliandum monebant, ut aut vivi cum armis in conspectum earum venirent, aut mortui in armis referrentur. [d] Hoc intra domesticos parietes accepto signo, Spartanæ acies dimicabant. Sed aliena prospexisse tantummodo satis est, cum propriis multoque uberioribus & felicioribus exemplis gloriari liceat.

INTERPRETATIO.

a *Duces bella gerentes parum prudenter.*

b *Tribuebant auxilio deorum immortalium, quod feliciter bellum gesserant; ipsorum vero ducum culpæ, quæ imprudenter fecerant.*

c *Quo aperte illis prædicebat vitam eos supplicio amissuros, si illam in pugna perdere timerent.*

d *Acies Lacedæmoniorum pugnabant acceptis intra domesticos parietes his monitis, velut quodam vexillo.*

CAP. VIII.

DE IURE TRIUMPHANDI.

DIsciplina militaris acriter retenta, principatum Italiæ Romano Imperio peperit; & multarum urbium, magnorum Regum, validissimarum gentium regimen largita est; [1] fauces Pontici sinus patefecit; [2] Alpium, [3] Taurique montis convulsa claustra tradidit; [a] ortumque è parvuli Romuli casa totius terrarum orbis fecit columen. Ex cujus sinu quoniam [4] omnes triumphi manârunt, sequitur ut de triumphandi jure dicere incipiam.

INTERPRETATIO.

a Et fecit *ut* Imperium Romanum *ortum ex parvo Romuli tugurio regeret omnem terrarum orbem.*

NOTÆ.

1. *Fauces Pontici sinus.*] Qui Scythiam ab Asia separat, Paludes Mæotides, Borysthenem, & Danubium recipit; ipse vero in Bosphorum Thraciæ se exonerat. *Mer noire.* Lucullus Pontum primus aperuit, & regiis opibus & natura loci vallatum, inquit Cicero pro Archia. *La mer noire.*

2. *Alpium.*] Montes altissimi qui Italiam à Germania & Gallia dividunt, in longitudine centum millia passuum patent à supero mari ad inferum, ex Cœlio; tria millia stadiorum, ex Livio: varia variis in locis sortiuntur nomina; sunt enim Alpes & Iuliæ & Cottiæ & Maritimæ, &c. *Les Alpes.*

3. *Tauri montis.*] Totius Asiæ mons est maximus; à Lycia, ubi incipit, ad occasum usque in ortum perductus, variis distinguitur nominibus: in Cilicia Taurus, in Armenia Antitaurus, Amanus in Syria, in Mesopotamia Niphates, in Iberia Caucasus dicitur, nunc *Caraman*, vel *Tauro.* Vt maris Pontici fauces, ita Tauri juga primus è Romanis, nisi falsus sum, Lucullus victo Mithridate superavit, dum Tigranem bello persequitur.

4. *Omnes triumphi manârunt.*] Libitum est hoc in loco, res enim postulare videtur, quæ ad triumphum pertinent, explicare paucis; triumphi unde nomen, quis primus auctor, quot genera, quis ordo. I. Triumphi nomen à voce Græca Θρίαμβος, Liberi patris cognomen fuit; eò deducitur, quod & ille in Græcia primus hanc pompam adhibuerit; ut placet Plinio & Diod. & milites per urbem sæpius acclamarent, Io triumphe, Io triumphe, ut docet Varro: II. Triumphi primus auctor apud Romanos Romulus fuit, qui cæso Acrone Cæninensium Rege, ipse cum factis vir magnificus, tum factorum

1. Ob levia prælia quidam Imperatores triumphos sibi decerni desiderabant: quibus ut occurrerent, lege cautum est, ne quis triumpharet, nisi qui [1] quinque millia hostium una acie cecidisset. Non enim numero, sed gloria triumphorum excelsius urbis nostræ futurum decus majores existimabant. Cæterum, ne tam præclara lex cupiditate laureæ obliteraretur, legis alterius adjutorio fulta est, quam [2] L. Marius, & M. Cato Tribuni pleb. tulerunt. Pœnam enim Imperatoribus minatur, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum civium falsum numerum, literis Senatui ausi essent referre. Jubetque eos, cum primum Urbem intrassent, apud Quæstores urbanos jurare, de utroque numero vere ab his Senatui esse scriptum.

2. Post has leges judicii illius tempestiva mentio introducetur, in quo de jure triumphandi inter clarissimas personas & actum & excussum est. C. Lutatius Consul, & Q. Valerius Prætor circa Siciliam [3] insignem Pœnorum classem deleverant, quo nomine Lutatio Consuli An. M. 3813. Ol. 134. 4. Vrb. C. 512. Ant. C. 240.

NOTÆ.

ostentator haud minor; illius spolia, vel è ferculo ad id apte fabricato, ut vult Livius; vel è ramo arboris, ut Plutarchus, instar trophæi suspensa gerens, laureaque coronatus in Capitolium ascendit: addidit aliquanto post Tarquinius Priscus, & currum, & alia triumphantium ornamenta; quæ, quo magis res Romana crevit, eo magis & ipsa creverunt. III. Triumphus alius alio illustrior: minor, ovatio; major, proprie triumphus; isque, si terra res feliciter gesta, terrestris; si mari, navalis, vel in urbe, vel in monte Albano actus est: quo postea. IV. Triumphi hæc pompa fuit. Imperatoris currum præcedebant tibicines, vel triumphales modos, vel classicum canentes: post mactandi boves vittis sertisque redimiti; deinde rapta ex hoste spolia, signa, tabulæ, vasa, pocula, arma, aurum, argentum, domitarum gentium tituli, victarumque urbium imagines; tum capti hostium Duces, Principes, Reges vincti catenis: Inde Imperator curru sublimis, veste triumphali insignis, coronatus lauro, laurique ramum manu protendens, interdum cervis, nonnunquam vel leonibus vel elephantis, sæpius quadrigis albis vehebatur: post currum ipsius liberi, cognati, affines: tum demum victor exercitus; equites turmatim, & cohortes peditum, suis quisque ordinibus; laureati omnes, accinentesque triumphalia carmina; alij armillas, hastas alij, pars coronas, nonnulli phaleras, galeas multi, relata quisque fortitudinis præmia insigniaque virtutis ostentabat. Hac pompa ductus in Capitolium Imperator diis sacrificare, epulumque Senatus sumptibus publicis dare consueverat. Hæc habui de triumpho quæ dicerem.

1. *Quinque millia hostium.*] Leges etiam aliæ aliis temporibus de jure triumphandi sancitæ sunt; ne quis, nisi Dictator, aut Consul, aut Prætor triumpharet: nec is de servis, fugitivis, piratis, civibus, sed de externis tantum hostibus, quos justo prælio magna eorum strage vicisset, eaque victoria auxisset imperium: nam si recuperata tantum, quæ fuerant prius amissa, triumphi negatus honos.

2. *L. Marius & M. Cato.*] Vnus L. Marius Tribunus fuit anno Vrbis sexcentesimo nonagesimo octavo; Marci Catones multi diversis temporibus; sed cum L Mario eorum nullus: quare quem Catonum intelligat incertum est.

3. *Insignem classem.*] De Catulo ejusque victoria egimus l. 1. c 3. n. 1.

triumphum Senatus decrevit. Cum autem [1] Valerius sibi eum quoque decerni desideraret; negavit id fieri oportere Lutatius, [a] ne in honore triumphi minor potestas majori æquaretur: pertinaciusque progressa contentione, [b] Valerius sponsione Lutatium provocavit, Ni suo ductu Punica classis esset oppressa. [c] Nec dubitavit [2] restipulari Lutatius. Itaque judex inter eos convenit [3] Atilius Calatinus, apud quem Valerius in hunc modum egit: Consulem ea pugna in lectica claudum jacuisse, se autem omnibus Imperatoris partibus functum. Tunc Calatinus, priusquam Lutatius causam suam ordiretur, Quæro, inquit, Valeri à te, [d] si dimicandum necne esset, contrariis inter vos sententiis dissedissetis: utrum quod Consul, an quod Prætor imperasset, majus habiturum fuerit momentum? Respondit Valerius, non facere se controversiam, quin priores partes Consulis essent futuræ. Age deinde, inquit Calatinus, si diversa auspicia accepissetis, cujus magis auspicio staretur? Item respondit Valerius, Consulis. At judex: Jam mehercule, inquit, cum de imperio & auspicio inter vos disceptationem susceperim, & tu utroque adversarium tuum superiorem fuisse fatearis; nihil est quod ulterius dubitem. Itaque Lutati, quamvis adhuc tacueris, secundum te litem do. Mirifice judex, quod in manifesto negotio tempus teri passus non est. Probabilius Lutatius, quod jus amplissimi honoris constanter defendit. Et ne Valerius quidem improbe, quia fortis & prosperæ pugnæ ut non legitimum, ita se dignum prœmium petiit.

3. Quid facias [4] Cn. Fulvio Flacco, qui tam expetendum aliis triumphi honorem, decretum sibi à Senatu ob res bene gestas sprevit, ac re-

INTERPRETATIO.

a *Ne in honore triumphi minor potestas* Prætoria *æquaretur majori* Consulari.

b *Valerius provocavit Lutatium depositione pecuniæ.*

c *Nec dubitavit Lutatius pecuniam etiam deponere.*

d *Si vos variam habuissetis sententiam, an cum hostibus prælium esset ineundum, necne?*

NOTÆ.

1. *Valerius.*] Falco ex Levinorum familia, qui Consul fuit anno Vrbis 514.

2. *Restipulari.*] Hoc est contra sponsionem à Valerio factam pecuniam obligare: Stipulari enim ducitur à stipe; genus erat quoddam numismatis; stips vero à verbo stipare; quod idem valet, ac in locum angustum quasi condensare: nec enim veteres pecuniam aut numerare, aut in loculis servare, sed & pendere, & in thesauris reponere solebant.

3. *Atilius Calatinus.*] Qui bis Consul, semel Dictator re contra Pœnos in Sicilia feliciter gesta triumphavit.

4. *Cn. Fulvio Flacco.*] Quis ille Flaccus fuerit, obscurum est. Fuit quidem Cn. Fulvius Flaccus Prætor anno Vrbis 542. at ille amisso exercitu ab Annibale fugatus Tarquinios exulatum abiit, nedum oblatum ob rem bene gestam triumphum repudiarit. Sunt qui Vardæos in Illyrico, & Ligures Alpinos ab eo domitos velint, captamque Ætolorum urbem Ambraciam: id quidem recte; at ille nec Cneius, nec Flaccus, sed M. Fulvius

pudiavit? [a] Nimirum non plura præcerpens, quam acciderunt. Nam ut urbem intravit, continuo ipse quæstione publica afflictus, exilio multatus est: ut si quid religionis insolentia commisisset, pœna expiaret.

4. Sapientiores igitur [1] Q. Fulvius, qui Capua capta, & L. Opimius, qui [2] Fregellanis [3] ad deditionem compulsis, triumphandi potestatem à Senatu petierunt. [b] Uterque editis operibus magnificus, sed neuter petitæ rei compos. Non quidem invidia Patrum Conscriptorum, cui nunquam aditum in Curia esse voluerunt: sed summa diligentia observandi juris, quo cautum erat, ut pro aucto imperio, non pro recuperatis, quæ Populi Rom fuissent, triumphus decerneretur. Tantum enim interest adjicias aliquid, an detractum restituas; quantum distat beneficii initium ab injuriæ fine.

An. M. 3843. Ol. 142. 1. Vrb. C. 542. Ant. Ch. 210.
An. M. 3929. Ol. 163. 4. Vrb. C. 628. Ant. Ch. 124.

5. Quin etiam jus, de quo loquor, sic custoditum est, ut [4] P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, M. Marcello ob captas Syracusas triumphus non decerneretur; quod ad eas res gerendas sine ullo missi erant magistratu. [c] Probentur nunc cujuslibet gloriæ cupidi, qui ex desertis montibus, [5] myoparonumque piraticis rostris, laudis inopes, laureæ ramulos festinabunda manu decerpserunt. Carthaginis imperio abrupta Hispania, & Siciliæ caput abscissum Syracusæ, triumphales jungere

An. M. 3848. Ol. 143. 3. Vrb. C. 547. Ant. Ch. 205.
An. M 3843. Ol. 142. 2. Vrb C. 542. Ant. Ch. 210.

INTERPRETATIO.

a *Quasi prævidens calamitatem, quæ postea ipsi accidit.*

b *Uterque illustris rebus præclare gestis, sed neuter obtinuit triumphum, quem petebat; non quidem Senatorum invidia, cum invidiæ nullum dari locum in Curia unquam passi sint.*

c *Quis approbare posset illos avidos gloriæ vel inanis, qui vacui vera laudis triumpharunt ramis lauri coronati ob captos montes ab hostibus desertos, & captas aliquas piratarum naves. Nec Scipio ob Hispaniam sublatam Imperio Carthaginis, nec Marcellus ob captas Syracusas, quæ urbs est Siciliæ caput, potuerunt curru triumphali in urbem invehi.*

NOTÆ.

Nobilior dictus est: Et triumphum ille adeo non sprevit, ut repugnante Tribuno plebis vix magnis contentionibus obtinuerit: quapropter, vel erravit ipse Valerius, vel mendum hunc in locum irrepsit.

1. *Q. Fulvius & L. Opimius.*] De Fulvio Consule l. 2. c. 3. n. 3. Opimius Fulvio ætate inferior. Fulvium Flaccum Consularem, & C. Gracchum Consul oppressit.

2. *Fregellanis.*] Fregellæ civitas olim clara, ad Larim amnem, inter Formias & Sinuessam. *Ponte corvo.*

3. *Ad deditionem compulsis.*] Cum Latini nominis socij defectionem cogitarent, Fregellani à Senatu Majestatis damnati sunt, missusque cum exercitu Prætor Opimius, qui de noxiis supplicium sumeret, eos obsedit Opimius, ad deditionem compulit, eorumque excidit oppidum.

4. *P. Scipioni.*] Africano majori: de cujus in Hispania victoriis postea. *M. Marcello.* Vide l. 1. c. 6. n. 9. Ovationem tamen obtinuit; in eo enim ipsius & Scipionis par conditio; quod uterque sine magistratu rem gessisset: dispar vero, quod Marcellus auxisset Imperium; Scipio non item.

5. *Myoparonum.*] Genus navigij à Tyrrhenis inventum ex Sext. Pompeio. Pato-

currus nequiverunt. Et quibus viris? Scipioni & Marcello: quorum ipſa nomina inſtar æterni ſunt triumphi. Sed clariſſimos ſolidæ veræque virtutis auctores, humeris ſuis ſalutem patriæ geſtantes, etſi coronatos intueri Senatus cupiebat, juſtiori tamen reſervandos laureæ putavit.

6. His illud ſubnectam. Moris erat ab Imperatore triumphum ducturo, Coss. invitari ad cœnam, [a] deinde rogari ut venire ſuperſedeant, ne quis eo die, quo ille triumpharet, majoris in eodem convivio ſit imperii.

7. Verum quamvis quis præclaras res, maximeque utiles Reipubl. civili bello geſſiſſet, Imperator tamen eo nomine appellatus non eſt, nec ullæ ſupplicationes decretæ ſunt, neque aut [1] ovans, aut curru triumphavit; quia ut neceſſariæ iſtæ, ita lugubres ſemper exiſtimatæ victoriæ ſunt, utpote non externo, ſed domeſtico partæ cruore. Itaque & [2] Naſica Ti. Gracchi, & Opimius C. Gracchi factiones mœſti trucidarunt. Q. Catulus, M. Lepido collega ſuo cum omnibus ſeditioſis copiis [3] extincto, tantum moderatum præ ſe ferens gaudium, in Urbem revertitur. [4] C. etiam Antonius Catilinæ victor abſterſos gladios in caſtra retulit. [5] L. Cinna & C Marius hauſerant quidem avidi civilem ſanguinem, ſed non protinus ad templa Deorum & aras tetenderunt. Item

INTERPRETATIO.

a *Deinde moris erat rogare Conſules, ut non venirent ad cœnam.*

NOTÆ.

nes dictæ ſunt illæ naves, ſi Suidæ credimus, ab inſula Paro: à forma vero anguſta & oblonga, μυῶνες.

1. *Aut ovans.*] Ovatio dicitur, vel à clamore militum, qui ob victoriam lætantes iterant literam O; ita Dionyſ. & Feſtus: vel ab ove, quæ in ovatione, uti in triumpho taurus, immolari conſueverat. Ita Plutarchus. Ovationis & triumphi, ut cauſa diſpar, ita etiam longe diſpar & gloria, & pompa: qui nec Dictator, nec Conſul, nec Prætor, nec juſtum hoſtem, ſed ſervum, piratam, fugitivum viciſſet, huic ovatio conceſſa, negatus triumphus. Tumque ipſi indui veſte triumphali, laurea coronari, curruque in urbem invehi vetitum. Hæc fere Dionyſ.

2. *Naſica Ti. Gracchi, &c.*] Cædem Ti. Gracchi narravimus l. 1. c. 4. n. 2. Cædem C. Gracchi l. 1. c. 7. n. 6.

3. *Extincto.*] Non occiſus tamen à Catulo Lepidus, dum acta Syllæ reſcindere cogitat. Vrbe pulſus à Catulo in Galliam Ciſalpinam abiit; unde cum exercitu ad urbem revertitur, Pontemque Milvium & Ianiculum occupat: prælium non procul à campo Martio commiſſum eſt; fuſus Lepidus, hoſtiſque à Senatu judicatus in Etruriam primum receſſit, deinde in Sardiniam, ubi haud multo poſt tabe periit. Ita Florus & Appianus.

4. *C. Antonius.*] Ciceronis in Conſulatu collega: non ipſe tamen Catilinam vicit, ſed Petreius ipſius legatus, cui pedibus æger Antonius exercitum permiſerat, ut ſcribit Salluſtius.

5. *L. Cinna & Marius.*] Vide librum 1. cap. 5. num. 5. *Ad templa deorum illi non tetenderunt*, inquit Valerius, ut de parta victoria diis gratias agerent, & more triumphantium ſacrificarent.

L. Sylla, [1] qui plurima bella civilia confecit, cujus crudelissimi & insolentissimi successus fuerunt: [a] cum consummata potentia sua [2] triumphum duceret, ut Græciæ & Asiæ multas urbes, ita civium Romanorum nullum oppidum vexit.

An. M. 3973. Ol. 174. 4. Vrb. C. 672. Ant. Ch. 80.

Piget, tædetque per vulnera Reipublicæ ulterius procedere: lauream nec Senatus cuiquam dedit, nec quisquam sibi dari desideravit, civitatis parte lacrymante. Cæterum [b] ad quercum pronæ manus porriguntur, ubi ob cives servatos corona danda est; qua postes Augustæ domus sempiterna gloria triumphant.

Interpretatio.

a *Cum summam assecutus potestatem triumphum ageret, multarum quidem Græciæ & Asiæ urbium simulacra portari jussit; sed nullam civitatum Italiæ.*

b *Ex quercu corona texitur, si cui danda sit ob cives servatos.* Illa vero quercus *est ante postes domus Cæsarum; quasi illos sempiterna gloria ornare velit.*

Notæ.

1. *Qui plurima bella civilia.*] Antequam in Græciam solveret, Mario fugato Sulpitium occidi jussit; ubi de Mithridate victor in Italiam rediit, Marium juniorem bis vicit, semel ad Capuam cum Norbano Consule, iterum ad Præneste. Scipionem alterum Consulem spoliavit exercitu: apud Clusium cum Carbone dubia victoria; ad urbem cum Telesino Samnite felicius pugnavit; per legatos Pompeium, Lucullum, Servilium, Metellum, ubique victor.

2. *Triumphum duceret.*] Victis partium Marianarum ducibus, de Mithridate Sylla triumphum egit; qui non magnificentia tantum manubiarum, superioribus longe præstitit; sed illud præ cæteris habuit singulare, quod viri civitatis principes, qui ad ipsum metu Marij confugerant, coronati triumphantis currum sequerentur, illumque identidem parentem appellarent.

Cap. IX.

DE CENSORIA SEVERITATE.

1. *M. Camilli & M. Posthumij in cœlibes.*
2. *M. Valerij Max. & C. Iunij Bruti in L. Antonium.*
3. *M. Catonis in L. Flaminium.*
4. *C. Fabricij in P. Rufinum.*
5. *M. Ant. & L. Flacci in M. Duronium.*
6. *C. Neronis & M. Salinatoris in se mutuo & pop. Romanum.*
7. *M. Messallæ & P. Sempronij in quadringentos equites.*
8. *M. Reguli & P. Phili in reliquias Cannenses.*
9. *Qui notati ad Censuram postea pervenerunt.*

CAſtrenſis diſciplinæ tenaciſſimum vinculum, & militaris rationis diligens obſervatio, admonent me, [1] ut ad Cenſuram pacis magiſtram cuſtodemque tranſgrediar. Nam ut opes pop. Romani in tantam amplitudinem Imperatorum virtutibus exceſſerunt; [a] ita probitas & continentia cenſorio ſupercilio examinata eſt. Opus effectu par bellicis laudibus; quid enim prodeſt foris eſſe ſtrenuum, ſi domi male vivitur? [b] Expugnentur licet urbes, corripiantur gentes, regnis injiciantur manus; niſi foro & Curiæ officium ac verecundia ſua conſtiterit, partarum rerum æquatus cœlo cumulus ſedem ſtabilem non habebit. Ad rem igitur pertinet noſſe, atque adeo recordari acta Cenſoriæ poteſtatis.

An.M. 3651. Ol. 94. 2. Vrb.C. 350. Ant.Ch. 402.

1. [2] Camillus & Poſthumius Cenſores, æra pœnæ nomine eos qui ad ſenectutem cœlibes pervenerant, in ærarium deferre juſſerunt: iterum puniri dignos, ſi quo modo de tam juſta conſtitutione queri eſſent auſi, cum in hunc modum increparentur: Natura vobis quemadmodum naſcendi, ita gignendi legem ſcribit; parenteſque vos alendo, nepotum nutriendorum debito (ſi quis eſt pudor) alligaverunt. [c] Accedit his, quod etiam fortuna longam præſtandi hujuſce muneris vacationem eſtis aſſecuti: cum interim conſumpti ſint animi veſtri, & mariti & patris nomine vacui. Ite igitur, & [3] nodoſam exſolvite ſtipem, utilem poſteritati numeroſæ.

2. Horum ſeveritatem [4] M. Valerius Max. & C. Iunius Bubulcus

INTERPRETATIO.

a *Ita probitas & continentia civium examinata eſt ſeveritate Cenſorum.*

b *Licet capiantur urbes, gentes in ſervitutem rapiantur, & regna adjiciantur Imperio; niſi, & officium, & verecundia ſerventur, tum* in judiciis quæ feruntur *in foro*, tum in ſententiis quæ dicuntur *in Curia; acervus rerum bello partarum, etiam ſi ad cœlum uſque pertingeret, non diu permanebit.*

c *Præterea fortuna vobis dedit longum temporis ſpatium ad præſtandum hoc officium.*

NOTÆ.

1. *Vt ad Cenſuram, &c.*] Nil aptius de Cenſorum poteſtate dici poteſt, quam quod Livius habet l. 4. n. 8. cujus hæc verba ſunt: *Cenſuræ initium fuit rei à parva origine ortæ; quæ deinde tanto incremento aucta eſt, ut morum diſciplinæque Romanæ penes eam regimen; Senatus Equitumque centuriæ, decoris dedecoriſque diſcrimen, ſub ditione ejus Magiſtratus; publicorum jus, privatorumque locorum, & vectigalia populi Romani ſub nutu atque imperio eſſent.*

2. *Camillus & Poſthumius.*] M. Furius Camillus, de quo l. 1. c. 5. n. 2. & M. Poſthumius Albinus Regillenſis. Livius quidem omnes horum temporum Cenſores omiſit, & eorum utrumque inter Tribunos militares numerat; conſtat tamen ex Faſtorum Capitolinorum fragmentis ambos Cenſores fuiſſe.

3. *Nodoſam exſolvite ſtipem.*] *Nodoſam* legit Badius, *numeroſam* Lipſius, quaſi dicat Cenſor: *multis nodis in loculis abſtruſam ſtipem exſolvite.* Ita Badius: vel, *pendite numeroſam ſtipem in uſum numeroſæ poſteritatis.* Ita Lipſius: utrum ſequi malis, elige.

4. *M. Valerius Max. & C. Iunius Bubulcus.*] Vterque virtute clarus, Iunius tamen Valerio rebus geſtis illuſtrior. Va-

Brutus

Brutus Censores in consimili genere animadversionis imitati, [1] L. Antonium Senatu moverunt, quod quam virginem in matrimonium duxerat, repudiâsset, nullo amicorum in consilium adhibito. At hoc crimen nescio an superiore majus: illo namque conjugalia sacra spreta tantum, hoc etiam injuriose tractata sunt. Optimo ergo judicio Censores indignum eum aditu Curiæ existimaverunt.

An. M. 3747. Ol. 118. 2. Vrb. C. 446. Ant. Ch. 306.

3. Sic M. [2] Porcius Cato L. Flaminium è numero Senatorum sustulit, quia [3] in provincia quendam damnatum securi percusserat, [4] tempore supplicij ad arbitrium & spectaculum mulierculæ, cujus amore tenebatur electo. Et poterat inhiberi respectu Consulatus quem is gesserat, atque auctoritate fratris ejus V. C. [5] T. Flaminii; sed & Censor, & Cato duplex severitatis exemplum, eo magis illum notandum statuit, quod amplissimi honoris majestatem tam tetro facinore inquinaverat: [a] nec pensi duxerat, iisdem imaginibus adscribi, meretricis oculos humano sanguine delectatos, & Regis Philippi supplices manus.

An. M. 38 0. Ol. 149. 1. Vrb. C. 569. Ant. Ch. 183.

4. Quid de Fabricii Luscini Censura loquar? narravit omnis ætas, & deinceps narrabit, ab eo [6] Cornelium Rufinum, duobus Consulatibus & Dictatura speciosissime functum, quod decem pondo vasa argentea comparâsset, perinde ac malo exemplo luxuriosum, in Ordine

An. M. 3778. Ol. 126. 1. Vrb. C. 477. Ant. Ch. 275.

Interpretatio.

a *Nec praviderat indignum fore, si in iisdem* familiæ suæ *imaginibus pingerentur simul, & oculi illius meretricis qua delectata fuerat morte* Galli, *& manus supplices Philippi Regis*, qui à Tito illius fratre victus fuerat.

Notæ.

lerius quidem bis Magister Equitum, semel Consul & Censor: Iunius vero semel Magister Equitum, ter Consul, semel & Dictator & Censor: præterea de Æquis triumphavit.

1. *L. Antonium.*] Fors M. Antonij filium, qui à P. Cornelio Rufino Magister Equitum dictus est.

2. *M. Porcius Cato.*] Porciæ gentis princeps; vulgo Censorius dictus.

3. *In provincia quemdam damnatum.*] Valerio consentiunt & Valerius Antias apud Livium, & Cicero in l. de Senect. & Plut. in Quintio. In duobus vero dissentit Livius, quod & Scortum illud non mulierem fuisse, sed Philippum quemdam natione Pœnum; & Gallum illum nequaquam damnatum, sed Boium Nobilem, qui ad fidem populi Romani confugeret, necatum velit.

4. *Tempore supplicij.*] Avida sanguinis mulier, cum securi feriri vidisset neminem, supplicium coram se peragi poposcit, si Valerio Antiati credimus; si Livio, Pœnus ille Roma nuper evocatus, dum inter epulas queritur se Consulis causa non vidisse munus gladiatorium Romæ paulo post exhibendum: tum stricto gladio Flaminius, Gladiatorium munus videbis, inquit: & continuo involat in Gallum, ipsumque sua manu obtruncat.

5. *T. Flaminij.*] Qui Philippum Macedoniæ Regem vicit: de illo plura postea, & in Quintiorum gente.

6. *Cornelium Rufinum.*] Virum bello strenuum, de quo illud plane singulare narrat Plinius; illum dum oculorum usum amittere se somniaret, reipsa amisisse.

Senatorio retentum non esse. [a] Ipsæ medius fidius mihi literæ sæculi nostri obstupescere videntur, cum ad tantam severitatem referendam ministerium accommodare coguntur; ac vereri ne non nostræ urbis acta commemorare existimentur. Vix enim credibile est, intra [1] idem pomærium decem pondo argenti, & invidiosum fuisse censum, & inopiam haberi contemptissimam.

An. M. 3957 Ol. 170. 4. Vrb. C. 656. Ant. Ch. 96.

5. [2] M. autem Antonius & L. Flaccus Censores [3] Duronium Senatu moverunt, quod legem de coërcendis conviviorum sumptibus latam Tribunus pleb. abrogaverat, mirifica notæ causa. Quam enim impudenter Duronius [4] Rostra conscendit, illa dicturus: Fræni sunt injecti vobis, Quirites, nullo modo perpetiendi; alligati & constricti estis amaro vinculo servitutis: Lex enim lata est, quæ vos esse frugi jubet: [b] abrogamus igitur istud horridæ vetustatis rubigine obsitum imperium. Etenim quid opus libertate, si volentibus luxu perire non licet?

An. M. 3850. Ol. 144. 1. Vrb C. 549. Ant. Ch. 103.

6. [c] Age, par proferamus æquali jugo virtutis, honorumque societate junctum, instinctu autem æmulationis animo dissidens. [5] Claudius Nero, Liviusque Salinator, secundi Punici belli temporis firmissima Reipublicæ latera, [d] quam districtam simul egerunt Censuram? Nam cum Equitum centurias recognoscerent, & ipsi propter robur ætatis etiamnum eorum essent è numero, ut est ac

Interpretatio.

a *Certe historia nostræ ætatis mihi videtur, & obstupescere, cum cogitur exempla tantæ severitatis referre, & timere ne quis putet illam narrare gesta alterius civitatis, non nostræ: vix enim credi potest, quod intra mœnia ejusdem urbis census decem pondo argenti his temporibus fuerit invidia dignus; & nostra ætate, ut inopia, contemnatur.*

b *Abrogamus igitur legem istam severiori antiquitate, quasi rubigine quadam horridam.*

c *Nunc proferamus duos viros inter se maxime conjunctos, & pari virtute, & Magistratuum societate.*

d *Quam severam & quasi detersam egerunt Censuram.*

Notæ.

1. *Pomærium.*] Quasi postmœnium, spatium erat ab extremis urbis ædificiis ad mœnia usque pertinens, quod more Thuscorum inaugurato consecratum, nec habitari, nec arari fas erat.

2. *M. autem Antonius & L. Flaccus.*] Ambo summos honores in Republ. adepti: ille perfectus Orator, & gentis Antoniæ princeps, à Mario; hic post duos Consulatus à Fimbria occisus est. Consule gentem Antoniam & Valeriam.

3. *Duronium.*] Qui notam illam cum ferret ægerrime, Antonium etiam tum Censorem ambitus postulavit, cui Helvius quidam Naucia: *Aliquando tibi*, inquit, *Antoni, tuum negotium agere licebit.*

4. *Rostra.*] Rostra fuerunt vetera & nova; illa apud Curiam in comitio; hæc ad Palatij radices: utraque rostris navium ornata sunt; vetera Antiatium, teste Livio, nova M. Antonij & Cleopatræ post Actiacam victoriam, ex Dione

5. *Claudius Nero, & Livius Salinator.*] Simul & Consules, & Censores, licet capitali inter se odio dissiderent; rebus bello Punico secundo gestis clarissimi.

[1] Polliam ventum tribum, [2] Præco lecto nomine Salinatoris, citandum necne sibi esset, hæsitavit: Quod ubi intellexit Nero, & citari collegam, & equum vendere jussit, quia populi judicio [3] damnatus esset. Salinator quoque eadem animadversione Neronem persecutus est, adjecta causa, quod non sincera fide secum in gratiam rediisset. [a] Quibus viris si quis Cœlestium significasset futurum, ut eorum sanguis illustrium imaginum serie deductus in ortum salutaris [4] Principis nostri confluerer, depositis inimicitiis, arctissimo se amicitiæ fœdere junxissent, servatam ab ipsis patriam communi stirpi servandam relicturi. Salinator vero quatuor & triginta tribus [b] inter ærarios referre non dubitavit; quod cum se damnassent, postea Consulem atque Censorem fecissent: prætexuitque causam, quia necesse esset eas alterutro facto [5] crimine temeritatis vel perjurij teneri. Unam tantummodo tribum Mæciam vacuam nota reliquit: quæ cum suffragiis suis, ut non damnatione, ita ne honore quidem dignum judicaverat. Quam constantis & prævalidi illum putamus ingenij fuisse; qui neque tristi judiciorum exitu compelli, neque honorum magnitudine adduci potuit, quo se blandiorem in administratione Reipubl. gereret?

7. Equestris quoque Ordinis bona magnaque pars quadringenti juvenes censoriam notam patiente animo sustinuerunt: quos [6] M. Valerius, & P. Sempronius, quia in Sicilia, ad [7] munitionum opus explicandum ire jussi, facere id neglexerant; equis publicis spoliatos, in numerum ærariorum retulerunt. An M. 3802. Ol. 132. 1. Vrb. C. 501. Ant. Ch. 251.

INTERPRETATIO.

a *Quod si quis deorum illis viris prædixisset futurum esse, ut ex eorum sanguine post longam seriem illustrium virorum nasceretur Princeps noster Tiberius Reipublicæ salutaris.*

b *Non dubitavit ærario obnoxias facere.*

NOTÆ.

Lege quæ in familia Claudiorum & Liviorum diximus.

1. *Polliam.*] Tribus nona fuit, à loco quodam nomen sortita.

2. *Præco.*] Præconum fuit in concionibus audientiam facere; in auctionibus pretia oblata nunciare; in comitiis citare tribus ad ineunda suffragia; in judiciis judices, reos, testes appellare, &c.

3. *Damnatus esset.*] Post primum Consulatum, vel ob prædam de Illyriis partam inæqualiter divisam, vel ob latam ab eo legem, ne quis salem venderet.

4. *Principis nostri.*] Tiberij, qui genus paternum à Claudio, maternum à Livio ducebat; cum Liviæ pater Claudius Drusianus per adoptionem Liviorum familiæ insertus esset.

5. *Crimine temeritatis.*] Nota censoria dignos esse, sic arguebat. Livius, quod ipsum vel damnassent injuste; vel si juste, indignum Consulem creassent: quod perjurij genus quoddam est, cum dignissimos quosque Consules lecturos se jurarent.

6. *M. Valerius* Messala & *P. Sempronius.*] Sophus. Valerius quod Messanam cepisset, primum Messana, tum Messala dictus est, & ab eo clarissima Messalarum familia propagata est.

7. *Munitionum opus.*] Id Aurelius Cotta Consul jusserat, eosque à Censoribus notari curavit.

An. M. 3840. Ol. 141. 3. Vrb. C. 539. Ant. Ch 213.

8. Turpis etiam metus Censores summa cum severitate pœnam exegerunt. [1] M. enim Atilius Regulus, & P. Furius Philus, L. Metellum Quæstorem, complurésque Equites Romanos, qui post infeliciter commissam Cannensem pugnam cum eo abituros se Italia juraverant, direptis equis publicis, inter ærarios referendos curaverunt. Eosque gravi nota affecerunt, qui cum [2] in potestatem Annibalis venissent, legati ab eo ad Senatum missi de permutandis captivis, neque impetrassent quod petebant, in urbe manserunt: Quia & Romano sanguini fidem præstare conveniens erat; & M. Atilius Regulus Censor perfidiam notabat; cujus pater per summos cruciatus expirare, quam fallere Carthaginenses satius esse duxerat. Jam hæc censura ex foro in castra transcendit, quæ neque timeri, neque decipi voluit hostem.

An. M. 3939. Ol. 166. 2. Vrb. C. 638. Ant. Ch. 114.

9. Sequuntur duo ejusdem generis exempla, eaque adjecisse satis erit. [3] C. Geta, cum [4] à L. Metello & Cn. Domitio Censoribus Senatu motus esset, postea Censor factus est.

Item [5] M. Valerius Messalla Censoria nota perstrictus, Censoria postmodum potestate imperavit. Quorum ignominia virtutem acuit, rubore enim ejus excitati, omnibus viribus incubuerunt, [a] ut digni civibus viderentur, quibus dari potius, quam objici Censura deberet.

INTERPRETATIO.

a *Vt digni viderentur suis civibus quibus Censura deberet potius dari*, ut alios censeant, *quam opprobrio dari*, *quod* à Censoribus *notati fuerant*.

NOTÆ.

1. *M. Attilius Regulus.*] Bis Consul, Flaminioque ad Thrasimenum cæso, suffectus, contra Annibalem rem bene gessit. *P. Furius Philus.* C. Flaminij in primo Consulatu collega. De Metello postea. De captivis vero l. 2. c. 7. n. 15.

2. *In potestatem Annibalis.*] Vnum de captivis addere libet, quod à Cicerone, Livio, Gellio, & aliis memoriæ proditum est; eorum nonnullos jurisjurandi fraude culpam invenisse. Cum enim Annibalis permissu exissent è castris, redierunt paulo post; quod se oblitos nescio quid diceret: deinde egressi è castris, jurejurando se solutos putabant; erant quidem verbis, re non erant. Non minus in eos, quam in alios sævitum est; adeo ut multi non solum foro, sed prope luce & publico caruerint, & nonnulli mortem sibi consciverint.

3. *C. Geta.*] C. Licinius Geta, qui anno superiori Consul, Alpium Graiorum gentes vicerat; cum aliis tribubus ab his Censoribus Senatu motus est.

4. *A L. Metello, & Cn. Domitio.*] Vterque Consul fuit; sed alius alio tempore: ille de Dalmatis, hic de Allobrogibus & Arvernis triumphavit. Lege quæ diximus in gente tum Cæcilia, tum Domitia.

5. *M. Valerius Messala.*] Quis ille, à quo, quando, cur nota Censoria perstrictus sit, incertum: nonnulli tamen suspicantur fuisse Valerium illum Messalam, qui & cum C. Fannio Strabone Consul fuit anno Vrbis 593. & sexto anno post cum Cassio Longino Censor.

CAP. X.

DE MAIESTATE.

ROMANORUM.

1. *Q. Metelli Numidici apud Iudices.*
2. *P. Africani maioris apud Antiochum Regem & exteros.*
3. *L. Æmilii Pauli apud Macedonas.*
4. *P. Africani apud Massanisam & Pœnos.*
5. *P. Rutilii exulis apud Asiæ civitates.*
6. *C. Marii proscripti apud Minturnenses.*
7. *M. Catonis Uticensis apud Senatum.*
8. *Ejusdem apud populum Rom.*

EXTERNORUM.

1. *Harmodii & Aristogitonis apud Xerxem Regem.*
2. *Xenocratis apud Athenienses.*

[a] EST & illa quasi privata Censura majestas clarorum virorum sine tribunalium fastigio, [1] sine apparitorum ministerio, potens in sua amplitudine obtinenda. Grato enim & jucundo introitu animis hominum illabitur admirationis prætexta velata: quam recte quis dixerit longum & beatum honorem esse sine honore.

1. Nam quid plus honoris tribui potuit Consuli, quam est datum [2] reo Metello? qui cum [3] causam repetundarum diceret, tabulæque ejus ab accusatore expostulatæ, & [4] ad nomen inspiciendum circa ju-

INTERPRETATIO.

a Majestas clarorum virorum est quasi Censura privata, quæ sine potestate jurisdictionis, sine famulatu satellitum publicorum, potest suam dignitatem retinere: nam alliciens admirationem, qua velut prætexta quasi induitur, jucunda quadam specie animis hominum illabitur: quæ majestas dici recte potest esse diuturnus & beatus honos sine publico Magistratu.

NOTÆ.

1. *Sine Apparitorum ministerio.*] Apparitores dicebantur ij omnes, qui Magistratuum imperio præsto erant, ut Scribæ, Accensi, Interpretes, Præcones, viatores, lictores, servi publici, carnifices. Hæc vero munera libertis fere suis Magistratus quisque mandabat.

2. *Reo Metello.*] Numidico.

3. *Causam repetundarum.*] Repetundæ pecuniæ dictæ sunt, quas à Magistratibus, aut Iudicibus, sive cives, sive socij judicio eo repeterent, quod eas contra jus, fasque raptas quererentur. Cum multæ leges de repetundis latæ sunt; tum maxime celebres Porcia, Calphurnia, Iunia & Servilia, quas omnes explicare infinitum sit.

4. *Ad nomen inspiciendum*] Ad inspiciendum debitum, quod petebatur: debitum enim vocabatur nomen, quod debitorum nomina tabulis inscriberentur.

dicium ferrentur ; totum concilium ab earum contemplatione oculos
avertit, ne de aliqua re, quæ in his relata erat, videretur dubitasse.
[1] Non in tabulis, sed in vita Q. Metelli argumenta sincere administratæ provinciæ legenda sibi Iudices crediderunt : [a] indignum rati, integritatem tanti viri exigua cera & paucis literis perpendi.

An. M. 3864 2. Sed quid mirum, si debitus honos à civibus Metello tributus est,
Ol. 147. 3. quem superiori Africano etiam hostis præstare non dubitavit? Siquidem
Vrb. C. 563. Rex Antiochus bello, quod cum Romanis gerebat, filium ejus, à mili-
Ant. Ch. 193. tibus suis interceptum, honoratissime excepit, regiisque muneribus donatum, [2] ultro & celeriter patri remisit : quanquam ab eo tum maxime finibus imperij pellebatur. Sed & Rex lacessitus, majestatem excellentissimi viri venerari, quam dolorem suum ulcisci maluit. Ad
An. M. 3868. Africanum eundem, in [3] Linternina villa se tenentem, complures
Ol. 148. 3. prædonum duces videndum eodem tempore forte confluxerant. Quos
Vrb. C. 567. cum ad vim faciendam venisse existimasset, præsidium domesticorum in
Ant. C. 185. tecto collocavit, eratque in his repellendis & animo & apparatu occupatus. Quod ut prædones animadvertunt, dimissis militibus abjectisque armis, januæ appropinquant, clara voce nunciantes : non vitæ ejus hostes, sed virtutis admiratores venisse, conspectum & congressum tanti viri quasi cœleste aliquod beneficium expetentes : Proinde securum se spectandum præbere ne gravaretur. Hæc postquam domestici Scipioni retulerunt, fores reserari, eosque intromitti jussit : qui postea

INTERPRETATIO.

a *Arbitrantes indignum esse integritatem tanti viri æstimari ex parva tabella cera obducta, & paucis literis.*

NOTÆ.

1. *Non in tabulis.*] Hoc est libellis, in quibus acta rationesque provinciæ continebantur. Cera etiam idem est, quod tabulæ, quia olim tabulæ cera obduci solebant.

2. *Vltro & celeriter patri remisit.*] Sic se res habuit. Scipionis Africani filium dum Hellespontum trajicit, vel hostium stationes speculatur incautius, id enim obscurum est; à militibus captum suis Antiochus benigne excepit : continuo legatos ad Scipionem misit, & filium ei sine pretio redditurum, & auri pondus ingens pollicitus, si per eum pacem impetrasset. Ad ea Scipio. *Ego*, inquit, *ex munificentia regia maximum donum filium habebo; aliis, deos precor, ne unquam fortuna egeat mea, animus certe non egebit : pro tanto in me munere gratum me esse in se sentiet ; si privatam gratiam pro privato beneficio desiderabit : publice nec habebo quidquam ab illo, nec dabo. Quod in præsentia dare possim, fidele consilium est : abi, nuncia meis verbis, bello absistat, pacis conditionem nullam recuset.* Et aliquanto post, ubi audisset Antiochus Scipionem ægrum Elæam delatum, legatos, qui filium ad eum reducerent, misit: quibus Scipio. *Renunciate*, inquit, *gratias Regi me agere, referre gratiam aliam nunc non posse, quam ut suadeam, ne ante in aciem descendat, quam ut in castra rediisse me audierit.* Ita Livius l. 37.

3. *Linternina villa.*] Post domitam Carthaginem, victumque à fratre Antiochum, accusatus Scipio in hanc villam se recepit prope Linternum, quæ Campaniæ civitas ad maris littus : hodie *Torre di patria*.

januæ tanquam aliquam religiosissimam aram, sanctumque templum venerati, cupide Scipionis dexteram apprehenderunt; ac diu deosculati, positis ante vestibulum donis, quæ Deorum immortalium numini consecrari solent, læti quod Scipionem vidisse contigisset, ad lares reverterunt. Quid hoc fructu majestatis excelsius? quid etiam jucundius? [a] Hostis iram admiratione sui placavit: spectaculo præsentiæ suæ latronum gestientes oculos obstupefecit. Delapsa cœlo sydera hominibus si se offerant, venerationis amplius non recipient.

3. Et hæc quidem vivo Scipioni; illud autem Æmilio Paulo exanimi contigit. Nam cum exequiæ ejus celebrarentur, ac forte tunc [1] Principes Macedoniæ, legationis nomine Romæ morarentur, [2] funebri lecto sponte sua sese subjecerunt. Quod aliquanto majus videbitur, [b] si quis cognoscat, lecti illius frontem Macedonicis triumphis fuisse adornatum. Quantum enim Paulo tribuerunt, propter quem gentis suæ cladium indicia per ora vulgi ferre non exhorruerunt? quod spectaculum funeri speciem alterius triumphi adjecit. Bis enim, te Paule, Macedonia urbi nostræ illustrem ostendit: incolumem, spoliis suis: fato functum, humeris. An.M. 3840. Ol. 155. 1. Vrb. C. 592. Ant.C. 159.

4. Ne filij quidem tui Scipionis Æmiliani, quem in adoptionem dando, duarum familiarum ornamentum esse voluisti, majestati parum honoris tributum est: cum enim adolescentem admodum [3] à Lucullo Consule [4] petendi auxilij gratia ex Hispania in Africam missum, Car- An.M. 3904. Ol. 157. 3. Vrb. C. 603. Ant.C. 149.

INTERPRETATIO.

a *Placavit iram hostis Antiochi, quia illi admirationi fuit, & injecit præsentia stuporem quemdam latronibus præ gaudio exultantibus*, quod illum aspicerent.

b *Si quis sciat anteriorem partem illius lecti fuisse decoratam trophæis ex Macedonia victa relatis: quem enim honorem tribuerunt Paulo Æmilio, propter quem voluerunt ipsi ferre ante oculos civium Romanorum monimenta cladum quas ille genti ipsorum intulerat. Bis, Paule, apparuisti urbi nostræ ob Macedoniam victam gloriosus: primum illius spoliis*, quando ex ea *incolumis* rediisti; deinde in sepultura tua, quando illius Principes *suis humeris te mortuum tulerunt.*

NOTÆ.

1. *Principes Macedoniæ.*] Paulo aliter Plutarchus. Illius pompa funebris, inquit, non auro & ebore, sed eximia, tum civium, tum populorum, quos devicerat, benevolentia ornata fuit: nam qui tum Romæ fuerunt juvenes Macedonum, Ligurum, Hispanorum, ejus feretrum ultro subierunt.

2. *Funebri lecto.*] De Romanorum funeribus pauca hæc accipe. Alij alio modo efferebantur: qui ditiores lectis, tenuiores feretris. Funus à funibus accensis dicitur; quod cum exequiæ noctu fierent, multi manibus candelas, funalia, faces gestarent. Corpora ornabant toga, si plebeij hominis, vulgata; si Senatoris, Prætoris, Consulis, &c. prætexta; si Censoris, purpurea. Si quis plura requirit, Lilium Giraldum & Rosinum consulat.

3. *A Lucullo Consule.*] L. Licinio Lucullo, qui Vaccæos, Cantabros, aliasque Hispaniæ gentes vicit. Vide gentem Liciniam.

4. *Petendi auxilij gratia.*] Vel à Carthaginiensibus, qui tributum pendebant id

thaginienses & Massanisa Rex [a] de pace [1] disceptatorem, velut Consulem & Imperatorem habuerunt. Ignara quidem fatorum suorum Carthago: Orientis enim illud juventæ decus, Deorum atque hominum indulgentia, ad excidium ejus alebatur: [b] ut superius cognomen Africanum capta, posterius eversa Corneliæ genti daret.

An.M. 3961. Ol. 171. 4. Vrb. C. 660. Ant. Ch. 92.

5. Quid damnatione, quid exilio miserius? At [2] P Rutilio [3] conspiratione [4] Publicanorum perculso, auctoritatem adimere non valuerunt. Cui Asiam petenti, omnes Provinciæ illius civitates legatos secessum ejus opperientes obviam miserunt. Exulare aliquis hoc loco, an triumphare justius dixerit?

An.M. 3966. Ol. 173. 1. Vrb. C. 665 Ant. Ch. 87.

6. C. etiam Marius [5] in profundum ultimarum miseriarum abjectus, ex ipso vitæ discrimine, beneficio majestatis emersit. Missus enim ad eum occidendum in privata domo Minturnis clausum servus publicus, natione Cimber; & senem & inermem, & squalore obsitum, strictum gladium tenens aggredi non sustinuit: sed claritate viri obcæcatus, abjecto ferro, attonitus inde ac [6] tremens fugit. [c] Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis perstrinxit, devictæque suæ gentis interitus animum comminuit: etiam Diis immortalibus indignum ratis, ab uno ejus nationis interfici Marium, quam totam deleverat. Minturnenses autem majestate illius capti, compressum jam & constrictum dira fati necessitate, incolumem præstiterunt: nec fuit his

INTERPRETATIO.

a *Pacis arbitrum, tanquam si fuisset Consul & Imperator, elegerunt.*

b *Vt bis Carthago Corneliæ genti nomen Africani daret, primum capta Scipioni Majori; deinde eversa Minori.*

c *Clades Cimbris* à Mario illata *hominem terruit, & interitus gentis suæ ab eo devicta illius animum* à cæde Marij *avertit.*

NOTÆ.

temporis, vel à Massinissa, ut vult Appianus.

1. *De pace disceptatorem.*] Carthaginenses contra fœdus Massinissam aggressi fuerant; à mane usque ad noctem spectante ipso L. Scipione pugnatum est; visusque Massinissa superior, ut habet Florus. Ea lege inter eos pax sancita, ut Carthaginenses Massinissæ, tum captivos, tum quinque talentorum millia penderent, ut narrant Polybius & Appianus.

2. P. *Rutilius.*] Consul anno Vrbis 649. ut diximus. De illius integritate postea.

3. *Conspiratione Publicanorum.*] Quod legatus C. Marij, ut scribit Florus, vel potius Q. Mutij, ut optime correxit Sigonius, à Publicanorum avaritia Asiam defendisset; invisus Equestri Ordini, penes quem id temporis ex Gracchanis legibus erant judicia; vel repetundarum, vel læsæ Majestatis injuste damnatus est: Smyrnam secessit, ubi studiis literarum totum se tradidit. Ita Cicero.

4. *Publicanorum.*] Qui publica vectigalia, & alios populi Romani reditus vel à fisco conducebant, vel quæstus causa constituto pretio exigenda redimebant. Erat eorum ordo & numero amplissimus, & dignitate potentissimus, cum omnes ex Equestri ordine legerentur: erant alij prædes, alij mancipes, alij socij, alij decumani, portitores, &c.

5. *In profundum miseriarum.*] De variis Marij erroribus l. 1. c. 7. n. 11.

6. *Tremens fugit.*] Alta voce clamitans: *Non possum occidere Marium.*

timori

timori [1] asperrima Syllæ victoria, ne in eos conservationem Marij ulcisceretur, cum præsertim [2] ipse Marius à conservando Mario absterrere posset.

7. M. quoque [3] Porcium Catonem admiratio fortis & sinceræ vitæ adeo admirabilem Senatui fecit; ut cum invito C. Cæsare Consule [4] adversus Publicanos dicendo in Curia diem extraheret, & ob id ejus jussu à lictore in carcerem duceretur, universus Senatus illum sequi non dubitaret: [a] quæ res divini animi [5] perseverantiam flexit An. M. 3995. Ol. 180. 2. Vrb. C. 694. Ant. Ch. 58.

8. Eodem [6] Ludos Florales, quos [7] Messius Ædilis faciebat, spectante, populus, ut Mimæ nudarentur, postulare erubuit: quod cum [8] ex Favonio amicissimo sibi una sedente cognovisset, discessit è theatro, ne præsentia sua spectaculi consuetudinem impediret: [9] Quem abeuntem ingenti plausu populus prosecutus, priscum morem jocorum in An. M. 3999. Ol. 181. 2. Vrb. C. 698. Ant. Ch. 54.

INTERPRETATIO.

a *Qua re commotus Cæsar vir animo præstanti, consilium mutavit.*

NOTÆ.

1. *Asperrima Syllæ victoria.*] Intelligit Syllæ in urbem ingressum, cum fugato Mario Sulpitium necari jussit.

2. *Ipse Marius, &c.*] Duplex sensus potest esse hujus loci: unus; quia ipse Marius homo crudelis in ipsos etiam mutata fortuna sævire poterat: alter; quia Marius ipse miser & afflictus illos ab ipso conservando deterrebat, ne quid simile ipsi Minturnenses à Sylla paterentur.

3. *Porcium Catonem.*] Vticensem, quod victis Pompeij partibus Vticæ sibi mortem consciverit: *Vir*, inquit Velleius, *virtuti simillimus.* De illo plura in gente Porcia.

4. *Adversus Publicanos, &c.*] Valerio consentit Velleius; Dio non item. Ita Velleius. Publicani ut quid de vectigalibus remitteretur petebant; illis favebat Cæsar; quidquam remitti nolebat Cato: cumque jus esset Senatori, ut sententiam rogatus diceret ante, & quidquid vellet, & quoad vellet; longa oratione, ne quid eo die conficeretur, diem trahebat: quare Cæsar eum in carcerem trahi jussit. Publicanorum hîc non meminit Dio, sed legis Agrariæ, quam promulgare cum cuperet Cæsar; contra vero Senatus omnis, ne illam ferret, alias ex aliis moras traheret, longam illam de industria orationem habuit Cato.

5. *Perseverantiam flexit.*] Catonem cum sequerentur multi, & inter eos M. Petreius; hominem, quod nondum misso Senatu abiret, objurgavit Cæsar; cui ille malle se respondit in carcere esse cum Catone, quam in Curia cum Cæsare: tum pudore suffusus Cæsar liberavit Catonem, Senatumque dimisit.

6. *Florales ludos.*] Acca Tarratia nobilissimum scortum, quæ cum quæstu corporis vim ingentem pecuniæ comparasset, populum Romanum dixit hæredem; ea lege, ut editis ludis suum natalem diem celebraret; quo vero rei pudendæ aliqua dignitas adderetur, deam quæ floribus præesset fuisse finxerunt: unde Ovidius nympham esse nomine Chlorim, eamque Zephyro nuptam fabulatur.

7. *Messius.*] C. Messius Nepos, qui in bello civili partes Cæsaris secutus est.

8. *Ex Favonio.*] Qui Catonianæ virtutis & severitatis imitator, percussoribus Cæsaris se immiscuit, & tanquam hujus facinoris particeps, post victoriam Philippensem interfectus est.

9. *Quem abeuntem.*] Quod etiam lusit eleganter Martialis in præfat. l. 1. Epigrammat.

Nosses ocosa dulce cum sacrum Floræ
Festosque lusus, & licentiam vulgi,
Cur in theatrum Cato severe venisti.
An ideo tantum veneras, ut exires.

S

ſcenam revocavit ; confeſſus, plus ſe majeſtatis uni tribuere, quam universo ſibi vindicare. Quibus opibus, quibus imperiis, quibus triumphis hoc datum eſt? exiguum viri patrimonium, aſtricti continentia mores, modicæ clientelæ, domus ambitioni clauſa; paterni generis una imago; minime blanda frons; ſed omnibus numeris perfecta virtus. Quæ quidem effecit, ut quiſquis ſanctum & egregium civem ſignificare velit, ſub nomine Catonis definiat.

EXTERNA.

1. Dandum eſt aliquid loci etiam alienigenis exemplis, ut domeſtica aſperſa, varietate ipſa delectent. [1] Harmodii, & Ariſtogitonis, qui Athenas tyrannide liberare conati ſunt, effigies æneas Xerxes ea urbe devicta in regnum ſuum tranſtulit: longo deinde interjecto tempore, [2] Seleucus in priſtinam ſedem reportandas curavit: Rhodii quoque eas urbi ſuæ appulſas, cum in hoſpitium publice invitaſſent, ſacris etiam pulvinaribus collocaverunt. [a] Nihil hac memoria felicius, quæ tantum venerationis in tam parvulo ære poſſedit.

2. Quantum porro honoris Athenis [3] Xenocrati ſapientia pariter ac ſanctitate claro tributum eſt? Qui cum teſtimonium dicere coactus ad aram acceſſiſſet, ut [4] more civitatis juraret, omnia ſe vere retuliſſe universi Judices conſurrexerunt, proclamatumque ne jusjurandum diceret: [b] Quodque ſibimet ipſis poſtmodum dicendæ ſententiæ loco remiſſuri non erant, ſinceritati ejus concedendum exiſtimarunt.

INTERPRETATIO.

a *Nihil felicius memoria* illorum virorum, *quam poſteri tanta veneratione proſecuti ſunt, etiam ſi nec admodum divites fuiſſent.*

b *Et putarunt concedendum integritati illius viri*, ut non juraret, *quod non erant ſibi conceſſuri in dicenda ſententia*, quia jurabant ſe verum judicare.

NOTÆ.

1. *Harmodij & Ariſtogitonis.*] Poſt Piſiſtratum duo ejus filij Hipparchus & Hippias Athenis rerum potiti ſunt: quod cum multi indigne ferrent, tum maxime duo illi fratres, à quibus Hipparchus occiſus eſt: Sed ipſi ab Hippia oppreſſi. Fugato aliquanto poſt Hippia, Athenienſes in eorum honorem effigies æneas erexerunt.

2. *Seleucus.*] Nicanor, qui Seleucidarum in Aſia condidit Imperium, & nonagenario major omnibus Alexandri ducibus ſuperſtes à Ptolemæo Corauno necatus eſt.

3. *Xenocrates.*] Chalcedone oriundus Platonis auditor, qui in Academia Speuſippo ſucceſſit: cujus verbis tanta fides habebatur, ut cum injurati teſtimonium nullius admitteretur, huic ſoli injurato crederetur.

4. *More civitatis.*] Moris fuit Athenis, ut teſtes, ubi teſtimonium vel coram dixiſſent, vel dediſſent tabulis inſcriptum, jurarent per liberorum ſalutem ſe vera dicere; ſi vero de re capitali ageretur, ſibi ſuiſque, ſi falſa dicerent, dira imprecarentur. Quæ ex Demoſth. & Cicerone certa ſunt.

VALERII MAXIMI LIBER TERTIUS.

CAP. I.

DE INDOLE.

CUIUS EXEMPLA SUNT ROMANA.

1. *Æmilij Lepidi pueri.*
2. *M. Catonis Uticensis.*
3. *C. Cassij Longini.*

EXTERNUM UNUM.

1. *Alcibiadis Atheniensis.*

^a ATTINGAM nunc quasi cunabula quædam & elementa virtutis: animique procedente tempore ad summum gloriæ cumulum perventuri, certo cum indolis experimento, datos gustus referam.

1. [1] Æmilius Lepidus puer etiam tum [2] progressus in aciem, hostem interemit, civem servavit: ^b cujus tam memorabilis operis index est in Capitolio [3] statua bullata, & incincta prætexta S. C. posita. Iniquum enim putavit, eum honori nondum tempestivum videri, qui jam virtuti maturus fuisset. Præcurrit igitur Lepidus ætatis stabilimentum fortiter faciendi celeritate, duplicemque laudem è prælio retulit, cujus eum vix spectatorem anni esse

An M. 3875. Ol. 150. 2. Vrb. C. 574. Ant. C. 178.

INTERPRETATIO.

a *Ex certis indolis ingenita exemplis referam nunc prima quasi elementa virtutis, & certa signa animi procedente tempore perventuri ad summam gloria laudem.*

b *Quod facinus memorandum indicat ex Senatusconsulto ad illius honorem posita in Capitolio statua ornata, & bulla aurea, & toga pratexta. Exstimavit enim injustum fore, si nullus honor ob teneram atatem tribueretur illi, qui jam maturum se prabuisset* virtute sua: *sic Lepidus celeritate rei fortiter gesta, pracurrit firmam & stabilem atatem.*

NOTÆ.

1. *Æmilius Lepidus.*] Cum multi eodem tempore Æmilij Lepidi Romæ floruerint, quis puer ille fuerit, conjicere difficile est.

2. *Progressus in aciem.*] Sub Tiberio Graccho bello Celtiberico id contigisse dicitur; cum Munda capta insignem de Celtiberis ad Alum victoriam retulit.

3. *Bullata statua.*] Bulla cum prætexta puerorum Nobilium insigne fuit; ex quo Tarquinius Priscus filium, quod hostem bello Sabino etiam tum puer occidisset, his donis ornavit. Fuit ex auro sæpius, interdum ex argento aliove metallo in cordis figuram efformata, ut illius aspectu incitati se fortes præstarent.

patiebantur. Arma enim infesta, & destricti gladij, & discursus telorum, & adventantis equitatus fragor, & currentium exercituum impetus, juvenibus quoque aliquantum terroris incutit. Inter quæ Æmiliæ gentis pueritia coronam mereri, spolia rapere valuit.

An. M. 3963. Ol. 172. 2. Vrb. C. 662. Ant.Ch. 90.

2. Hic spiritus ne [1] M quidem Catonis pueritiæ defuit. Nam cum in domo M. Drusi avunculi sui educaretur, & ad eum Tribun. plebis Latini [2] de civitate impetranda convenissent; à [3] Q. Poppedio Latinorum principe, Drusi autem hospite, rogatus, ut [4] socios apud avunculum adjuvaret; constanti vultu non facturum se respondit. iterum deinde, ac sæpius interpellatus, in proposito perstitit. Tunc Poppedius in excelsam ædium partem levatum, abjecturum inde se, nisi precibus obtemperaret, minatus est: nec hac re ab incepto moveri potuit. Expressa est itaque illa vox hominum, [a] Gratulemur nobis Latini, & socii, hunc esse tam parvum, quo Senatore ne sperare quidem nobis civitatem licuisset. Tenero ergo animo Cato totius Curiæ gravitatem percepit, perseverantiaque sua Latinos jura nostræ civitatis apprehendere cupientes repulit.

An.M. 3972. Ol 174. 3. Vrb.C. 671. Ant.Ch. 81.

Idem cum salutandi gratia prætextatus ad Syllam venisset, & [5] capita proscriptorum in atrium allata vidisset; atrocitate rei commotus pædagogum suum Sarpedonem nomine interrogavit, quapropter nemo inveniretur, qui tam crudelem tyrannum occideret: Cumque is non voluntatem hominibus, sed facultatem deesse, quod salus ejus magno militum præsidio custodiretur, respondisset: ut ferrum sibi daretur, obsecravit, affirmando, perfacile se eum interfecturum, quod in lecto illius considere soleret. Pædagogus & animum Catonis agnovit, &

INTERPRETATIO.

a *Gratulemur nobis Latini & socij, quod* Cato *sit puer: nam si esset Senator, non licuisset nobis jus civitatis sperare, nedum obtinere. Igitur Cato in animo tenero habuit tantam gravitatem, quantam universus Senatus.*

NOTÆ.

1. *M. Catonis.*] Vticensis, cujus mater Livia M. Drusi soror.

2. *De civitate impetranda.*] M. Drusus vir genere & eloquentia clarissimus, cum Tribunatum plebis gereret, primum Senatus partes secutus est; deinde aura populari longius provectus socios Italicosque spe civitatis sollicitavit: unde bellum sociale ortum est.

3. *Q. Poppedio.*] Silo Poppedius genere Marsus belli Italici contra Romanos & primus auctor & dux extitit.

4. *Socios.*] Qui Latium incolebant Latinos; qui extra Latium fœdere cum Romanis juncti erant, socios appellat.

5. *Proscriptorum capita.*] Alij alium ineunt proscriptorum numerum. Plutarchus primo die 80. Senatores, paulo post 220. Velleius Senatores 40. 1600. Equites. Florus ex ipso, tum Senatus, tum Equestris Ordinis flore 2000. proscriptos memorat: multi nec opinantes in domibus oppressi; alij per templa, per porticus alij necati; pars sublimes rapti, & ad Syllæ pedes trucidati, &c.

propositum exhorruit, [a] eumque postea ad Syllam excussum semper adduxit. Nihil hoc admirabilius. Puer in officina crudelitatis deprehensus, victorem non extimuit: tum maxime Consules, [1] Municipia Legiones, Equestris Ordinis majorem partem trucidantem. [b] Ipsum Marium si quis eo loci statuisset, celerius aliquid de fuga sua, quam de Syllæ nece cogitasset.

3. Cujus filium [2] Faustum [3] C. Cassius condiscipulum suum in schola, proscriptionem paternam laudantem, ipsum quoque, cum per ætatem potuisset, idem facturum minitantem, colapho percussit. Dignam manum, quæ publico parricidio se non contaminaret. An.M. 3979. Ol. 176. 2. Vrb.C. 678. Ant.Ch. 74.

INTERPRETATIO.

[a] *Eumque nunquam adduxit ad Syllam, nisi scrutatus illius vestes, num telum haberet.*

[b] *Si quis enim in eo loco, ubi erat Cato, statuisset ipsum Marium* virum audacem, *sibi ille potius fuga consuluisset, quam de morte Sylla* inferenda *cogitasset.*

NOTÆ.

1. *Municipia.*] Munitissima sub hasta venierunt Spoleum, Interamnium, Præneste, Fluentia; Sulmo vetus oppidum dirutum: Italorumque alij pecunia, alij exilio, alij morte mulctati: ita Florus Municipiorum duplex genus; nonnullis enim civitas Romana cum suffragio communicata fuit; aliis non item: illi Romanis, hi suis utebantur legibus; illisque petendi Magistratus jus datum est, negatum aliis.

2. *Faustum.*] Sylla Dictator perpetuus Felicem se, liberosque Faustos appellari voluit. Periit Faustus ille Pompeij M. gener in bello civili.

3. *C. Cassius.*] Ille ipse, qui Cæsarem occidit: quare parricidij publici reum illum dicit Valerius.

EXTERNUM.

1. Et ut à Græcis aliquid, Alcibiades ille, cujus nescio utrum bona, an vitia patriæ perniciosiora fuerint: illis enim cives suos decepit, his afflixit: cum adhuc puer ad Periclem avunculum suum venisset, eumque secreto tristem sedentem vidisset, interrogavit, quid ita tantam in vultu confusionem gereret? At illo dicente, mandato se civitatis Propylæa Minervæ, quæ sunt januæ arcis, ædificasse, consumptaque [1] in id opus ingenti pecunia, non invenire quo pacto ministerii rationem redderet, atque ideo conflictari: Ergo, inquit, quære potius, quemadmo- An. M. 3622. Ol. 87. 1. Vrb. C. 321. Ant C. 431.

NOTÆ.

1. *In id opus.*] Cum Athenienses ex communi Græcorum contributione pecuniam ad octo millia talentorum ex Delo Athenas transtulissent, illamque Pericli custodiendam tradidissent; ipse magnam ejus partem, non solum in vestibulo arcis extruendo, sed in privatos etiam usus expendit, ut tradit Diodorus. De Pericle libro 2. capite 6. numero 5. De Alcibiade, qui illius ex fratre nepos fuit, lib.1. cap.7. num.9. jam diximus.

dum rationem non reddas. Itaque vir amplissimus atque prudentissimus [a] suo consilio defectus, puerili usus est, atque id egit ut Athenienses [1] finitimo implicati bello rationibus exigendis non vacarent. Sed viderint Athenæ, utrum Alcibiadem lamententur, an glorientur: [b] quoniam adhuc inter execrationem hominis & admirationem, dubio mentis judicio fluctuantur.

INTERPRETATIO.

a *Suo proprio consilio destitutus.*
b *Quoniam etiamnum incerta mente dubitant* Athenienses *an Alcibiadem execrari, aut admirari debeant.*

NOTÆ.

1. *Finitimo implicati bello.*] Pueri consilium secutus Pericles, belli Peloponnesiaci suis civibus auctor fuit: unde ingens, cum toti Græciæ, tum ipsis potissimum Athenis calamitas; cum à Lacedæmoniis & captæ sint, & diu à 30 tyrannis vexatæ.

CAP. II.

DE FORTITUDINE.

CUJUS EXEMPLA ROMANA SUNT.

1. *M. Horatius Cocles.*
2. *Clœlia virgo.*
3. *Romulus.*
4. *A. Cornelius Cossus.*
5. *M. Marcellus.*
6. *Duellorum victores, T. Manlius Torquatus, M. Valer. Corvinus, & P. Scipio Æmilianus.*
7. *C. Atilius.*
8. *Equites Rom. in prælio ad Verruginem.*
9. *Iidem in prælio contra Samnites.*
10. *Milites Rom. in retinenda classe Punica.*
11. *Milites Rom. in prælio Cannensi.*
12. *P. Licinius Crassus Procos.*
13. *Q. Metellus Scipio Procos.*
14. *M. Cato Uticensis.*
15. *Porcia M.F.M. Bruti.*
16. *M. Cato majoris Catonis filius.*
17. *P. Scipio Nasica.*
18. *M. Æmilius Scaurus.*
19. *C. Iulius Cæsar Procos.*
20. *Tres milites, Vibius Accaus, Valerius Flaccus, T. Pedianus.*
21. *Q. Cotius Achilles.*
22. *C. Atilius.*
23. *M. Cœsius Scæva.*
24. *L. Sicinius Dentatus.*

EXTERNA.

1. *T. Iubellius Campanus.*
2. *Gobrias Persa.*
3. *Leonidas Spartanus.*
4. *Othryadas Spartanus.*
5. *Epaminondas Thebanus.*
6. *Theramenes Atheniensis.*
7. *Theogenes Numantinus.*
8. *Asdrubalis Pœni uxor.*
9. *Harmonia Gelonis Regis filia.*

a NOs quia jam initia procursusque virtutis patefecimus, actum ipsum persequemur; cujus ponderosissima vis, & efficacissimi lacerti in fortitudine consistunt. Nec præterit me, conditor urbis nostræ, Romule, principatum tibi hoc in genere laudis assignari oportere. Sed patere, obsecro, uno te præcurri exemplo, cui & ipse aliquantum honoris debes: quia beneficio illius effectum est, ne tam præclarum opus tuum Roma dilaberetur.

1. [1] Etruscis in urbem [2] ponte Sublicio irrumpentibus, [3] Horatius Cocles extremam ejus partem occupavit: totumque hostium agmen, donec post tergum suum pons abrumperetur, infatigabili pugna sustinuit. Atque, ut patriam periculo imminenti liberatam vidit, armatus se in Tiberim misit: cujus fortitudinem Dii immortales admirati, [4] incolumitatem sinceram ei præstiterunt. [b] Nam neque altitudine dejectus quassatusve, neque pondere armorum pressus, nec ullo vorticis circuitu actus, nec telis quidem, quæ undique congerebantur, læsus, tutum natandi eventum habuit. Unus itaque tot civium, tot hostium in se oculos convertit, stupentes illos admiratione, hos inter lætitiam & metum hæsitantes: unusque duos acerrima pugna consertos exercitus, alterum repellendo, alterum propugnando, distraxit. Denique unus urbi nostræ tantum scuto suo, quantum Tiberis alveo, munimenti attulit: Quapropter discedentes Etrusci dicere potuerunt: Romanos vicimus, ab Horatio victi sumus.

An.M. 3548 Ol. 68. 3. Vrb C. 247. Ant.Ch. 507.

2. Immemorem me propositi mei Clœlia pene facit: eadem enim tempestate, certe adversus eundem hostem & in eodem Tiberi inclytum

An.M. 3548. Ol. 68. 3. Vrb. C. 247. Ant.Ch. 507.

INTERPRETATIO.

a Nos cum jam initia & quasi primam virtutis indolem explicuerimus, nunc narrabimus varios illius effectus; cujus vis maxima & præcipue in fortitudine posita est.

b Nam neque ex alto ponte in fluvium decidens læsus est, neque oppressus pondere armorum, nec abreptus impetu fluminis verticosi.

NOTÆ.

1. *Etruscis in urbem.*] Pulsis urbe Tarquiniis, ad Porsennam Clusinorum Regem confugerant; qui junctis cum Octavio Mamilio Tarquinij genero copiis Romam infesto exercitu venit.

2. *Ponte Sublicio irrumpentibus.*] Etrusci Ianiculum primo impetu occupant: tum ad manus cum Romanis ventum est; diu, acriterque pugnatum; tandem post multam utrimque cædem Romani sauciis ducibus Valerio & Lucretio in urbem refugiunt; hostes magna vi à tergo instant: at Horatius Cocles primum cum Sp. Largio & T. Herminio, deinde illis etiam dilapsis solus eorum impetum sustinuit. *Rem ausus*, inquit Livius, *plus famæ habituram ad posteros, quam fidei.*

3. *Horatius Cocles.*] Horatius dictus est, quod ab Horatiis Tergeminis originem duceret; Cocles vero, quod alterum in pugna oculum amisisset: Horatij Pulvilli anno superiori Consulis frater patruelis.

4. *Incolumitatem sinceram.*] A Servio sagitta femur trajectus dicitur; cumque aliquanto post seu per jocum, seu serio illi objiceretur, quod claudus esset: *At ego*, inquit, *per singulos gradus ad-*

ausa facinus. [1] Inter cæteras enim virgines obses hosti Porsenæ data, nocturno tempore custodiam egressa, equum conscendit, celerique trajectu fluminis, [2] non solum obsidione, sed etiam metu patriam puella solvit, viris lumen virtutis præferendo.

An. M. 3305. Ol. 7. 4. Vrb. C. 4. Ant. Ch. 748.

3. Redeo nunc ad Romulum, qui ab Acrone [3] Ceninensium Rege [4] ad dimicandum provocatus, quanquam & numero & fortitudine militum superiorem se crederet, tutiusque erat, toto cum exercitu, quam solum in aciem descendere, sua potissimum dextra omen victoriæ rapuit: nec incepto ejus fortuna defuit. Occiso enim Acrone, fusisque hostibus, opima de eo spolia [5] Jovi Feretrio [6] retulit. Hactenus istud: quia publica religione consecrata virtus, nulla privata laudatione indiget.

An. M. 3618. Ol. 86. 1. Vrb. C. 317. Ant. Ch. 435.

4. A Romulo proximus [7] Cornelius Cossus, eidem deo spolia consecravit, [8] cum

NOTÆ.

neor triumphi mei.

1. *Inter virgines obsides.*] Audaci Mutij Scævolæ facinore territus Porsenna, cum quæreret qua ratione à Romanorum sibi caveret insidiis, respondit illius filius: non quærendum qua ratione se contra illorum insidias muniret, sed quo pacto custodiis non indigeret: tum Regi percontanti quî id fieri posset? *Si viros istos*, inquit, *amicos ex hostibus feceris.* Continuo Porsenna obsides & Romanis misit, & ab iis petiit, dum de pacis conditionibus conveniret: dati pueri nobiles & virgines.

2. *Non obsidione solum.*] Cum à Romanis, tum ab ipso Porsenna Clœliæ virtus honorata: ad Porsennam enim remissa, ab ipso vel parte obsidum, ex Livio, vel equo bellatore, ex aliis; à Romanis statua equestri in via sacra donata est; de qua Seneca in consol. ad Martiam: *Equestri insidens statuæ in sacra via Clœlia exprobrat juvenibus nostris pulvinum ascendentibus, in ea illos urbe ingredi, in qua etiam fœminas equo donavimus.*

3. *Ceninensium.*] Quorum civitas Cenina non procul ab urbe Roma.

4. *Ad dimicandum provocatus.*] Valerio consentit Plutarchus; Livio vero & Dionysio aliter videtur. Cum Ceninum agmen ob raptas virgines in agrum Romanum impetum fecisset, fit obvius cum exercitu Romulus, exercitum fundit, fugatque; fusum persequitur; Regemque cum valida juvenum manu occurrentem obtruncat.

5. *Iovi Feretrio.*] Hoc nomen Iovi datum est; vel quod pacem ferre diceretur; vel ab hoste feriendo; vel à feretro, quod instrumentum quoddam fuit ad spolia ferenda apte fabricatum.

6. *Retulit.*] Rapta ex hoste cæso spolia ipse gerens, vel è ramis arboris, vel è feretro suspensa, ex Livio & Plut. vel quadrigis invectus, indutusque purpura, ex Dionysio, in Capitolium ascendit; ibique ea cum ad quercum pastoribus sacram disposuisset, simul cum dono designavit templo Iovis fines, cognomenque addidit deo: *Iupiter Feretri*, inquit, *hæc tibi victor Romulus Rex regia arma fero, templumque his regionibus dedico sedem opimis spoliis, quæ Regibus, ducibusque hostium cæsis me auctorem sequentes posteri ferent.*

7. *Cornelius Cossus.*] Ex nobili Corneliorum gente, eximia pulchritudine corporis, animo ac viribus par, memorque generis, quod amplissimum acceptum, majus, auctiusque reliquit posteris. Ita Livius.

8. *Cum Magister Equitum.*] Hic manifestus est Valerij error; cum L. Quintius Cincinnatus ab Æmilio Mamercio Dictatore hoc in bello Magister Equitum dictus sit. Consul à Livio, ab aliis Tribunus militum fuisse perhibetur. Cur Livio potius quam aliis assentiar, duo me movent; unum, quod ea tantum spolia opima dicerentur, quæ dux duci detra-

Magister

Magister Equitum [1] ducem Fidenatium in acie congressus interemit. Magnus initio hujusce generis inchoatæ gloriæ Romulus: Cosso quoque multum acquisitum est, quod Romulum imitari valuit.

5. Ne M. quidem Marcelli memoriam ab his exemplis separare debemus, in quo tantus animi vigor fuit, ut [2] apud Padum [3] Gallorum Regem ingenti exercitu stipatum, cum paucis equitibus invaderet: quem protinus obtruncatum, armis exuit, eaque [4] Jovi Feretrio dicavit.

6. Eodem virtutis & pugnæ genere usi sunt [5] T. Manlius Torquatus, Vrb.C. 392.
& Valerius Corvinus, & [6] Æmilianus Scipio. Hi enim ultro [7] provoca- Vrb.C. 404.
tos hostium duces interemerunt: sed quia sub alienis auspiciis rem gesse- Vrb.C. 602.
rant, spolia Jovi Feretrio non posuerunt consecranda. Idem Scipio Æmi- An. M. 3903.
lianus, cum in Hispania sub Lucullo militaret, atque Intercatia præva- Ol. 157. 2.
lidum oppidum circumsederetur, [8] primus mœnia conscendit: Neque Vrb. C. 602. Ant. Ch. 150.

NOTÆ.

xisset; nec dux fuit, nisi cujus auspicio bellum gereretur: alterum quod titulus ipse spoliis inscriptus, teste Livio, arguat illum tum fuisse Consulem.

1. *Ducem Fidenatium.*] Tolumnium, quem cum insignem regio habitu volitantem tota acie conspexit; *Hiccine est*, inquit, *ruptor fœderis humani, violatorque gentium juris, ego hanc mactatam victimam Legatorum manibus dabo.* Infesta cuspide in eum fertur, equoque dejectum in terram affigit: tum detracta spolia, caputque victor spiculo gerens, terrore cæsi Regis hostes fundit.

2. *Apud Padum.*] Fluvium totius Italiæ maximum, qui receptis triginta fluminibus in mare Adriaticum prolabitur; vel ab arbore Picea; quæ à Gallis Pades dicitur, ut vult Plinius; vel, ut Isidorus, ab uno ex tribus, unde profluit fontibus, nomen accepit.

3. *Gallorum Regem, &c.*] Viridomarum, qui dum Clastidium in Romana ditione obsidet, Marcellus cum exigua Equitum manu obsessis auxilio advolat; instructaque acie in eum Marcellus admittit equum, occiditque; raptis illius spoliis; *Arbiter insignium factorum*, inquit, *Iupiter Feretri, te teste dux ducem, Consul Regem manu mea tertius ego hunc interfeci.* De illo ipso Marcello Virgilius:

Aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnes.

4. *Iovi Feretrio.*] Cum Valerio sentiunt alij omnes, si unum exceperis Servium, qui tradit prima spolia dicata Iovi à Romulo, altera Marti à Cornelio Cosso, tertia Quirino à Marcello.

5. *Titus Manlius & Valerius Corvinus.*] Vterque Gallum singulari certamine vicit; ille sub T. Quintio Pœno Dictatore; hic haud multo post sub L. Furio Camillo Consule; uterque aurea corona donatus ab Imperatore, cognomenque, tum sibi, tum posteris ex victoria peperit; alter Torquati, ex torque, quem raptum ex hoste cruoreque manantem collo circumdedit; alter Corvini à corvo, qui ipsius galeæ insidens, os oculosque hostis rostro & unguibus inter pugnam petiisse dicitur. Ita Livius & alij.

6. *Æmilianus Scipio.*] Dum Intercatiam Vaccæorum urbem Lucullus obsidet, Barbarum armis & corporis proceritate insignem Scipio interemit, ut tradunt Velleius & Florus.

7. *Provocatos.*] Fallitur Valerius: nec enim Romani Barbaros, sed Barbari Romanos provocarunt.

8. *Primus mœnia.*] Idem quidem refert Florus; sed Intercatiæ non meminit: tradit vero Appianus, Intercatiæ muris disjectis, obsessos se Scipionis fidei permisisse: quod certe cum Valerio non congruit. Quando Scipio Legatus in Hispaniam missus sit, dicemus alibi.

erat in eo exercitu quisquam aut nobilitate, aut animi indole, aut futuris actis, cujus saluti magis parci & consuli deberet: sed tunc clarissimus quisque juvenum, pro amplificanda & tuenda patria, plurimum laboris ac periculi sustinebat; deforme sibi existimans, quos dignitate præstaret, ab his virtute superari. Ideoque Æmilianus hanc militiam aliis propter difficultatem vitantibus, sibi depoposcit.

An. M. 3663. Ol. 97. 4. Vrb. C. 364. Ant. Ch. 388.

7. Magnum inter hæc fortitudinis exemplum antiquitas offert. Romani [1] à Gallorum exercitu pulsi, cum se in Capitolium, & in arcem conferrent, inque his collibus morari omnes non possent; necessarium consilium in plana urbis parte seniorum relinquendorum ceperunt, quo facilius juventus reliquias Imperij tueretur. Cæterum, ne illo quidem tam misero, tamque luctuoso tempore, civitas nostra virtutis suæ oblita est: [a] Defuncti enim honoribus, apertis januis, in curulibus sellis, cum insignibus Magistratuum, quos gesserant, Sacerdotiorumque, quæ erant adepti, consederunt, ut & ipsi in occasu suo splendorem & ornamenta vitæ præteritæ retinerent, & plebem ad fortius sustinendos casus suo vigore provocarent: Venerabilis eorum aspectus primo hostibus fuit, & novitate rei, & magnificentia cultus, & ipso audaciæ genere commotis. Sed quis dubitaret, quin & Galli, & victores illam admirationem mox in risum, & in omne contumeliæ genus conversuri essent? [b] Non expectavit igitur hanc injuriæ maturitatem [2] C. Atilius; verum barbam suam permulcenti Gallo scipionem vehementi ictu capiti inflixit, eique propter dolorem ad se occidendum ruenti cupidius corpus obtulit. Capi ergo virtus nescit; patientia dedecus ignorat. Fortunæ succumbere tristius ducit omni fato, nova & speciosa genera interitus excogitat; [c] si quisquam interit, qui sic extinguitur.

An. M. 3632. Ol. 89. 3. Vrb. C. 331. Ant. Ch. 421.

8. Reddendus est nunc Romanæ juventuti debitus honos, & gloriæ titulus, quæ, C. Sempronio Atratino Consule, cũ [3] Volscis apud Verruginem parum prospere dimicante, ne acies nostra jam inclinata propelleretur, [4] equis

INTERPRETATIO.

a *Viri qui Magistratus gesserant.*

b *C. Atilius non expectavit igitur injuriam mox ipsi inferendam.*

c *Si tamen is interire dicendus est, qui sic è vita egreditur.*

NOTÆ.

1. *A Gallorum exercitu pulsi.*] Ad ea quæ de Romanorum clade diximus duo addere libet; unũ, eos qui Veios fugerant, Romam ne nuncium quidem cladis misisse: alterum, Romæ omnes tanto terrore perculsos fuisse, ut occludere portas in mentem venerit nemini.

2. *Atilius.*] A Livio & Plutarcho vocatur M. Papyrius: ab eo cædis initium factum est: deinde cæteri in suis sedibus trucidati, domus direptæ, tectisque subjecti ignes.

3. *Volscis.*] Latij populis, qui diu cum Romanis bella gesserunt.

4. *Equis delapsa.*] Tempanius Equitum Decurio re jam labente suos hortatur, ut se sequantur, equisque relictis hostium sistant impetum: nec mora, omnes

delapsa, seipsam [1] centuriavit, atque hostium exercitum rupit Quo dimoto, proximum tumulum occupavit, effecitque ut omnis Volscorum in se conversus impetus, legionibus nostris ad confirmandos animos [a] salutare laxamentum daret. Itaque cum jam de trophæis statuendis cogitarent, prælium nocte dirimente, [2] victoresne an victi abirent, incerti discesserunt.

9. Strenuus ille quoque flos Ordinis Equestris, cujus mira virtute Fabius Maximus Rullianus Magister Equitum bello quod adversus Samnites gerebatur, male commissi prælij crimine levatus est. Namque Papirio Cursore propter auspicia repetenda ad Urbem proficiscente, castris præpositus, ac vetitus in aciem exercitum ducere; nihilominus manus cum hoste, sed non tam feliciter, quam temere conseruit: procul enim dubio [3] superabatur. Cæterum optimæ indolis juventus detractis equorum frenis, vehementer eos calcaribus stimulatos, in adversos Samnites egit, obstinataque animi præstantia extortam manibus hostium victoriam, [b] & cum ea spem maximi civis Rulliani patriæ restituit.

An. M. 3730. Ol. 114. 1. Vrb. C. 429. Ant. Ch. 325.

10. [4] Qualis [c] demum roboris illi milites, qui vehementi ictu remorum concitatam fugæ Punicam classem, nantes lubrico pelagi, quasi camporum firmitate, pedites in littus retraxerunt?

11. Ejusdem temporis & notæ miles, qui Cannensi prælio, quo Annibal magis vires Romanorum contudit, quam animos fregit, cum ad retinenda arma inutiles vulneribus manus haberet, spoliare se conantis Numidæ cervicem complexus, os, naribus & auribus corrosis, deforme reddidit: inque plenæ ultionis morsibus expiravit. Sepone iniquum pugnæ eventum, quantum interfectore fortior interfe-

An. M. 3838. Ol. 141. 1. Vrb. C. 537. Ant. Ch. 215.

INTERPRETATIO.

a *Daret remissionem* pugnæ, *unde salus secuta est.*

b *Et cum victoria restituit patria Rullianum tum civem spei maxima.*

c *Quantum robur habuerunt illi milites, qui nantes per loca maris lubrica, perinde ac si in campo firmo stetissent, retraxerunt in littus classem Punicam ad fugam impulsu remorum concitatam.*

NOTÆ.

illico equis delapsi vi viam faciunt, pugnamque restituunt.

1. *Centuriavit.*] Id est, perinde ac pedites in centurias digesti pedibus pugnarunt.

2. *Victoresne, an victi.*] Tantus utraque castra incessit pavor, ut relictis sauciis, magnaque impedimentorum parte, ambo exercitus in proximos colles se receperint. Tempanius vero orto jam sole, cum castra, tum Volscorum, tum Romanorum deserta comperisset; sauciis, quos potuit, secum abductis in urbem rediit.

3. *Superabatur.*] Aliter Livius narrat, cum testatur ita rem in eo prælio gestam, ut nec dux militi, nec miles duci defuerit; victoriaque haud difficili 20 hostium millia cæsa. Vide l. 2. c. 7. n 6.

4. *Qualis demum.*] Nullus auctorum, quos quidem legerim, præter Valerium, illius rei meminit.

ctus? [a] Pœnus enim in victoria obnoxius morienti, solatio fuit: Romanus in ipso fine vitæ vindex sui extitit.

An. M. 3913. Ol. 162. 2. Vrb. C. 622. Ant. Ch. 130.

12. [b] Militis hujus in adverso casu tam egregius, tamque virilis animus, quam relaturus sum Imperatoris. [1] P. enim Crassus [2] cum Aristonico bellum in Asia gerens, [3] à Thracibus, quorum is magnum numerum in præsidio habebat, [4] inter Eleam & Smyrnam exceptus, ne in ditionem ejus perveniret, [c] dedecus, accersita ratione mortis, effugit. Virgam enim, qua ad regendum equum usus fuerat, in unius barbari oculum direxit, qui vi doloris accensus, latus Crassi [5] sica confodit: dumque se ulciscitur, Romanum Imperatorem majestatis amissæ turpitudine liberavit. [d] Ostendit fortunæ Crassus, quam indignum virum tam gravi contumelia afficere voluisset; quoniam quidem injectos ab ea libertati suæ miserabiles laqueos prudenter pariter ac fortiter rupit, datumque se jam Aristonico, dignitati suæ reddidit.

An. M. 4008. Ol. 183. 3. Vrb. C. 707. Ant. Ch. 45.

13. Eodem mentis proposito usus est [6] Scipio; namque infeliciter

INTERPRETATIO.

a *Pœnus enim* miles his partibus corporis *mutilatus solatium quoddam attulit Romano morienti.*

b *Animus hujus militis tam fortis fuit & egregius in casu adverso, quam animus Imperatoris, de quo nunc locuturus sum.*

c *Effugit dedecus inventa ratione, qua mors illi inferretur.*

d *Hoc facto Craßus ostendit fortunæ se non esse dignum, qui tam gravi dedecore ab ea afficeretur.*

NOTÆ.

1. *P. Crassus.*] Mutianus, cui omnium primo concessum est, ut esset eodem tempore & Imperator & Pontifex maximus.

2. *Cum Aristonico.*] Fuit Eumenis non justo matrimonio; sed ex pellice Ephessa filius, teste Iustino: mentitum stirpis regiæ originem dicit Velleius; ferocem regij sanguinis juvenem appellant Florus & Eutropius. Cum ægre ferret Attalum testamento Pergami regnum legasse Romanis, multas, qua vi, qua pactione cepit urbes.

3. *A Thracibus captus.*] Prælij non meminit Valerius; ingenti tamen pugna ab Aristonico victus est, ex Strabone, Eutropio & Orosio, quamvis haberet infinita prope Regum auxilia: in prælioque occubuit, si Straboni & Eutropio credimus; si vero Valerio & Orosio, ab hostibus circumventus, ne vivus caperetur, virgam in oculum Thracis impegit, ab eoque occisus est.

4. *Inter Eleam & Smyrnam.*] Elea Acolidis, nunc *l'Alea*, Smyrna Ioniæ urbs fuit in Asia minori: illa Zenonis Philosophi, hæc Homeri Poetæ, ut plurimi credunt, patria; vel à Thesei uxore, ut scribit Herodotus; vel ut Stephanus, ab Amazone nomen accepit. *Smyrne.*

5. *Sica.*] Ferreus fuit & incurvus gladiolus. Aprorum dentibus comparat Athenæus; ensem falcatum interpretatur Lipsius.

6. *Scipio.*] Q. Metellus Pius Scipio Nasicæ filius, in genus & hæreditatem Metelli Pij adoptatus: cujus filia Cornelia, primum M. Crasso Divitis filio, deinde Pompeio Magno nupserat.

Cn. Pompeij generi sui [1] defensis [2] in Africa partibus, classe Hispaniam petens; cum animadvertisset, navem qua vehebatur, [3] ab hostibus captam, gladio præcordia sua transverberavit: Ac deinde prostratus in puppi, quærentibus Cæsarianis militibus ubinam esset Imperator, respondit. Imperator [4] bene se habet: [a] tantumque eloqui valuit, quantum ad testandam animi fortitudinem æternæ laudi satis erat.

14. [b] Tui quoque clarissimi excessus, Cato, [5] Utica monimentum An M. 4008.
est, in qua ex fortissimis vulneribus tuis plus gloriæ, quam sanguinis Ol. 183.
manavit. Siquidem constantissime [6] in gladium incumbendo, magnum Vrb. C. 707.
hominibus documentum dedisti, quanto potior esse debeat probis di- Ant. Ch. 45.
gnitas sine vita, quam vita sine dignitate.

An.M. 4010.
15. [7] Cujus filia minime muliebris animi: quæ cum Bruti viri sui Ol. 184. 1.
Vrb. C. 709.
Ant. Ch. 43.

Interpretatio.

a *Id tantum potuit dicere quod satis erat ad ostendendam animi fortitudinem immortali laude dignam.*

b *O Cato, Utica etiam nunc testatur mortem tuam clarissimam.*

Notæ.

1. *Defensis in Africa partibus.*] Victo ad Pharsalum Pompeio, Scipio, Cato, & Sex. Pompeius in Africam navigant, novum comparant exercitum; junctisque cum Iuba Mauritaniæ Rege copiis, non procul à Thapso alterum contra Cæsarem prælium ineunt; sed iterum victi, amissisque 50. hominum millibus Scipio, cui primas detulerant alij, Hispaniam versus cum 12. navibus refugit.

2. *In Africa.*] Cæsari cum dixisset nescio quis, fatale esse Scipionibus in Africa vincere, ex Corneliorum gente Scipionem quemdam cognomento Salutionem copiis suis ducem præfecit; quo vel Scipionem hostium ducem irrideret, vel illud sibi vindicaret augurium.

3. *Ab hostibus captam.*] Diu multumque jactatus fluctibus, vel in Mauritaniam, ut vult Dio; vel ad Hipponem regium, ut alij, defertur; ibique à P. Silio aut jam captus, aut mox capiendus sibi mortem conscivit.

4. *Bene se habet.*] *Hæc vox*, inquit Seneca l. 4. ep. 24. *parem illum majoribus fecit, & fatalem Scipionibus in Africa gloriam non est interrumpi passa. Multum fuit Carthaginem vincere; sed amplius mortem: nec aliter debebat Imperator, & quidem Catonis, mori.*

5. *Utica.*] Tyriorum, sicut Carthago, Colonia, à qua 60 stadiis dissita fuit, ex Appiano: ad littus maris, ubi nunc *Biserta*.

6. *In gladium incumbendo.*] Uticam defendendam receperat Cato: sed, ubi rem perditam, seque desertum ab aliis videt, mori statuit, rebus suis compositis, liberisque L. Cæsari commendatis. Sub cœnam de Philosophicis cum Philosophis multum disputat; post deambulationem solito vultu it cubitum, librumque Platonis de immortalitate animæ legit in multam noctem: tum gladio pectus trajicit. Strepitu, lecto enim deciderat, excitati servi irrumpunt in cubiculum, humi jacentem in lectum reponunt, obligantque vulnus: sed frustra; nam paulo post suis ipse manibus vulnus dilacerat, multoque effuso sanguine expiravit. Quæ pluribus Plutarchus in Catone persequitur. De morte Catonis præclare, ut solet, Seneca, cujus hæc verba sunt, ex ep. 25. ad Lucilium. *Ultima illa nocte Platonis librum legerat, posito ad caput gladio: duo hæc in rebus extremis instrumenta perspexerat; alterum ut vellet mori; alterum, ut posset, &c.*

7. *Cujus filia.*] Porcia, quæ bis nupsit, semel Bibulo, ex quo duos suf-

consilium, quod de interficiendo Cæsare ceperat, ea nocte, quam dies teterrimi facti secutus est, cognovisset; egresso cubiculum Bruto, cultellum tonsorium, quasi unguium resecandorum causa poposcit, eoque velut forte elapso, se vulneravit: Clamore deinde ancillarum in cubiculum revocatus Brutus, objurgare eam cœpit, quod tonsoris præripuisset officium. Cui secreto Porcia; Non est, inquit, hoc temerarium factum meum: sed in tali statu nostro amoris mei erga te certissimum indicium. Experiri enim volui, si tibi propositum ex sententia parum cessisset, quam æquo animo me ferro essem interemptura.

An. M. 3886. Ol. 153. 1. Vrb. C. 585. Ant. C. 167.

16. [a] Felicior progenie sua superior Cato, à quo Porciæ familiæ principia manarunt. Qui cum ab hoste [1] in acie vehementi periculo peteretur, [2] è vagina gladius ejus elapsus decidit: [b] Quem subjectum præliantium globo, & undique hostilibus pedibus circumdatum, postquam abesse sibi animadvertit; adeo constanti animo in suam potestatem redegit, ut illum non periculo oppressus rapere, sed metu vacuus sumere videretur. Quo spectaculo attoniti hostes, postero die [3] ad eum supplices pacem petentes venerunt.

17. [c] Togæ quoque fortitudo militaribus operibus inserenda est, quia eandem laudem foro atque castris edita meretur. Cum Ti. Gracchus [4] in Tribunatu profusis largitionibus favore populi occupato, Rempublicam oppressam teneret, palamque dictitaret, interempto Senatu, omnia per populum agi debere [5] in Ædem Fidei publice convocati Patres Conscripti à Consule [6] Mutio Scævola, quidnam in tali tempestate faciendum esset, deliberabant: Cunctisque censentibus, ut Consul armis Rempublicam tueretur, Scęvola negavit se quidquam vi

Interpretatio.

a *Cato Major, qui princeps fuit & caput familiæ Porciæ, felicior fuit in filio, qui &c.*

b *Quem* gladium *conculcatum à pugnantium multitudine, & delapsum inter pedes hostium, ubi sensit amissum, tam forti animo se gessit ad eum recuperandum, ut, &c.*

c *Fortitudo quoque viri togati miscenda est cum gestis militaribus.*

Notæ.

cepit liberos; iterum M. Bruto.

1. *In acie.*] Qua Paulus Æmilius Persen vicit.

2. *E vagina gladius.*] Non è vagina, sed è manu gladius decidit, dum fortiter dimicat, ut narrant & Iustinus l.33. & Plutarchus.

3. *Ad eum supplices.*] Ne credas Valerio, nisi cum ipso errare velis; nullum enim, seu Magistratum, seu munus publicum tum gerebat Cato ille Censoris filius; sed admodum juvenis sub Paulo Æmilio militabat; à quo, non à Catone, Macedones victo Perseo pacem petierunt.

4. *In Tribunatu profusis, &c.*] De Tiberij Gracchi Tribunatu & cæde egimus l.1. c.4. n 2.

5. *In Ædem Fidei.*] Quæ à Numa Pompilio in Capitolio consecrata fuit, ex Plut. Dione & aliis; deinde ab Attilio Calatino refecta, ex Cicerone.

6. *Mutio Scævola.*] P. Crassi Mutiani, de quo paulo ante, frater fuit.

esse acturum. Tum Scipio Nasica: Quoniam, inquit, Consul, dum juris ordinem sequitur, id agit, ut cum omnibus legibus Romanum Imperium corruat; egomet privatus voluntati vestræ me ducem offero: Ac deinde lævam manum apertæ togæ circumdedit, sublataque dextera proclamavit: Qui Rempublicam salvam esse volunt, me sequantur: [a] eaque voce, cunctatione bonorum civium discussa, Gracchum cum scelerata factione, quas merebatur pœnas persolvere coëgit.

18. Item cum Tribunus plebis [1] Saturninus, & Prætor Glaucia, & [2] Equitius designatus Tribunus plebis, maximos in civitate nostra [3] seditionum motus excitassent, nec quisquam se populo concitato opponeret: Primum M. Æmilius Scaurus C. Marium Consulatum sextum gerentem hortatus est, ut libertatem legesque manu defenderet: protinusque arma sibi afferri jussit: Quibus allatis, ultima senectute confectum & pene dilapsum corpus induit spiculoque innixus ante fores Curiæ constitit, [b] ac parvulis extremi spiritus reliquiis, [4] ne Respubl. exspiraret, effecit: præstantia enim animi sui Senatum & Equestrem Ordinem ad vindictam exigendam impulit.

An. M. 3954. Ol. 170. 1. Vrb. C. 653. Ant. Ch. 99.

19. [c] Sed ut superius armorum & togæ; ita tunc etiam syderum clarum decus Divum Julium, certissimam veræ virtutis effigiem repræsentemus. Cum innumerabili multitudine, & feroci [5] impetu Nerviorum [6] inclinari aciem suam videret; timidius pugnanti militi scutum detraxit, eoque tectus acerrime præliari cœpit. Quo facto [7] fortitudinem per to-

An. M 3997. Ol. 180. 4. Vrb. C. 696. Ant. Ch. 56.

INTERPRETATIO.

a *Ea voce cum bonos cives metu cunctantes excitasset, coëgit Gracchum, &c.*

b *Et bene usus extremo vitæ suæ tempore effecit, ne Respublica everteretur.*

c *Sed sicut ostendimus supra gloriam rerum & in armis, & in toga fortiter gestarum; ita nunc repræsentemus clarum decus syderum*, scilicet *Divum Iulium Cæsarem*, qui fuit *certum exemplar veræ virtutis.*

NOTÆ.

1. *Saturninus & Prætor Glaucia.*] L. Apuleius Saturninus & C. Servilius Glaucia, ambo primum Mario infensi; Apuleius, quod ab eo Censore notatus esset; alter altera de causa: utrumque tamen sibi Marius conciliavit, ut Metellum Numidicum urbe ejiceret.

2. *Equitius.*] Qui dum Tib. Gracchi se filium esse mentitur, Tribunatum plebis assecutus est.

3. *Seditionum motus.*] Ab iis percussores in ipsis comitiis immissi, qui Memmium Glauciæ in Prætura competitorem palam fustibus conficerent: unde ingens tumultus, concioque soluta.

4. *Ne Respub. expiraret.*] Ob turbata comitia populus furore percitus Apuleium & Glauciam deposcit: ambo à Senatu hostes judicati, & à Mario Consule in Capitolio, quo fugerant, obsessi, Mario se dedunt; qui illos in Curia includit: ubi à populo convulsis è Curia tegulis oppressi sunt. Hæc fere Appianus.

5. *Impetu Nerviorum.*] Aliis Moguntini, aliis, quod verius putem, Tornacenses, vicinæque regionis incolæ dicuntur.

6. *Inclinari aciem*] Romani primo impetu fusi fugatique sunt adeo ut Treveri, qui Cæsari veniebant auxilio, actum esse de Romanis rati, domum reverterentur.

7. *Fortitudinem per totum, &c.*] Hæc

tum exercitum diffudit, labentemque belli fortunam divino animi ardore restituit. [1] Idem alio prælio legionis Martiæ aquiliferum ineundæ fugæ gratia jam conversum, faucibus comprehensum, in contrariam partem detraxit, dexteramque ad hostem tendens: Quorsum, tu, inquit, abis? illic sunt cum quibus dimicamus: & manibus quidem unum militem, adhortatione vero tam acri omnium legionum trepidationem correxit; vincique paratas, vincere docuit.

An. M.3842. Ol.142. 1. Urb. C. 541. Ant. Ch.211.

20. [a] Cæterum, ut humanæ virtutis actum exequamur: [2] cum Annibal Capuam, in qua Romanus exercitus erat, obsideret; Vibius Acceus [3] Pelignæ cohortis Præfectus, vexillum trans Pœnicum vallum projecit: se ipsum, suósque commilitones (si eo hostes potiti essent) execratus: & ad id petendum subsequente cohorte primus impetum fecit: Quod ut Valerius Flaccus Tribunus [4] tertiæ legionis aspexit, conversus ad suos: Spectatores, inquit, ut video, alienæ virtutis huc venimus: sed absit hoc dedecus à sanguine nostro, ut Romani gloria cedere Latinis velimus. Ego certe aut speciosam optavi mortem, aut fe-

INTERPRETATIO.

[a] *Cæterum, ut narremus rem fortiter gestam ab humana virtute.*

NOTÆ.

Cæsaris audacia tantus victis injectus est ardor, ut inermes occurrerent armatis, & qui vulneribus confecti procubuerant, prælium redintegrarent: itaque mutata rei facies; ut nomen Nerviorum prope ad internecionem deletum sit: ex sexcentis enim Senatoribus tres tantum; ex 60. hominum millibus, vix 600. qui arma ferre possent, superfuerunt: quæ cum à majoribus audisset Cæsar, illos suis, tum oppidis, tum finibus uti jussit.

1. *Idem alio prælio.*] Vel in Africa contra Scipionem, vel in Hispania contra Pompeij liberos pugnanti id accidisse videtur.

2. *Cum Annibal Capuam.*] Duo sunt hoc in loco, & quidem gravia Valerij peccata: quod id, & ad Capuam, & in Annibalis castris eam urbem obsidentis actum velit: cum & ad Beneventum, & in castris Hannonis editum hoc fortitudinis specimen ex Livio aliisque certum sit: quî in mentem venerit Valerio scribere Capuam fuisse ab Annibale obsessam, non video: cum ad Annibalem post Cannensem victoriam ipsa ultro defecerit; & illud à nemine, quod sciam, fuerit memoriæ proditum. Is quomodo Valerij corrigendus error, paucis accipe. Veriti Campani, ne Consules Q. Fulvius Flaccus & Ap. Claudius Pulcher Capuam obsiderent, petunt ab Annibale, ut frumentum in urbem convehi jubeat; ille tum arci Tarentinæ capiendæ intentus, Hannonem mittit, qui castra non procul à Benevento ponit: id ubi ad Fulvium Consulem allatum est, continuo cum expeditis militibus ante lucem advolat, castraque adoritur, sed frustra: nam repulsus sæpius jam receptus cecinerat, cum Vibius Valerius & T. Pedanius suos quisque hortatur milites, vallum conscendunt, castrisque hostium potiuntur. Ita Livius.

3. *Pelignæ cohortis.*] Pelignum oppidum Latinum est, unde cohors Peligna.

4. *Tertiæ legionis.*] Legionum nomina alia aliunde petita; vulgo tamen ab ordine temporis, quo quæque scripta fuerit: unde prima, secunda, tertia, &c. legio. Nonnunquam etiam dictæ sunt, vel à diis, ut Martia, Minervia, &c. vel ab Imperatoribus, ut Augusta, Flavia; vel à fortitudine, ut fulminatrix, victrix, &c. vel à loco hybernorum, ut Gallica,

licem

licem audaciæ exitum: Vel solus igitur præcurrere paratus sum. His auditis, Pedanius Centurio convulsum signum dextera retinens: Jam hoc, inquit, intra hostile vallum mecum erit: proinde sequantur, qui id capi nolunt: & cum eo in castra Pœnorum irrupit, totamque secum traxit legionem. [a] Ita trium virorum fortis temeritas, Annibalem paulo ante spe sua Capuæ potitorem, [1] ne castrorum quidem suorum potentem esse passa est.

21. Quorum virtuti nihil cedit Q. Cotius, qui propter fortitudinem [2] Achilles cognominatus est. Nam ut reliqua ejus opera non exequar, abunde tamen duobus factis, quæ relaturus sum, quantus bellator fuerit, cognoscetur. [3] Q. Metello Consule Legatus in Hispaniam profectus, Celtibericum sub eo bellum gerens, postquam cognovit à quodam gentis hujus juvene, se ad dimicandum provocari: erat autem illi forte prandendi gratia mensa posita: relicta ea, arma sua extra vallum deferri, equumque clam educi jussit, ne à Metello impediretur: Et illum [4] Celtiberum insolentissime obequitantem consectatus interemit, detractasque corpori ejus exuvias, ovans lætitia in castra retulit. Idem Piresium nobilitate ac virtute Celtiberos omnes præstantem, cum ab eo in certamen pugnæ devocatus esset, succumbere sibi coëgit. Nec erubuit flagrantissimi pectoris juvenis gladium ei suum & [5] sagulum utroque exercitu spectante tradere. Ille vero etiam petiit, ut hospitii jure inter se juncti essent, quando inter Romanos & Celtiberos pax foret restituta.

An. M. 3911. Ol. 159. 3. Vrb. C. 611. Ant. Ch. 141.

22. Ne C. Atilium quidem præterire possumus, qui cum decimæ legionis miles pro C. Cæsaris partibus [6] maritima pugna præliaretur,

An. M. 4005. Ol. 182. 4. Vrb. C. 704. Ant. Ch. 48.

INTERPRETATIO.

a *Ita tres illi viri temeraria sua fortitudine effecerunt ut castris suis spoliaretur Annibal, qui paulo ante sperabat se brevi urbe Capua potiturum.*

NOTÆ.

Macedonica; vel ab armorum præstantia, ut ferrata.

1. *Ne castrorum quidem suorum.*] Castra Hannonis direpta, supra sex millia hostium cæsa, supra septem millia capta, cum omni frumentorum & plaustrorum apparatu; & alia ingens præda fuit.

2. *Achilles.*] Cognomen illud L. Sicinnio Dentato tribuitur à Gellio.

3. *Q. Metello Consule.*] Macedonico, qui tum Proconsul bellum gerebat.

4. *Celtiberum.*] Cum Celtæ venissent ad Iberum, ibique consedissent, Celtiberi dicti sunt, vulgo *Aragon.* Vnde Lucanus l. 3.

Profugique à gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberi.

5. *Sagulum.*] Vt toga pacis, ita sagulum belli insigne fuit. Vestis erat militaris variis contexta coloribus; quæ armis superinduebatur. A Gallis mutuatos Romanos testatur Strabo.

6. *Maritima pugna.*] Post Pompeii ex Italia fugam urbe potitus Cæsar, contra Petreium & Afranium, qui cum validis copiis terrebant Hispaniam, ducit exercitum: interimque Massilienses obsideri jubet. Navale prælium datum est, in

abſciſſa dextra, quam Maſſilienſium navi injecerat, læva puppim ap-prehendit: nec ante dimicare deſtitit, quam captam profundo merge-ret: [a] Quod factum [1] parum juſta notitia patet. [2] At Cynægyrum Athe-nienſem ſimili pertinacia in confectandis hoſtibus uſum, verboſa lau-dum ſuarum cantu Græcia, omnium ſæculorum memoriæ literarum præconio inculcat.

An. M. 3562. Ol. 72. 1. Vrb. C. 261. Ant. Ch. 491.

An. M. 4006. Ol. 183. 1. Vrb. C. 705. Ant. Ch. 47.

23. [b] Claſſicam Atilii gloriam terreſtri laude [3] M. Cæſius Scæva ejuſ-dem Imperatoris Centurio ſubſecutus eſt. Cum enim [4] pro caſtello, cui præpoſitus erat, dimicaret, Cneique Pompeij Præfectus, juſſu ejus, ſummo ſtudio & magno militum numero ad id capiendum mitte-retur, omnes qui propius acceſſerant, interemit: ac ſine ullo re-greſſu pedes pugnans, ſuper ingentem ſtragem, quam ipſe fecerat [5] corruit. Cujus capite, humero, femore ſaucio, & oculo eruto, [6] ſcu-tum centum & viginti ictibus perfoſſum apparuit. Tales in caſtris Divi Julii diſciplina milites aluit, [c] quorum alter dextera, alter oculo amiſſ: hoſtibus inhæſit: ille poſt hanc jacturam victor, hic ne hac quidem ja-ctura victus.

[d] Tuum vero, Scæva, inexuperabilem ſpiritum in utraque parte rerum naturæ, qua admiratione proſequar, neſcio: quoniam excellenti vir-tute dubium reliquiſti, inter undaſne pugnam fortiorem edideris, an in terra vocem emiſeris. Bello namque, quo C. Cæſar non contentus

An. M. 3999. Ol. 181. 2. Vrb. C. 698. Ant. Ch. 54.

Interpretatio.

a *Quod* præclarum *facinus minus quam opor.ere, notum eſt. At G acia in laudibus ſuis decantandis eloquens, literarum monimentis commendavit æterna memoria Cynægyrum Athenienſem, qui hoſtes tam pertinaci audacia inſecutus eſt.*

b *M. Cæſius Scæva laude in prælio terreſtri relata adæquavit gloriam, quam Atilius in pugna navali conſecutus eſt.*

c *Quorum alter amputata dextera alter amiſſo oculo à pugna contra hoſtes non receſſit.*

d *O Scæva, neſcio qua admiratione proſequar tuum ingentem animum, qui vinci non potuit in mari & in terra q ia duæ ſunt partes rerum naturæ.*

Notæ.

quo Maſſilienſes, quamvis & navium numero, & navigandi peritia ſuperiores, poſt acrem pugnam denique vincuntur.

1. *Parum juſta notitia.*] Meminerunt etiam illius Lucanus & Suetonius; ſed uterque à Valerio id accepit.

2. *Cynægyrum.*] Qui poſt Marathoniam pugnam fugientes hoſtes ad mare uſque perſecutus, ſummam puppim apprehendit, & manu bipenni abſciſſa cecidit; ita quidem Herodotus: at ſi Iuſtino credimus, navem primum dextra, tum ſiniſtra, iiſque amputatis, quod vix credas, morſu detinuit. Fides ſit penes auctorem.

3. *M. Cæſius Scæva.*] A Suetonio dicitur Caſſus; ab Appiano, Minucius Scæva.

4. *Pro caſtello.*] Propter Dyrrachium Cæſaris munitionibus obſeſſus Pompeius, cum fame premeretur, illo quod Scæva tuebatur, caſtello erumpere tentavit.

5. *Corruit.*] Non corruit Scæva: ſed à ſuis elatus è pugna, primipilatu & ducentis æris millibus à Cæſare donatus eſt, ex Plut. & Suet.

6. *Scutum centum & viginti.*] In ſcuto 230. ſagittæ inventæ ſunt; in caſte...

opera sua Oceani claudere littoribus, [a] [1] Britannicæ insulæ cœlestes injecit manus, cum quatuor commilitonibus rate transvectus, in scopulum vicinum insulæ, quam hostium ingentes copiæ obtinebant; [b] postquam æstus regressu suo spatium, quo scopulus & insula dividebantur, in vadum transitu facile redegit, ingenti multitudine barbarorum affluente, cæteris rate ad littus regressis; solus immobilem stationis gradum retinens, undique ruentibus telis, & ab omni parte acri studio ad te invadendum nitentibus, quinque militum diurno prælio suffectura pila, una dextra, hostium corporibus adegisti: Ad ultimum districto gladio audacissimum quemque modo umbonis impulsu, modo mucronis ictu depellens, hinc Romanis, illinc Britannicis oculis incredibili, dum cernereris, spectaculo fuisti. Postquam deinde ira ac pudor cuncta conari fessos coëgit, [2] tragula femur trajectus, saxique pondere ora contusus, [3] galea jam ictibus discussa, [c] & scuto crebris foraminibus absumpto, profundo te credidisti; ac duabus loricis onustus, inter undas, quas hostili cruore infeceras, enatasti: Visoque Imperatore [d] armis non amissis, sed bene impensis, cum laudem mereveris, veniam petiisti. Magnus prælio, sed major disciplinæ militaris memoria: itaque ab optimo virtutis æstimatore, cum facta, tum etiam verba tua, Centurionatus honore donata.

26. Sed quod ad præliatorum excellentem fortitudinem attinet, merito [4] L. Sicinii Dentati commemoratio omnia Romana exempla An. M. 3600. Ol. 81. 3. Vrb. C. 299. Ant. Ch. 453.

INTERPRETATIO.

a *In Britannicas insulas transiit, ut eas sibi subjiceret.*

b *Postquam æstus maris regressu suo fecit, ut spatium quo scopulus & insula dividebantur, vadum fieret facile transitu, ingenti Barbarorum multitudine in te irruente, & tuis etiam sociis navicula regressis ad littus; tu solus, cum velles servare locum jam occupatum, tela, quæ suffecissent quinque militibus, in pugna unius diei integræ tua unius dextra immisisti in corpora hostium, qui tela etiam in te undique jaciebant, & ex omni parte ad te capiendum acri studio nitebantur.*

c *In aquas maris te immisisti scuto multis ictibus perforato.*

d *Telis non amissis in pugna, sed fortiter in hostes immissis.*

NOTÆ.

vero 30. ferme millia.

1. *Britannica insula.*] In Oceano Septentrionali è regione Galliæ sita est; Insula totius Europæ maxima, quæ Angliam & Scotiam continet, in quam primus è Romanis Cæsar cum 80. onerariis navibus ingressus est: sive quod inde Gallis mitterentur auxilia, sive ut illas etiam gentes Imperio Romano adjungeret.

2. *Tragula.*] Telum fuit hamatum, sic dictum, quod infixum scuto trahatur: hoc telo utebantur Romani, Galli, Hispani.

3. *Galea.*] Quæ forma fuerit, tum galeæ, tum loricæ, non est operę pretium hic explicare multis, cum id cuique notum sit: erant enim iis, quibus haud ita pridem milites nostri utebantur, haud absimiles; præter quam quod galeæ erant apertæ, nostræ vero clausæ: loricæ vero nostris aliquanto breviores.

4. *L. Sicinij Dentat.*] A multis Siccius

finierit : cujus opera honoresque operum ultra fidem veri excedere judicari possent; nisi ea certi auctores, inter quos [1] M. Varro, monimentis suis testata esse voluissent: Quem centies & vegesies in aciem descendisse tradunt, eo robore animi, atque corporis utentem, [a] ut majorem semper victoriæ partem traxisse videretur. Sed & [2] triginta spolia ex hoste retulisse, quorum in numero octo fuisse, cum quibus inspectante utroque exercitu ex provocatione dimicasset, quatuordecim cives ex media morte raptos servasse, quinque & quadraginta vulnera pectore excepisse, tergo cicatricibus vacuo. Novem triumphales Imperatorum currus secutum, totius civitatis oculis in se numerosa [3] donorum pompa convertentem. Præferebantur enim [4] aureæ coronæ octo, civicæ quatuordecim, murales tres; obsidionalis una, torques centum octoginta tres, armillæ centum sexaginta, hastæ octodecim, [5] phaleræ viginti quinque, [b] ornamenta etiam legioni, nedum militi satis multa.

INTERPRETATIO.

a *Vt videretur majorem semper ex parta victoria laudem ad se traxisse.*

b *Quæ ornamento non uni militi solum, sed legioni etiam integræ satis multa fuissent.*

NOTÆ.

dicitur; vir quidem fortissimus, sed nobilitati maxime infensus; cumque T. Romulium Consularem damnasset ipse Tribunus plebis, paulo post Decemvirorum fraude periit.

1. *M. Varro.*] Doctus ille Ciceronis, & æqualis, & amicus; de quo postea.

2. *Triginta spolia.*] Brevius Solinus; spolia ex hoste tricies quater cepit, in phaleris, hastis, pilis, armillis, coronis trecenta duodecim dona meruit.

3. *Donorum pompa.*] Parta victoria solebat Imperator pro tribunali sedere, vocatoque exercitu laudare milites; quid à quoque fortiter gestum prædicare; nominatim appellare singulos, illisque dona militaria largiri.

4. *Aureæ coronæ octo.*] Sicut variatum erant coronarum genera, ita aliæ aliis de causis dabantur. Qui victoriam suis peperisset, donabatur aurea corona: qui subiisset primus murum hostilem, murali; qui obsidione liberasset, aut cives, aut socios, obsidionali, quæ graminea fuit; qui hoste cæso civem servasset, civica, quæ primum ilignea, deinde æsculea, denique quernea, ex Plinio. Qui coronam civicam retulerat, id habuit præ cæteris singulare; ut & ipsi, & patri, & avo vacatio munerum omnium, locusque ad ludos spectandos daretur Senatui proximus.

5. *Phaleræ.*] Erant equorum, vel circa maxillas tegumenta, ex Herodoto; vel ornamenta, seu frontis, ex Servio, seu pectoris, haud aliter ac mulieribus monilia, ex Plinio: Ego cum Aldo Manutio non temere dixerim, quidquid equorum fronti, maxillis, pectori ad ornamentum adderetur, phalerarum nomine appellatum.

EXTERNA.

1. [a]Ille quoque ex pluribus corporibus in unum magna cum admiratione [1] Calibus cruor confusus est, in quo oppido cum [2] Fulvius Flaccus, propter Campanam perfidiam principes civitatis ante tribunal suum [3] capitali supplicio afficiendos judicaret, literisque à Senatu acceptis, finem pœnæ eorum statuere cogeretur, ultro se ei T. Jubellius Taurea Campanus obtulit, & quam potuit clara voce; Quoniam, inquit, Fulvi; cupiditate tanta hauriendi sanguinis nostri teneris, quid cessas in me cruentam securim distringere, ut gloriari possis fortiorem aliquanto virum, quam ipse es, tuo jussu esse interemptum? Eo deinde dicente, libenter id se esse facturum, nisi Senatus voluntate impediretur: At me, inquit, cui nihil Patres Conscripti præceperunt, aspice, oculis tuis quidem gratum, animo vero tuo majus opus edentem. Protinusque interfecta conjuge ac liberis, gladio incubuit. Quem illum virum putemus fuisse, [b] qui suorum ac sua cæde testari voluit, se Fulvii crudelitatem sugillare, quam Senatus misericordia uti maluisse? An M. 3843. Ol. 142. 2. Vrb C. 542. Ant. Ch. 210.

2. Age, Gobriæ quantus ardor animi? quia cum sordida & crudeli [4] Magorum tyrannide Persas liberaret, unumque ex iis obscuro loco abjectum corporis pondere urgeret, [c] præclari operis socio plagam ei inferre dubitanti, ne dum Magum petit, ipsum vulneraret; Tu vero, inquit, nihil est quod respectu mei timidius gladio utaris: vel per utrumque illud agas licet, dum hic quam celerrime pereat. An. M. 3532. Ol. 64. 3. Vrb. C. 231. Ant. Ch. 521.

INTERPRETATIO.

a *Ille etiam sanguis in oppido*, quod *Cales* dicitur, *fluens ex corporibus* mariti, uxoris & liberorum *in unum confluxit cum magna spectantium admiratione.*

b *Qui maluit & sua & suorum morte Fulvij crudelitatem odiosam reddere, quam uti clementia Senatus.*

c Dixit *tam præclari facinoris socio, qui non audebat plagam Mago infligere, ne ipsum vulneraret.*

NOTÆ.

1. *Calibus.*] Oppidum fuit Campaniæ juxta Falernos & Massicos. *Calvi.*

2. *Fulvius Flaccus.*] Q. Fulvius Flaccus, qui tum cum Ap. Claudio Pulchro Proconsul Capuam ad deditionem compulerat.

3. *Capitali supplicio.*] Vrbe capta 25. Senatores Cales, 32. Theanum in custodiam missi: de illorum supplicio Claudius mitioris vir ingenij ad Senatum scripserat; quod simul ut audiit Fulvius, plus æquo severior, illico de media nocte cum equitum duobus millibus Theanum advolat; continuoque Campanos cædi virgis, & securi percuti imperat: inde citatis equis Cales percurrit; jamque in tribunali consederat, cum ecce à Senatu afferuntur literæ: tum universa concio fremere Senatorum supplicium ad Senatum deferri; at Fulvius rem, uti erat, suspicatus, literas clausas in gremio reponit, Campanosque à lictoribus necari jubet.

4. *Magorum tyrannide.*] Rem omnem, cum sit vel ipsis pueris decantata, perstringo breviter. Magus quidam Smerdis nomine, Mergi, quem frater Cambyses occidi jusserat, tum facie, tum reliquo corporis habitu persimilis, una cum fratre

An. M.3574. Ol. 75. 1. Vrb. C. 273. Ant. Ch. 479.

3. Hoc loci Leonidas Spartanus nobis occurrit: cujus proposito, opere, exitu, nihil fortius. Nam [1] cum trecentis civibus apud Thermopylas toti Asiæ objectus, gravem illum, & mari & terræ Xerxem, nec hominibus tantum terribilem, sed [2] Neptuno quoque compedes, & cœlo tenebras minitantem, pertinacia virtutis ad [3] ultimam desperationem redegit. Cæterum perfidia & [4] scelere incolarum ejus regionis, & loci opportunitate, qua plurimum adjuvabatur, spoliatus: [5] occidere dimicans, quam assignatam sibi à patria stationem deserere, maluit. Ideoque tam alacri animo suos ad id prælium, quo perituri erant, cohortatus est, ut diceret; Sic prandete commilitones tanquam apud inferos cœnaturi. Mors erat denunciata: Lacedæmonii perinde ac victoria esset promissa, ductori intrepide paruerunt.

4. [6] [a] Othryadæ quoque pugna pariter ac mors speciosa, cujus Thyreatium laude, quam spatio latius solum cernitur. Qui sanguine suo scriptis literis, direptam hostibus victoriam, tantum non post fata sua in sinum patriæ cruento trophæi titulo retulit.

INTERPRETATIO.

a *Pugna quoque & mors Othryadæ illustris est, cujus gloria ager Thyreatium multo latius patet, quam loci spatio: ille enim literis sanguine suo scriptis paulo ante mortem, quasi cruento trophæi titulo patriæ testatus est*, etiam post mortem voluntariam, *victoriam se de hostibus retulisse.*

NOTÆ.

Persarum regnum occupat: quodque, nec ex arce foras prodiret, nec procerum quemquam admitteret; septem viri principes in eum conjurant, irruunt in regiam, Magosque obtruncant. Cædis ratio, quod & in Iustino jam explicata sit, & aliter ab Herodoto, aliter à Ctesia narretur, à nobis omittitur: duo tamen, quæ non æque omnibus nota sunt, te monitum velim: alterum, mirum esse apud Herodotum, Ctesiam & Iustinum cædis unius tantum Magi mentionem fieri, cum duo tamen fuerint; alterum, diem illam exinde μαγοφονίαν vulgo dictam esse, qua Magis in publicum prodire nefas.

1. *Cum trecentis civibus.*] Aderant præterea Græci alij ad 5900. qui Leonidæ ipsius suasu ad sua tuenda dilapsi sunt, ex Herod.

2. *Neptuno compedes*] Ex Abydo Asiæ oppido ad Sestum Europæ, qui trajectus septem stadiorum est, ponte Hellespontum junxerat: at pontem paulo post exorta tempestas disjecit: quod cum Xerxes ferret ægrius, & pelago, quo quid stultius fingi possit, trecenta infligi verbera, & in fluctus par compedum dejici jussit.

3. *Vltimam desperationem.*] Victis à Leonida primum Medis, deinde Cissiis, tum iis, quos immortales vocant, tantus Xerxem incessit pavor, ut ter è solio ad capessendam fugam desiliisse dicatur.

4. *Scelere incolarum.*] Epialtis cujusdam, vel Trachinij, vel Meliensis, qui Regem adiit consilij inopem, pollicitus se per angustum tramitem Persis ducem fore, ut Leonidæ copias à tergo adorirentur.

5. *Occidere dimicans.*] Vbi se circumventum videt Leonidas, propere suos prandere jubet; & ipsa nocte in castra hostium irrumpit, infinitamque edit stragem, donec orta luce Persæ patefacta Græcorum paucitate eos jaculis confecerunt: addit Herodotus duos Xerxis fratres contra Leonidam pugnantes super illius cadaver procubuisse.

6. *Othryadæ quoque.*] Lacedæmonios

5. [a] Excellentissimos Spartanæ virtutis proventus miserabilis lapsus sequitur. [1] [b] Epaminondas maxima Thebarum felicitas, idemque Lacedæmonis prima clades, cum vetustam ejus urbis gloriam, invictamque ad id tempus publicam virtutem [2] apud Leuctra & Mantineam [3] secundis prœliis contudisset; trajectus hasta, sanguine & spiritu deficiens, recreare se conantes, primum an clypeus suus salvus esset, deinde an penitus fusi hostes forent, interrogavit: Quæ postquam ex animi sententia comperit; Non finis, inquit, commilitones, vitæ meæ, sed melius & auctius initium advenit. Nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur. Thebas ductu & auspiciis meis caput Græciæ factas video: fortis & animosa civitas Spartana jacet, armis nostris abjecta: amara dominatione Græcia liberata est. Orbus quoque, non tamen sine liberis morior, [c] quoniam mirificas filias Leuctra, & Mantineam relinquo. E corpore deinde suo hastam educi jussit, eoque vulnere [4] expiravit. Quod si eum Dii immortales victoriis suis perfrui passi essent, sospes gloriosior patriæ mœnia non intrasset.

An.M. 3690. Ol. 104. 1. Vrb. C. 389. Ant. Ch. 363.

6 Ac nec Theramenis quidem Atheniensis in publica custodia mori coacti, parva mentis constantia, in qua [5] triginta tyrannorum jussu por-

An. M. 3652. Ol. 94. 3. Vrb. C. 351. Ant. Ch. 401.

INTERPRETATIO.

a *Miserabilis clades à Spartanis accepta sequitur illa excellenti virtute in bello patrata facinora.*

b *Epaminondas, qui maximam Thebanis felicitatem & primam Lacedæmoniis calamitatem attulit.*

c *Quia duas filias relinquo maximas victorias ad Leuctra & ad Mantineam relatas.*

NOTÆ.

inter & Athenienses seu Argivos de agro Tyreate orta controversia, placuit omnibus, ut ea lis trecentorum utrimque virorum prœlio decideretur. Atheniensibus omnibus vel cæsis, vel fugatis, Othryades unus è Lacedæmoniis victor superfuit: at, ne in patriam solus rediret, transfixit se gladio; ne vero victoriæ fructu patria fraudaretur, scuto sanguine suo has inscripsit literas, *Vici*: quare ager ille cessit Lacedæmoniis.

1. *Epaminondas.*] Vir non militari tantum gloria, sed & integritate vitæ, & doctrinæ laude perillustris.

2. *Apud Leuctra.*] Bœotiæ vicum, juxta Thespias. *Et Mantineam.* Arcadiæ civitatem, nunc *Mundi.* Epaminondæ victoriis nobiles.

3. *Secundis prœliis fregisset.*] Bis justo prœlio cum Lacedæmoniis decertavit; semel ad Leuctra contra Cleombrotum, iterum contra Agesilaum apud Mantineam. Lacedæmoniorum quatuor millia, & inter eos, cum fortissimi quique, tum Rex ipse Cleombrotus ceciderunt in primo prœlio, partaque Thebanis certa victoria. In altero dubia, ex Polybio; ubi enim lethale in pectore vulnus Epaminondas accepit, quasi ex mutuo consensu utrimque à pugna discessum est. Ita Xenoph. Diod. Cicero, Iustinus, & alij; additque Polybius, ipsum dum hostes vinceret, à fortuna fuisse superatum.

4. *Expiravit.*] Cum eo Thebanorum virtus amisso duce, & Lacedæmoniorum, Atheniensiumque laus bellica extincto æmulo concidit.

5. *Triginta tyrannorum.*] Victis à Lysandro ad Argos Potamon Atheniensibus, Athenæ ab eo captæ sunt, ubi triginta viris rerum summa permissa est; cumque in cives crudeliter grassarentur, iis unus

rectam veneni potionem non dubitanter hausit: Quodque ex ea superfuerat, jocabundus illisum humo clarum edere sonum coëgit. Renidensque servo publico, qui eam tradiderat; Critiæ, inquit, propino: Vide igitur ut hoc poculum ad eum continuo perferas. Erat autem is ex triginta tyrannis crudelissimus. Profecto est supplicio se liberare, tam facile supplicium perpeti. Itaque Theramenes perinde ac in domestico lectulo moriens, vita excessit: inimicorum existimatione punitus, [a] suo judicio finitus.

An.M. 3921. Ol. 161. 4. Vrb C. 620. Ant.Ch. 132.

7. [b] Sed Theramenes à literis & doctrina virilitatem traxit. Numantino vero Theogeni ad consimilem virtutem capessendam, quasi magistra gentis suæ ferocitas extitit. Perditis namque & afflictis rebus Numantinorum, cum omnes cives nobilitate, pecunia, honoribusque præstaret, vicum suum, qui in ea urbe speciosissimus erat, contractis undique nutrimentis ignis, incendit; protinusque strictum gladium in medio posuit, ac [1] binos inter se dimicare jussit: ut victus, incisa cervice ardentibus tectis superjaceretur: Qui cum tam forti lege mortis omnes absumpsisset, ad ultimum se ipse flammis immersit.

An.M. 3908. Ol. 158. 3. Vrb C. 607. Ant.Ch. 145.

8. Verum ut æque pop. Rom. inimicæ urbis excidium referam: Carthagine capta, uxor Asdrubalis exprobrata ei impietate, quod à Scipione soli sibi impetrare vitam contentus fuisset: dextra lævaque communes filios mortem non recusantes trahens, [2] incendio se flagrantis patriæ injecit.

An.M. 3840. Ol. 141. 3. Vrb C. 539. Ant.Ch 213.

9. Muliebris fortitudinis exemplo æque fortem duarum puellarum casum adjiciam. Cum pestifera seditione Syracusarum, [3] tota Regis Ge-

INTERPRETATIO.

a *Suo judicio ex hujus vitæ miseriis liberatus.*

b *Sed Theramenes habuit illam fortitudinem à literis & scientia.*

NOTÆ.

ex ipsis restitit Theramenes vir justissimus: quapropter à Critia falsæ proditionis injuste damnatus est.

1. *Binos inter se, &c.*] Cum aliter alij de Numantinorum redditione scripserint, ad ea quæ l. 2. c. 7. diximus, hic nonnihil de variis auctorum opinionibus addere placuit. Triplex super hac re sententia: una Flori & Appiani; ex quibus Numantini se, suamque patriam ferro & igne peremerunt: altera Orosij, apud quem & potu & semicrudis carnibus sese ingurgitant; deinde atroci prælio contra Romanos dimicantes pereunt: tertia aliorum, qui volunt Scipioni ab iis, & factam deditionem, & arma tradita: sed alios postea sibi conscivisse mortem, alios fœdo corporis habitu in eum, quo jubebantur locum, se contulisse.

2. *Incendio se flagrantis, &c.*] Æsculapij templo dum admovetur ignis, illa Scipioni bene precata Asdrubalem probris onerat; jugulatisque filiis, eorum corpora in ignem, seque insuper dejicit, imitata Reginam quæ Carthaginem condidit, inquit Florus. De Asdrubale diximus l. 1. c. 1. n. 14.

3. *Tota Regis Gelonis stirps.*] Syracusarum Tyrannus Hiero filium suscepit Gelonem; ille Hieronymum, & filiam Harmoniam. Hieronymus, quod diademate uteretur, à se civium averrit

lonis stirps, evidentissimis exhausta cladibus ad unicam filiam Harmoniam virginem esset redacta, & in eam certatim ab inimicis impetus fieret: nutrix ejus, æqualem illi puellam, regio cultu ornatam, hostilibus gladiis objecit. Quæ ne cum ferro quidem trucidaretur, cujus esset conditionis, ederet: [a] proclamavit admirata illius animum Harmonia, & tantæ fidei superesse non sustinuit: Revocatosque interfectores, professa quænam esset, in cædem suam convertit. [b] Ita alteri tectum mendacium, alteri veritas aperta finis vitæ fuit.

INTERPRETATIO.

a *Harmonia admirata illius constantiam, clamavit se esse Regis filiam, & noluit superstes vivere virgini tam fideli.*

b *Sic alteri mendacium celatum, alteri vero veritas manifestata mortem attulit.*

NOTÆ.

animos, ortaque conjuratione confossus est; & Harmonia, eo qui hic exponitur modo periit.

CAP. III.

DE PATIENTIA.

CUIUS EXEMPLA ROMANA SUNT DUO.

1. *C. Mucius Cordus primus Scævola dictus.*
2. *Pompeius legatus ad Gentium Regem.*

EXTERNA.

1. *Puer Macedo.*
2. *Zeno Eleates.*
3. *Alter Zeno.*
4. *Anaxarchus Abderita.*
5. *Theodorus Syracusanus.*
6. *Indi.*
7. *Servus Afer in pœnis & morte ridens.*

[a] EGregiis virorum pariter ac fœminarum operibus fortitudo se oculis hominum subjecit: Patientiamque in medium procedere hortata est, non sane infirmioribus radicibus stabilitam; aut minus generoso spiritu abundantem; sed ita similitudine junctam, ut cum ea, vel ex ea nata videri possit.

1. Quid enim iis, quæ supra retuli, facto Mucii convenientius? cum à Porsena Rege Etruscorum urbem nostram gravi ac diutino bello urgeri ægre ferret, castra ejus clam ferro cinctus intravit: [1] immolantemque An. M. 3548. Ol. 68. 3. Urb. C. 245. Ant. Ch. 507.

INTERPRETATIO.

a *Præclaris illis, quæ narravi facinoribus & virorum & fœminarum fortitudo se oculis hominum quasi videndam præbuit.*

NOTÆ.

1. *Immolantemque, &c.*] In tribunali cum sedebat Porsenna, unaque cum ipso Scriba, pari fere ornatu; quem Regem esse ratus, occidit Mutius. Ita Liv.

ante altaria conatus est occidere. Cæterum inter molitionem pii pari ac fortis propositi oppressus, nec [1] causam adventus texit, & tormen quantopere contemneret, mira patientia ostendit. Perosus enim (cred dexteram suam, quod ejus ministerio in cæde Regis uti nequisset, injec foculo exuri passus est. Nullum profecto Dii immortales admotum cultum attentioribus oculis viderunt. Ipsum quoque Porsenam oblit periculi, ultionem suam vertere [2] in admirationem coëgit. Nam, R vertere, inquit, ad tuos, Muci; & eis refer, te, cum vitam meam tieris, à me vita donatum. [a] Cujus clementiam [3] non adulatus Muci tristior Porsenæ salute, quam sua lætior, urbi se cum æternæ gloriæ gnomine [4] Scævolam reddidit.

An. M.3886.
Ol. 153. 1.
Vrb. C. 585.
Ant.Ch.167.

2. [5] [b] Pompeij etiam probabilis virtus, qui dum legationis offi fungeretur, à [6] Gentio Rege interceptus, cum Senatus consilia prod juberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit que patientia Regi simul & desperationem tormentis quicquam ex se gnoscendi excussit, & expetendæ populi Rom. amicitiæ magnam cupidi tem ingeneravit. Ac ne plura hujusce generis exempla domi scrutan sæpius ad civilium bellorum detestandam memoriam progredi cog duobus Romanis exemplis contentus, quæ ut clarissimarum familiar commendationem, ita nullum publicum mœrorem continent; exte subnectam.

INTERPRETATIO.

a *Cujus clementiam Mutius non extollens.*

b *Laudanda etiam est virtus Pompej.*

NOTÆ.

1. *Causam adventus texit.*] Retractus ad Regis tribunal, *Romanus sum*, inquit, *civis, hostis hostem occidere volui; nec ad mortem minus animi est, quam ad cædem fuit: & facere & pati fortia Romanum est.*

2. *In admirationem coëgit.*] *Tu vero, abi*, inquit Porsenna, *in te magis quam in me hostilia ausus: juberem macte virtute esse, si pro mea patria ista virtus staret; nunc jure belli liberum intactumque dimitto.*

3. *Non adulatus Mucius.*] Hæc tamen Mucius: *Quandoquidem*, inquit, *est apud te virtuti honos, trecenti conjuravimus principes juventutis Romanæ, ut in te hac via grassaremur; mea prima sors fuit, cæteri suo quisque ordine aderunt.*

4. *Scævolam reddidit.*] Ab ust nistræ manus Scævola dictus est, cum pr C. Mucius Cordus vocaretur.

5. *Pompeij.*] Minime mihi dubi est, quin, aut falsus opinione sua fit V lerius, aut locus ille corruptus sit. N Gentij Regis ætate obscura omnin ignota Romæ Pompeiorum familia: gati quidem ad Gentium missi sunt Perperna & L. Petilius; & ab eo con in carcerem: eorum tamen neuter a denti lucernæ digitum admovisse per betur.

6. *Gentio Rege.*] Illyriorum, qu Perseo bello in Romanos per fra implicitus, ab Anicio Prætore ad S dram victus est, illiusque cohonest triumpho, cum uxore, liberis & fr Spoletum in custodiam ductus est.

EXTERNA.

1. Vetusto Macedoniæ more Regi Alexandro nobilissimi pueri præsto erant sacrificanti. E quibus unus thuribulo arrepto, ante ipsum astitit, in cujus brachio carbo ardens delapsus est: quo etsi ita urebatur, ut adusti corporis ejus odor ad circumstantium nares perveniret; tamen & dolorem silentio pressit, & brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri, aut concusso thuribulo impediret, [a] aut edito gemitu regias aures aspergeret. Rex quoque patientia pueri magis delectatus, hoc certius perseverantiæ experimentum sumere voluit: consulto enim sacrificavit diutius, nec hac re eum à proposito repulit. [b] Si huic miraculo Darius inseruisset oculos, scisset ejus stirpis milites vinci non posse, cujus infirmam ætatem tanto robore præditam animadvertisset.

[c] Est & illa vehemens & constans animi militia, literis pollens venerabilium doctrinæ sacrorum antistes Philosophia, quæ ubi pectore recepta est hominum, inhonesto atque inutili affectu depulso, totos in solido virtutis munimento confirmat, potentiores metu ac dolore faciens.

2. Incipiam autem à [1] Zenone Eleate: qui cum esset in dispicienda rerum natura maximæ prudentiæ, inque excitandis ad vigorem juvenum animis promptissimus, [d] præceptorum fidem exemplo virtutis suæ publicavit. Patriam enim egressus, in qua frui secura libertate poterat, [2] Agrigentum miserabili servitute obrutum petiit, tanta fiducia ingenii ac morum suorum fretus, [e] ut speraverit & tyranno & [3] Phalaridi vesanæ mentis feritatem à se diripi posse. Postquam deinde apud illum plus consuetudinem dominationis, quam consilij salubritatem valere animadvertit; nobilissimos ejus civitatis adolescentes cupiditate liberandæ patriæ inflammavit. Cujus rei cum indicium ad tyrannum manasset, convocato in forum populo, torquere eum vario cruciatus ge-

An. M. 3558.
Ol. 71. 1.
Vrb. C. 257.
Ant. C. 495.

INTERPRETATIO.

a *Aut aures Regis obtunderet, si gemitum ederet.*

b *Si Darius conspexisset hoc patientiæ miraculum.*

c *Philosophia instructa literis, &* quasi *Sacerdos sacræ doctrinæ, quæ veneratione digna est, constanti patientia veluti militari quadam disciplina animum instruit.*

d *Præcepta à se tradita palam confirmavit exemplo suæ virtutis.*

e *Vt speraverit se mitigare posse vesanam immanitatem tyranni Phalaridis.*

NOTÆ.

1. *Zenone Eleate.*] Parmenidis auditor fuit, & inventor Dialecticæ

2. *Agrigentum.*] Vrbem Siciliæ; Agragas Ptolemæo dicitur, ab Agragante flumine. *Girgenti.*

3. *Et Phalaridi.*] Fuit ille Agrigentinorum tyrannus crudelitate sua præ cæteris nobilitatus: qui cum paulo superior ætate Zenone fuerit; malim ego Laertij & Suidæ amplecti sententiam, qui volunt Zenonem non ad Phalarim se contulisse, sed ad tyrannum quemdam in Græcia, cui nomen erat, vel Nearchus, vel Diomedon.

nere cœpit : [1] subinde quærens, quosnam consilii participes haberet : At ille nec eorum quempiam nominavit, sed proximum quemque ac fidissimum tyranno suspectum reddidit : Increpitansque Agrigentinos ignaviam ac timiditatem, effecit ut subito mentis impulsu concitati Phalarim lapidibus prosternerent. Senis ergo unius [2] equuleo impositi non supplex vox, nec miserabilis ejulatus ; sed fortis cohortatio totius urbis animum, fortunamque mutavit.

3. [3] Ejusdem nominis Philosophus, cum à Nearcho tyranno, de cujus nece consilium inierat, torqueretur, supplicij pariter atque indicandorum consciorum gratia ; doloris victor, sed ultionis cupidus, esse dixit quod eum secreto audire admodum expediret : laxatoque equuleo postquam insidiis opportunum tempus animadvertit, aurem ejus morsu corripuit, nec ante dimisit quam & ipse vita, & ille corporis parte privaretur.

An. M. 3732. Ol. 114. 1. Vrb. C. 431. Ant.Ch. 321.

4. Talis patientiæ æmulus [4] Anaxarchus, cum à tyranno Cypriorum [5] Nicocreonte torqueretur, [a] nec ulla vi inhiberi posset, quo minus amarissimorum eum maledictorum verberibus invicem ipse torqueret : ad ultimum amputationem linguæ minitanti ; Non erit, inquit, effœminate adolescens, hæc quoque pars corporis mei tuæ ditionis : protinusque dentibus abscissam, & commanducatam linguam, in os ejus ira patens expuit. Multorum aures illa lingua, & in primis Alexandri Regis admiratione sui attonitas habuerat, dum terræ conditionem, habitum maris, syderum motus, totiusque denique mundi naturam prudentissime & facundissime exprompsit. Pene tamen occidit gloriosius, quam viguit ; [b] quia tam forti fine illustrem professionis actum comprobavit, Anaxarchusque vitam non modo non deseruit, sed mortem reddidit clariorem.

INTERPRETATIO.

a *Nullo modo impediri potuit, quin ipsum Nicocreontem injuriosis maledictis* quasi *verberibus quibusdam laceraret.*

b *Quia artem Philosophicam, quam professus fuerat, morte tam generosa ipse illustravit.*

NOTÆ.

1. *Subinde quærens.*] Hoc fortitudinis specimen, quod sequitur, dedisse fertur, ut, cum simulasset habere se quidpiam, quod in aurem tyranno diceret ; primum aurem illi, tum sibi linguam, ne conjurationis conscios proderet, dentibus præciderit.

2. *Equuleo.*] Lignea catasta & cochleata ad intendendum & remittendum ita apte fabricata, ut ossium compages divellerentur : vel ab equi forma, vel ab ardenti lamina nomen habet.

3. *Ejusdem nominis Philosophus.*] Errat hic Valerius ; nec enim ille à Zenone Eleate diversus fuit. Tres fuere Philosophi, quibus omnibus idem Zenonis nomen fuit : unus is, quem modo diximus : alter Stoïcus : tertius Epicureus, qui Ciceronis tempore floruit ; quorum uterque alio mortis genere obiit : unus Eleates suppliciis necatus est.

4. *Anaxarchus.*] Abderita Democriti sectator, qui Alexandrum secutus est.

5. *Nicocreonte torqueretur.*] Talis odij causa fuisse dicitur : inter cœnam

5. [1] In Theodoro quoque viro gravissimo Hieronymus tyrannus fru- An.M.3840.
ſtra tortorum manus fatigavit. Rupit enim verba, fidiculas laxavit, Ol.141.3.
ſolvit equuleum, laminas extinxit prius, quam efficere potuit, ut ty- Vrb.C. 539.
rannicidii conſcios indicaret. Quin etiam [2] ſatellitem, in quo totius do- Ant.Ch. 213.
minationis ſumma quaſi quodam cardine verſabatur, falſa criminatione inquinando, fidum lateri ejus cuſtodem eripuit; beneficioque patientiæ, non ſolum quæ occulta fuerunt, texit, [a] ſed etiam tormenta ſua ultus eſt: quibus Hieronymus dum inimicum cupide lacerat, amicum temere perdidit.

6. [b] Apud Indos vero patientiæ meditatio tam obſtinate uſurpari creditur, ut ſint qui omne vitæ tempus nudi exigant, modo [3] Caucaſi montis glaciali rigore corpora ſua durantes, [4] modo flammis ſine ullo gemitu objicientes: Atque haud parva his gloria contemptu doloris acquiritur, titulus namque ſapientiæ datur.

7 [c] Hæc è pectoribus altis & eruditis orta ſunt: illud tamen non minus admirabile, quod ſervilis animus cepit.

Servus barbarus [5] Aſdrubalem, quod dominum ſuum occidiſſet, An.M.3833.
graviter ferens, ſubito aggreſſus interemit. Cumque comprehenſus om- Ol.139 4.
ni modo cruciaretur; lætitiam tamen, quam ex vindicta ceperat, in ore Vrb.C. 32.
Ant.Ch.220.

INTERPRETATIO.

a *Sed etiam* crudelitatem *ultus eſt* illius, *cujus juſſu ſupliciis torquebatur.*

b *Apud Indos exercitatio patientiæ dicitur tam pertinaciter adhiberi.*

c *Hæc* exempla prius allata *à viris ingenuis & eruditis edita ſunt.*

NOTÆ.

Anaxarchum cum interrogaſſet Alexander, quid de illa cœna ſentiret? *Cœnata magnifice*, inquit; *tum Nicocreontem intuens, ſubjicit, oportere cujuſdam Satrapæ apponi caput.* Quo graviter offenſus Nicocreon, Anaxarchum, cum poſt Alexandri mortem in Cyprum forte appuliſſet, exquiſitis ſuppliciis necavit. Anaxarchi, dum malleis ferreis tunderetur, notum eſt illud: *Tunde, tunde Anaxarchi ſacculum, nam Anaxarchum nihil teris.*

1. *In Theodoro.*] Civis Syracuſanus fuit, qui ſcripſit de re militari; Hieronymus vero Gelonis filius & Hieronis nepos: de quo paulo ante.

2. *Satellitem.*] Thraſonem, qui plurimum poterat; quod & tutor eſſet Hieronymi, & Romanorum partibus ſtuderet.

3. *Caucaſi.*] Duplex eſt Caucaſus: alter inter mare Caſpium & Pontum Euxinum: alter, de quo hic agitur, in Scythiæ & Indiæ confinio; ex quo Indus & Oxus profluunt. *Caucaſi.*

4. *Modo flammis.*] Multo plura ſunt apud eos patientiæ experimenta; qualia ſunt: ab ortu ſolis ad occaſum contentis oculis orbem ſolis contueri: ferventibus arenis dies integros alternis inſiſtere pedibus: nudo corpore ſolem & imbres humi tolerare; & alia, quæ, ſi quis illa avet ſcire, plenius Strabo, Appianus, & Solinus referunt.

5. *Aſdrubalem.*] Qui ſororem Annibalis duxerat; illum Gallus, ſive privatas injurias, ſive domini mortem ulturus (aliter enim aliis placet) in hoſpitio ſuo noctu occidit; dumque laceraretur tormentis, inquit Livius, eo fuit oris habitu, ut ſuperante lætitia dolores, ridentis etiam ſpeciem præbuerit.

constantissime retinuit. [a] Non ergo fastidioso aditu virtus excitata, ingenia vivida ad se penetrare patitur, neque haustum sui cum aliquo personarum discrimine largum, malignumve præbet; sed omnibus æqualiter exposita, quid cupiditatis potius, quam quid dignitatis attuleris, æstimat. Inque captu bonorum suorum tibi ipsi pondus examinandum relinquit, ut quantum subire animo sustinueris, tantum tecum auferas.

INTERPRETATIO.

a Virtus aliqua injuria provocata non fastidit homines acri & vivido ingenio cujuscunque sint conditionis; sed eos ad se penetrare patitur: neque enim pro discrimine personarum se communicat large nobilibus & parce humilibus; *sed quasi exposita æqualiter omnibus perpendit magis an magnum ipsius assequendæ desiderium habeas, quam an nobili genere natus sis; & relinquit tibi ipsi arbitrio tuo judicandum quantum ex ipsius bonis capere velis; ut tantum ex iis accipias, quantum animi tui magnitudo continere poterit.*

CAP. IV.

DE HUMILI LOCO NATIS, QUI CLARI EVASERUNT.

APUD ROMANOS.

1. *Tullus Hostilius Rex.*
2. *L. Tarquinius Priscus Rex.*
3. *Ser. Tullius Rex.*
4. *C. Terentius Varro.*
5. *M. Perperna.*
6. *M. Porcius Cato.*

APUD EXTERNOS.

1. *Socrates Atheniensis.*
2. *Euripides & Demosthenes.*

[a] QUod sæpe evenit, ut humili loco nati ad summam dignitatem consurgant, & generosissimarum imaginum fœtus, in aliquod devoluti dedecus acceptam à majoribus lucem in tenebras convertant. Quæ quidem planiora suis exemplis reddentur: ut primum de iis ordiar, quorum in meliorem statum facta mutatio, splendidam relatu præbet materiam.

INTERPRETATIO.

a Sæpe accidit, ut homines, & orti ignobili genere summas dignitates consequantur, & nati ex parentibus generosis & illustribus, in dedecore & sine gloria vitam agentes, obscurent splendorem acceptum à majoribus: quod facilius cognoscetur, si aliqua afferantur exempla. At primum dicere incipiam de iis, qui fortunæ suæ humilis statum in meliorem virtute permutarunt, quarum rerum *narratio, & splendida, & jucunda esse solet.*

An. M. 3383. Ol. 27. 2. Vrb C. 82. Ant.Ch.670

1. [a] Incunabula Tulli Hostilii agreste tugurium cepit: ejusdem adolescentia in pecore pascendo fuit occupata: validior ætas imperium Romanum rexit, & [2] duplicavit: senectus excellentissimis ornamentis decorata, in altissimo majestatis fastigio fulsit.

An. M 3439. Ol. 41. 2. Vrb. C. 138. Ant.Ch.614.

2. Verum Tullus, etsi magnus & admirabilis incrementi; domesticum tamen exemplum est. Tarquinium autem Priscum ad Romanum Imperium occupandum fortuna in urbem nostram advexit; alienum, quod ortum Corintho: fastidiendum, quod mercatore Demarato genitum: erubescendum, quod etiam [3] exule. Cæterum tam prospero conditionis suæ eventu, industriosum pro ignominioso, pro inviso gloriosum reddidit: [4] Dilatavit enim Imperii fineis, [5] cultum Deorum novis sacerdotiis auxit, [6] numerum Senatus amplificavit, [7] Equestrem Ordinem uberiorem reliquit: [b] Quæque laudum ejus consummatio est, præclaris virtutibus effecit, ne hæc civitas pœnitentiam ageret: quod Regem à finitimis potius mutuasset, quam de suis elegisset.

An. M.3477. Ol.50: 4. Vrb C. 176. Ant.Ch.576.

3. In Ser. autem Tullio fortuna præcipue vires suas ostendit: [8] vernam huic urbi natum, Regem dando: cui quidem diutissime Imperium

INTERPRETATIO.

a *Tullus Hostilius in casa agresti natus est.*

b *Quæque laus ejus maxima est, esse i. suis virtutibus, ne nostræ urbis cives pœniteret quod, &c.*

NOTÆ.

1. *Tulli Hostilii agreste tugurium.*] A Valerio & Livius & Dionysius dissentiunt: nec enim in tugurio Tullus, sed in nobili familia, quippe qui illustri genere natus erat, adolevit; illius enim avus Hostus Hostilius, vir bellica laude clarus, è Medullia, (Sabinorum oppidum erat) sub Romulo Romam migravit: cumque multa præclare gessisset in bello, tum Sabino, tum Fidenati interiit; & in foro sepultus est à duobus Regibus Romulo & Tatio; columnaque super tumulum erecta cum inscriptione, quæ illius virtutem apud posteros testaretur.

2. *Duplicavit.*] Rex factus Hostilius vir pacis insolens, & ad belli studia factus, Albanis bellum indixit, eorum excidit urbem, civesque Romam transtulit: ter triumphavit de Albanis, Fidenatibus & Sabinis.

3. *Exule.*] Non vi tamen Corintho ejectus; sed sponte cessit, cum sibi à Cypsello, vel Periandro tyranno timeret. Tarquinius Romam venit sub Anco Marcio, à quo benigne exceptus, cum ipsius Marcii, tum civium omnium amicitiam sibi conciliavit.

4. *Dilatavit enim. &c.*] Fidenas recuperavit, Collatiam, Corniculum, aliaque oppida Latinis ademit, vicitque Sabinos & Hetruriæ populos.

5. *Cultum Deorum.*] Quia Collegium Augurum propter Nævium summo in honore haberi voluit.

6. *Numerum Senatus.*] Ad conciliandam sibi plebem centum Patres, qui minorum gentium dicti sunt, Senatui adjecit.

7. *Equestrem Ordinem.*] Centurias duplo majores reddidit, quam Romulus instituerat.

8. *Vernam huic urbi, &c.*] Serva, an libera matre natus sit Servius, quibusve gradibus ad summam potestatem pervenerit, fusè explicuimus libro primo capite sexto.

obtinere, quater [1] lustrum condere, ter triumphare contigit: Ad summam aut unde processerit, aut quo pervenerit, statuæ titulus abunde testatur, [a] servili cognomine, & regia appellatione perplexus.

4. Miro quoque gradu [2] Varro ad Consulatum ex macellaria patris taberna conscendit: [b] Et quidem fortuna parum duxit sordidissimæ mercis capturis alito, duodecim fasces largiri; nisi etiam [3] L. Æmilium Paulum dedisset Collegam; Atque ita se in ejus sinum infudit, ut cum apud Cannas culpa sua vires populi Romani exhausisset, Paulum, qui prælium committere noluerat, occidere pateretur; illum in urbem incolumem reduceret. Quin etiam Senatum gratias ei agentem, quod redire voluisset, [4] ante portas eduxit: extuditque, ut gravissimæ cladis auctori etiam Dictatura deferretur.

An:M.39 4. Ol. 162. 3. Vrb. C. 623. Ant. Ch. 129.

5. Non parvus Consulatus rubor M. [5] Perperna, utpote qui Consul antequam civis; sed in bello gerendo utilior aliquanto Reip. Varrone Imperatore. Regem enim [6] Aristonicum cepit, Crassianæque stragis punitor extitit. [c] Cum interim cujus [7] vita triumphavit, mors Papia lege damnata est. Namque patrem illius, nihil ad se pertinentia civis Romani

INTERPRETATIO.

a *Compositus ex Servij cognomine & Regis appellatione*: erat enim Servij Regis statua.

b *Et quidem fortuna non solum Consulatum concessit huic homini educato ex quæstibus sordidis mercis* vilissimæ: *sed etiam tribuit illi Collegam L. Æmilium Paulum; atque ita huic* Varroni *propitia fuit, ut, &c.*

c *Ille tamen, qui vivus triumphaverat, post mortem lege Papia damnatus est: nam Sabelli patrem illius accusatum in judicio, quod jura Romani civis adipsum non spectantia sibi vindicaret, coëgerunt redire in patriam suam. Ita M. Perpernæ nomen obscuratum.*

NOTÆ.

1. *Lustrum condere.*] Primus censum instituit, ac quinto quoque vertente anno fieri decrevit: ex censu populum in classes, & centurias distribuit; triumphavit ter de Etruscis.

2. *Varro ad Consulatum.*] Quo loco natus C. Terentius Varro, quibus artibus honores adeptus sit, pluribus disseruimus l. 1. c. 1. n. 16.

3. *L. Æmilium Paulum.*] Postquam Varronem à populo relatum Consulem vidit Fabius Maximus; Patribus auctor fuit, ut illi Collegam darent Paulum Æmilium virum, & nobilem, & rei bellicæ peritissimum: abeuntemque ad exercitum graviter monuit, non tam ipsi cum Annibale, quam cum Varrone, ne pugnaretur, pugnandum esse.

4. *Ante portas eduxit.*] Cum paucis Equitibus redeunti cum Senatus omnis, tum Fabius ipse obviam processit; illique gratiæ actæ sunt, quod de Republica non desperasset.

5. *Perperna.*] Græcus fuisse dicitur, qui Romæ multos honores & Consulatum etiam obtinuit.

6. *Aristonicum cepit.*] Audita morte Crassi continuo Perperna Consul in Asiam advolat; Aristonicum recenti exultantem victoria improviso bello adoritur, victum in fugam vertit; Stratonicen, quo ille fugerat, obsidet, illumque ad deditionem cogit.

7. *Vita triumphavit.*] Duplex est hoc in loco, & quidem gravis Valerij error: quod & Perpernam triumphasse, & illius patrem lege Papia damnatum esse velit; quæ duo falsa sunt; liquet enim ex

jura complexum, [1] Sabelli judicio petitum, redire in pristinas sedes coëgerunt. Ita M. Perpernæ nomen adumbratum falsus Consulatus, caliginis simile imperium, caducus triumphus, aliena in urbe improbe peregrinatus est.

6. M. vero Porcii Catonis incrementa publicis votis expetenda fuerunt: qui nomen suum [2] Tusculi ignobile, Romæ nobilissimum reddidit. Ornata sunt enim ab eo literarum Latinarum [3] monimenta, adjuta [4] disciplina militaris, aucta [5] majestas Senatus, [6] prorogata familia, in qua maximum decus posterior est ortus Cato. An. M. 3859. Ol. 146. 2. Vrb. C. 558. Ant. Ch. 194.

N O T Æ.

omnibus Historicis, si unum Iustinum exceperis, Perpernam, dum Romam ad triumphum rediret, apud Pergamum obiisse; & legem Papiam de peregrinis urbe pellendis multo post Perpernæ mortem anno urbis 688. latam esse à C. Papio Tribuno plebis.

1. *Sabelli.*] Qui montes inter Marsos & Sabinos incolunt, iis civitas concessa est bello Marsico viginti annis ante legem Papiam.

2. *Tusculi ignobile.*] Quamvis humili loco natus Cato, solebat tamen, ut testis est Plutarchus, & patrem, & avum, & viros fortes, & bellica virtute claros sæpe prædicare.

3. *Monimenta.*] Edidit librum de originibus, quibus cum Italicarum urbium originem, tum præcipuè populi Romani res gestas complexus est.

4. *Disciplina militaris.*] Rem militarem auxit Cato, & libris ea de re scriptis, & victoriis; quas, & Consul in Hispania de Celtiberis sæpe, & Legatus M. Atilij in Thessalia de Antiocho retulit.

5. *Majestas Senatus.*] Quem ipse Senator, Ædilis, Prætor, Consul, Censor maximis virtutibus decoravit.

6. *Prorogata familia.*] Duos filios habuit; & ex utroque nepotes, quibus omnibus Cato Vticensis omni virtutum genere præstitit.

EXTERNA.

1. Sed ut Romanis externa jungamus: Socrates non solum hominum consensu, verum etiam Apollinis oraculo sapientissimus judicatus, Phanarete matre obstetrice, & Sophronisco patre marmorario genitus, ad clarissimum lumen gloriæ excessit, neque immerito. Nam cum eruditissimorum virorum ingenia in disputatione cœca vagarentur; mensurasque Solis & Lunæ, & cæterorum syderum loquacibus magis, quam certis argumentis explicare conarentur, totius etiam mundi ambitum complecti auderent; primum ab his indoctis erroribus abductum animum, [1] intima conditionis humanæ, ac in secessu pectoris repositos affectus scrutari coëgit: si virtus per se ipsam æstimetur, vitæ magister optimus. An. M. 3601. Ol. 81. 4. Vrb. C. 300. Ant. Ch. 452.

N O T Æ.

1. *Intima conditionis humanæ.*] De Socrate idem fere tradit Cicero l. 5. Tuscul. *Primus de cœlo Philosophiam devocavit, & in urbibus collocavit, & in domos introduxit, & coëgit de moribus, & vita rebusque bonis & malis quærere.*

2. Quam matrem [1] Euripides, aut quem patrem Demosthenes habuerit, ipsorum quoque sæculo ignotum fuit: alterius autem matrem olera, alterius patrem [2] cultellos venditasse omnium pene Doctorum literæ loquuntur: Sed quid aut illius tragica, aut hujus oratoria vi clarius?

Notæ.

1. *Euripides.*] Illustris Poëta tragicus, qui scripsit 75. fabulas.

2. *Cultellos venditasse.*] Idem etiam scripsit Suidas: at Æschines, licet illi infensissimus, patrem vocat virum honestum nomine Demosthenem; qui, quod haberet servorum officinam, qui gladios fabricarentur, Machæropæus dictus est: illius vero matrem appellat Scytham Ponti accolam; vere an secus, dubitat Plutarchus. Hic annotare libet, lapsum turpiter Lucianum, dum Demosthenem illum Oratorem confundit cum Demosthene Duce, qui in Sicilia cum Nicia periit.

Cap. V.

QVI A PRÆCLARIS PARENTIBVS DEGENERARUNT.

1. *Cn. Scipio Africani majoris F.*
2. *Q. Fabius Allobrogici F.*
3. *P. Clodii & Fulviæ F.*
4. *M. Hortensius Corbio.*

[a] Sequitur duplicis promissi pars adopertis illustrium virorum imaginibus reddenda: quoniam quidem sunt referenda, quæ ab earum splendore degeneraverunt, teterrimis ignaviæ ac nequitiæ sordibus imbuta nobilia portenta.

1. Quid enim monstro similius, quam [1] superioris Africani filius Scipio? Qui in tanta domestica gloria ortus, à parvulo admodum Regis Antiochi præsidio capi sustinuit: cum ei voluntaria morte absumi satius fuerit, quam inter duo fulgentissima cognomina patris & patrui, [b] altero oppressa Africa jam parto, altero jam majore ex parte recupe-

An.M.3864.
Ol. 147. 3.
Vrb C. 563.
Ant.Ch.193.

Interpretatio.

[a] *Sequitur ut jam loquar de iis, qui imagines majorum suorum vitiis suis obscurarunt; quæ pars est secunda promissi duas partes continentis, quandoquidem referendi sunt ii qui ab avorum splendore degenerantes, quasi monstra quædam illustria extiterunt infecta sordibus teterrimis ignavia & nequitia.*

[b] *Quorum cognominum alterum jam partum erat patri ex victa Africa; alterum jam patruus merebatur Asia majore ex parte recuperata.*

Notæ.

1. *Superioris Africani filius.*] Longè aliter sentit Cicero; cujus de eodem Scipione hæc verba sunt: *Nisi tenui fuisset valetudine, alterum extitisset civitatis lu-*

rata Asia surgere incipiente; manus vinciendas hosti tradere, ejusque beneficio precarium spiritum obtinere, de quo mox L. Scipio speciosissimum Deorum hominumque oculis subjecturus erat triumphum.

Idem Præturæ petitor candidam togam adeo turpitudinis maculis ob- An. M. 3879.
solefactam in campum detulit, ut [1] nisi gratia Cicerei, qui patris ejus Ol. 151. 2.
Scriba fuerat, adjutus esset, honorem à populo impetraturus non vi- Vrb. C. 578.
deretur. Quamquam quid interfuit utrum repulsam, an sic adeptam Ant. Ch. 174.
Præturam domum referret? quam cùm propinqui ab eo pollui animadverterent, id egerunt ne aut sellam ponere, aut jus dicere auderet. Insuperque è manu ejus annulum in quo caput Africani sculptum erat, detraxerunt. [a] Dî boni quas tenebras ex quo fulmine nasci passi estis!

2. Age Q. Fabii [2] Max. Allobrogici & civis, & Imperatoris claris- An M. 3963.
simi filius Q. Fabius Max. quam perditam luxuria vitam egit? cujus ut Ol. 172. 2.
cætera flagitia obliterentur, [b] tamen abunde illo dedecore mores nudari Vrb. C. 662.
possunt, quod ei [3] Q. Pompeius Prætor Urbanus paternis bonis interdi- Ant. Ch. 90.
xit: neque in tanta civitate, qui illud decretum reprehenderet, inventus est: Dolenter enim homines ferebant, pecuniam quæ Fabiæ gentis splendori servire debebat, flagitiis disjici. Quem ergo nimia patris indulgentia hæredem reliquerat, publica severitas exhæredavit.

An. M. 4018.
3. Possedit favorem plebis [4] Clodius Pulcher, [c] adhærensque [5] Ful- Ol. 186. 1.
vianæ stolæ pugio, militare decus muliebri imperio subjectum habuit: Vrb. C. 717.
quorum filius Pulcher, præterquam quod enervem & frigidam juven- Ant Ch. 35.
tam egit, perdito etiam amore vulgatissimæ meretricis infamis fuit, mortisque erubescendo genere consumptus est: Abdomine enim avide devorato, fœdæ ac sordidæ intemperantiæ spiritum reddidit.

INTERPRETATIO.

a Dij boni, quam ignavum hominem passi estis nasci ex Scipione Africano, qui bellicum fulmen fuerat.

b Tamen quales illius mores fuerint, perspici potest vel ex hoc dedecore.

c Obtemperansque homo Fulviæ uxori suæ.

NOTÆ.

men. Africanum minorem ille adoptavit: qua ratione ab Antiocho captus sit, vide l.2. c.10 n.2.

1. *Nisi gratia Cicerei.*] Qui cum videret se in petitione Præturæ præferri Scipioni, descendit illico, abjectaque candida toga, Scipionis suffragatorem agere cœpit: biennio post Prætor Sardiniam sortitus est; & ex itinere Corsica subacta, in monte Albano triumphavit.

2. *Maximi Allobrogici.*] Is Q. Fabii Maximi Æmiliani filius, ad flumen Isaram 130. millia Allobrogum vicit.

3. *Q. Pompeius.*] Rufus, haud multo post cum L. Cornelio Sylla Consul, fraude Pompeij Strabonis cæsus est.

4. *Clodius Pulcher*] Qui è gente Patricia Claudiorum, ut Tribunus fieret, à plebeio nescio quo adoptari non erubuit; Ciceronem in exilium expulit, & à Milone occisus est.

5. *Fulviæ.*] Fulvia non ex nobili Fulviorum gente, sed Fulvii cujusdam

An M. 4030. Ol. 189. 1. Vrb. C. 729. Ant. Ch. 23.

4. Jam & Q. quidem [1] Hortensii, qui in maximo & ingenuorum civium & amplissimorum proventu, summum auctoritatis atque eloquentiæ gradum obtinuit, nepos Hortensius Corbio omnibus scorto abjectiorem & obscœniorem vitam exegit: ad ultimumque lingua ejus tam libidini cunctorum inter lupanaria prostitit, quam avi pro salute civium in foro excubuerat.

N o t æ.

Bambalionis filia; ter nupsit, primum Clodio, deinde Curioni, tum M. Antonio: mulier virilis audaciæ post pugnam Philippensem accincta gladio bellum Perusinum excitavit, & paulo post in Græcia morbo & dolore periit.

1. *Q. quidem Hortensii.*] Qui eloquentia, itidem ut Cicero, cujus in dicendi laude æmulus erat, summos honores assecutus est.

Cap. VI.

DE ILLUSTRIBUS,

QVI IN VESTE, AVT CÆTERO CVLTV LICENTIUS SIBI INDULSERUNT.

1. *P. Scipio major.*
2. *L. Scipio Asiaticus.*
3. *L. Cornelius Sylla.*
4. *C. Duilius.*
5. *C. Papirius Maso.*
6. *C. Marius.*
7. *M. Cato Uticensis.*

ANimadverto in quam periculosum iter processerim. Itaque me ipse revocabo, [a] ne si reliqua ejusdem generis naufragia consectari perseveravero, aliqua inutili relatione implicer. [b] Referam igitur pedem, deformesque umbras in imo gurgite turpitudinis suæ jacere patiar. Satius est enim narrare qui illustres viri in cultu, cæteroque ritu, aliqua ex parte novando sibi indulserint.

An. M. 3849. Ol. 143. 4. Vrb. C. 548. Ant. Ch. 204.

1. P. Scipio, cum in Sicilia augendo, [c] [1] trajiciendoque in Africam

Interpretatio.

a *Ne si plura dicam de iis perditis juvenibus, qui bonorum suorum naufragium passi sunt.*

b *Non amplius de iis agam; sed patiar homines illos infames jacere in obscuritate sua turpitudinis.*

c *Quærendo rationem idoneam ad transportandas in Africam copias.*

N o t æ.

1. *Trajiciendoque exercitu.*] Pulsis ex Hispania Carthaginensibus, Scipio Consul auctor fuit Senatui, ut bellum in Africa gereretur.

exercitu opportunum quærendo gradum, Carthaginis ruinam animo volveret; inter consilia ac molitionem hujus tantæ rei operam gymnasio dedit, pallioque & crepidis usus est. [a] Non hac re segniores Pœnicis exercitibus manus intulit: sed nescio an ideo alacriores, quia vegeta & strenua ingenia, quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt. Crediderim etiam favorem eum sociorum uberiorem se adepturum existimasse, si victum eorum & solemnes exercitationes comprobasset: Ad quas tum veniebat, cum multum ac diu fatigasset humeros, & cætera membra militari agitatione firmitatem suam probare coëgisset; [b] consistebatque in his labor ejus, in illis remissio laboris.

2. [1] L. vero Scipionis statuam chlamydatam, & crepidatam in Capitolio cernimus: Quo habitu videlicet, quia aliquando usus erat; effigiem suam formatam poni voluit.

3. L. quoque Sylla, cum Imperator esset, chlamydato sibi & crepidato Neapoli ambulare deforme non duxit.

4. C. autem Duilius, qui primus [2] navalem triumphum ex Pœnis An. M. 3791.
retulit, quotiescunque epulaturus erat, ad funalem cereum præeunte Ol. 130. 1.
tibicine, & fidicine, à cœna domum reverti solitus est, insignem bel- Vrb. C. 493.
licæ rei successum [3] nocturna celebratione testando. Ant. Ch. 259.

5. Papirius quidem Maso, cum [4] bene gesta Republ. triumphum An. M. 3813.
à Senatu non impetrasset, [5] in Albano monte triumphandi & ipse ini- Ol. 137. 2.
tium fecit, & cæteris postea exemplum præbuit; proque laurea corona, Vrb. C. 522.
cum alicui spectaculo interesset, myrtea semper usus est. Ant. Ch. 23.

6. Jam C. Marii pene insolens factum: nam post [6] Jugurthinum, An. M. 3955.
Ol. 167. 4.
Vrb. C. 644.
Ant. Ch. 108.

INTERPRETATIO.

a *Ob hanc remissionem non minus fortiter pugnavit contra exercitus Pœnorum; imo credo illum generosiorem ideo se præbuisse, quia acria & strenua ingenia eo vehementiori impetu feruntur, quo plus remissioni à labore indulserunt.*

b *Labor ejus consistebat in* exercitationibus militaribus; *remissio vero laboris in his studiis.*

NOTÆ.

1. *L. quoque Scipionis.*] Asiatici, qui Africani Majoris frater fuit, & Antiochum Magnum vicit. De Sylla sæpe antea.

2. *Navalem triumphum.*] Fugato à Pœnis Cornelio Scipione, Duillius intra 60. dies classem 160. navium construxit, commissoque prælio hostium naves 50. mersit: vertitque in fugam eorum ducem, seu Annibalem, seu Imilconem.

3. *Nocturna celebratione.*] *Non contentus unius diei triumpho*, inquit Florus, *per vitam omnem, ubi à cœna rediret, prælucere funalia, & præcinere sibi tibias jussit, quasi quotidie triumpharet.* Idem fere Cicero in Catone.

4. *Bene gesta Rep.*] Corsos quidem vicerat Papirius; sed magna suorum strage: quare negatus honos triumphi.

5. *In Albano monte.*] Non procul ab urbe; quod Iupiter, & Imperator, & Victor, ut in Capitolio, ita in illo monte prisca religione coleretur. *Monte Albano.*

6. *Iugurthinum.*] De Marii triumphis jam sæpius.

Cimbricumque & Teutonicum triumphum, canthoro semper potavit: quod [1] Liber Pater inclytum ex Asia ducens triumphum, hoc usus poculi genere ferebatur; ut inter ipsum haustum vini, victoriæ ejus suas victorias compararet.

An.M.4000. Ol.181. 3. Vrb.C. 699. Ant. Ch. 53.

7. M. autem Cato Prætor, [2] M. Scauri, cæterorumque reorum judicia, nulla indutus tunica, sed tantummodo [3] prætexta amictus egit.

NOTÆ.

1. *Liber Pater inclytum, &c.*] Liber, magna Poëtis fingendi materies; eum enim ex Iove & Semele genitum, totum terrarum orbem victoriis peragrasse fabulantur; aliaque multa, quæ omnibus nota sunt.

2. *M. Scauri, &c.*] Qui magnificum theatrum extruxerat Ædilis, ex Prætura Sardiniam sortitus, in urbem ad petendum Consulatum rediit, & repetundarum apud Catonem Vticensem tum Prætorem postulatus est: de quo judicio postea uberius.

3. *Prætexta amictus.*] Cum id ex veteri consuetudine repeteret, quod statuæ, tum Romuli in Capitolio, tum Camilli in Rostris, togatæ sine tunica cernerentur. Ita Pædianus.

CAP. VII.

DE FIDVCIA SVI.

QUÆ IN ROMANIS.

1. *P. Scipione majore.*
2. *P. Scipione Æmiliano Cos. II.*
3. *P. Nasica Serapione Cos.*
4. *M. Livio Salinatore Cos.*
5. *P. Furio Philo Cos.*
6. *L. Licinio Crasso Proc.*
7. *M. Catone majore reo.*
8. *M. Æmil. Scauro reo.*
9. *M. Antonio Oratore.*
10. *Senatu Romano.*
11. *L. Accio Poëta.*

QUÆ IN EXTERNIS.

1. *Euripide Poëta.*
2. *Antigenida tibicine.*
3. *Zeuxe pictore.*
4. *Phidia sculptore.*
5. *Epaminonda Thebano.*
6. *Annibale Pœno.*
7. *Cotye Thracum Rege.*
8. *Androclida, Leonida, & Agide Spartanis.*

[a] SEd hæc, atque his similia, virtutis aliquid sibi in consuetudine novanda licentiæ sumentis indicia sunt. Illis autem quæ deinceps subnectam, quantam sui fiduciam habere soleat, cognoscetur.

An.M.3843. Ol.142. 2. Vrb C. 542. Ant.Ch.210.

1. P. & Cn. Scipionibus in Hispania cum majore parte exercitus ab acie Punica oppressis, omnibusque Provinciæ ejus nationibus Cartha-

INTERPRETATIO.

a *Sed hæc exempla & his similia sunt indicia virtutis sibi usurpantis aliquid licentiæ in inducendis novis consuetudinibus.*

ginienſium amicitiam ſecutis, nullo ducum noſtrorum illuc ad corrigendam rem proficiſci audente, P. Scipio quartum & vigeſimum annum agens iturum ſe pollicitus eſt. Quæ quidem fiducia populi Romani ſalutis ac [1] victoriæ ſpem dedit. Eademque in ipſa Hiſpania uſus eſt. Nam cum oppidum Badiam circumſederet, tribunal ſuum adeuntes, in ædem, quæ intra mœnia hoſtium erat, [2] vadimonia in poſterum diem facere juſſit: continuoque urbe potitus, & tempore & loco, quo prædixerat, ſella poſita jus eis dixit. Nihil hac fiducia generoſius, nihil prædictione verius, nihil celeritate efficacius, nihil etiam dignitate dignius. Nec minus animoſus minuſve proſperus illius in Africam tranſitus, in quam ex Sicilia exercitum [3] Senatu vetante traduxit; quia niſi plus in ea re ſuo, quam Patrum Conſcriptorum conſilio credidiſſet, ſecundi Punici belli finis inventus non eſſet. Cui facto par illa fiducia, quod poſtquam Africam attigit, ſpeculatores Annibalis in caſtris deprehenſos, & ad ſe perductos, nec ſupplicio affecit, nec de conſiliis ac viribus Pœnorum percunctatus eſt. Sed circa omnes manipulos diligentiſſime deducendos curavit: Interrogatoſque an ſatis conſideraſſent, quæ ſpeculari juſſi erant, [4] prandio dato ipſis, jumentiſque eorum, incolumes dimiſit: Quo tam pleno fiduciæ ſpiritu prius animos hoſtium, quam arma contudit. Verum ut ad domeſtica eximiæ ejus fiduciæ acta veniamus: cum à L. Scipione ex Antiochenſi pecunia [5] HS. quadragies ratio in Curia repoſceretur, prolatum ab eo librum, quo acceptæ & expenſæ ſummæ continebantur, & refelli inimicorum accu-

An M. 3848. Ol. 143. 3. Vrb. C. 547. Ant. Cn. 205.

An. M. 3850. Ol. 144. 1. Vrb. C. 549. Ant. Ch. 203.

An. M. 3852. Ol. 144. 3. Vrb. C. 551. Ant. Ch. 201.

An M. 3867. Ol. 148. 2. Vrb. C. 566. Ant. Ch. 186.

NOTÆ.

1. *Victoriæ ſpem.*] Ita diſſeruit coram populo de ratione belli gerendi, ut & timorem adimeret, & magnam daret ſpem victoriæ.

2. *Vadimonia.*] Actione à Prætore impetrata, actor certa verborum formula vadabatur reum; hoc eſt vades, ſive ſponſores petebat, fore ut certo die ante Iudicem ſe ſiſteret: qui provocabat, vadari: qui provocabatur, vadimonium promittere; qui vero vadimonium pro altero promittebat, vas eſſe dicebatur.

3. *Senatu vetante.*] Fallitur Valerius. Exercitum in Sicilia dum comparat Scipio, multis quidem Romæ probris laceratus eſt; Pleminii Legati diſſimulaſſe crimina, cum pallio & crepidis ambulare in Gymnaſio, nimio plus indulgere licentiæ militum, Carthaginem atque Annibalem excidiſſe animo: quare Fabius Maximus Scipionem revocandum cenſuit. Placuit tamen Senatui Q. Pompeium Prætorem cum decem Legatis in Siciliam mitti: hi à Scipione benigne excepti, & per terreſtrem navalemque exercitus ducti, palam prædicare, aut illo duce atque exercitu vinci Carthaginem, aut nullo alio poſſe; juſſuſque à Senatu Scipio quam primum in Africam trajicere. Hæc fere Livius & Plut.

4. *Prandio dato.*] Addit Polybius, illis dediſſe viaticum; Zonaras vero, ex tribus ſpeculatoribus duos apud Scipionem ultro manſiſſe.

5. *HS. quadragies.*] Intellige centena millia ſeſtertium. Seſtertius erat quarta pars denarii, ſeu duo aſſes cum ſemiſſe; as vero & libra cum idem eſſet, ſeſtertius his notis *L. L. S.* deſignari primum ſolebat, ita ut *LL.* libras, *S.* ſemiſſem indicarent: poſtea vero hoc charactere *HS.* notari cœpit. Si numerus inſtitutus ab unitate ad mille procedat, numerantur ſeſtertii decem, viginti, &c. ſi à mille ad mil-

ſatio poterat, [1] diſcerpſit: indignatus de ea re dubitari, quæ ſub ipſo legato miniſtrata fuerat. Quin etiam in hunc modum egit: Non reddo, Patres Conſcripti, ærario veſtro HS. quadragies rationem, alieni imperii miniſter quod meo ductu, meiſque auſpiciis bis millies HS. uberius feci [a] Neque enim huc puto malignitatis ventum, ut de mea innocentia quærendum ſit. Nam cum Africam totam poteſtati veſtræ ſubjecerim, nihil ex ea quod meum diceretur, præter cognomen retuli. Non igitur me Punicæ, non fratrem meum Aſiaticæ gazæ avarum reddiderunt: ſed uterque noſtrûm magis invidia, quam pecunia locupletior eſt. Tam conſtantem defenſionem Scipionis univerſus Senatus comprobavit.

Sicut & illud factum: quod cum ad neceſſarium Reipublicæ uſum pecuniam ex ærario promi opus eſſet, idque Quæſtores, quia lex obſtare videretur, aperire non auderent, privatus claves popoſcit, [2] patefacto ærario, legem utilitati cedere coëgit. Quam quidem ei fiduciam conſcientia illa dedit, qui meminerat omnes leges à ſe eſſe ſervatas. Non fatigabor ejuſdem facta identidem referendo, [b] quoniam nec ille quidem in conſimili genere virtutis edendo fatigatus eſt. [3] Diem illi ad populum M Nævius Tribunus pleb. aut (ut quidam memorant) duo Petilii dixerant: quo ingenti frequentia in forum deductus, roſtra conſcendit, capitique ſuo corona triumphali impoſita: Hac, inquit, Quirites, die, Carthaginem magna ſperantem, leges veſtras accipere juſſi: proinde æquum eſt vos mecum ire in Capitolium ſupplicatum. Speciosiſſimam ejus deinde vocem æque clarus eventus ſecutus eſt: ſiquidem & Senatum totum, & univerſum Equeſtrem Ordinem, & cunctam plebem Jovis Optimi Maximi pulvinaria petens, comitem habuit. Reſtabat ut Tri-

An.M. 3867. Ol. 148. 2. Vrb.C. 566. Ant.Ch. 186.

INTERPRETATIO.

a *Neque enim puto aliquem habere tantum in me odium, ut, &c.*

b *Quoniam nec ille defatigatus eſt in edendo alio exemplo ſimilis virtutis.*

NOTÆ.

lionem; vel decem millia ſeſtertia, vel decem millia ſeſtertium: ſi vero à millione ad majorem numerum; aut decies ſeſtertium, aut decies centena ſeſtertium.

1. *Diſcerpſit.*] Obtuliſſe libellum ſcribit Gellius; deinde continuo diſceſſiſſe, cum diceret: *poſſem rationem reddere, ſed non faciam.*

2. *Patefacto ærario.*] Id contigit cum L. Sempronius Tuditanus Prætor à Celtiberis cum toto fere exercitu cæſus eſt.

3. *Diem illi ad populum, &c.*] Accuſationis capita erant filium captum ab Antiocho ſine pretio redditum; ipſum ab Antiocho, quaſi pacis bellique fuiſſet arbiter, cultum eſſe; & alia hujuſmodi. Juſſus dicere cauſam ſine ulla criminum mentione, orationem adeo magnificam de rebus à ſe geſtis eſt exorſus, ut ſatis conſtaret neminem unquam, neque melius, neque verius laudatum eſſe. Orationibus Tribunorum in noctem perductis, producta dies eſt; ubi ea venit, Scipio magno agmine amicorum clientiumque per mediam concionem ad roſtra ſubiit, ſilentioque facto: *Hoc, inquit, die, Tribuni plebis, voſque Quirites, cum Annibale collatus ſignis in Africa bene ac feliciter* bunus

bunus apud populum sine populo ageret, desertusque in foro cum magno calumniæ suæ ludibrio, solus moraretur: Cujus devitandi ruboris causa in Capitolium processit, deque accusatore, Scipionis venerator est factus.

2. Aviti spiritus egregius successor Scipio Æmilianus, cum [1] urbem prævalidam obsideret, suadentibus quibusdam ut circa mœnia ejus ferreos [2] murices spargeret, omniaque vada tabulis plumbatis consterneret, habentibus clavorum cacumina; ne subita eruptione hostes in præsidia nostra impetum facere possent; respondit: Non esse ejusdem, & capere aliquos velle, & timere. An.M. 3921. Ol. 161. 4. Vrb.C. 620. Ant Ch. 132.

3. In quamcunque memorabilium partem exemplorum convertar, velim nolim, in cognomine Scipionum hæream necesse est. Quî enim licet hoc loci [3] Nasicam præterire fidentis animi, dictique clarissimum auctorem? Annonæ caritate increbescente, C. Curatius Tribunus pleb. productos in concionem Coss. compellebat, [a] ut de frumento emendo, atque ad id negotium explicandum mittendis legatis in Curiam referrent. Cujus instituti minime utilis interpellandi gratia Nasica contrariam actionem ordiri cœpit. Obstrepente deinde plebe, Tacete, quæso, Quirites, inquit: plus enim ego, quam vos, quid Reipublicæ expediat, intelligo. Qua voce audita, omnes pleno venerationis silentio, majorem ejus auctoritatis, quam suorum alimentorum respectum egerunt. An. M. 3916. Ol. 160. 3. Vrb.C. 615. Ant.Ch. 137.

4. Livii quoque Salinatoris æternæ memoriæ tradendus animus: qui cum Asdrubalem, exercitumque Pœnorum in Umbria delesset, & ei diceretur, Gallos ac Ligures ex acie sine ducibus & signis, sparsos ac palantes parva manu opprimi posse; respondit, [4] Parci eis oportere, ne hostibus tantæ cladis domestici nuncii deessent. An.M. 3847. Ol. 143. 2. Vrb C 546. Ant.Ch. 206.

Interpretatio.

a *Vt referrent in Senatu de frumento emendo, & mittendis legatis ad illud negotium expediendum.*

Notæ.

ter pugnavi, & alia quæ narrat Valerius. Hic speciosus ultimus dies P. Scipioni illuxit: postquam, cum invidiam & certamina cum Tribunis plebis prospiceret, in Linternum concessit: major animus & natura erat, quam ut reus esse sciret. Hæc Livius.

1. *Vrbem validam.*] Numantiam.

2. *Murices.*] Murex dicitur acumen saxi; sic enim Virgil. *Acuto murice remi crepuere.* Hic tamen ponitur pro quacunque re acuta.

3. *Nasicam.*] Qui Tib. Gracchum occidit; quem Curiacius ille homo nullius pretij, dum illius jussu etiam tum Consul in carcerem ducitur, ex Serapionis victimarij similitudine Serapionem per ludibrium appellavit.

4. *Parci eis oportere.*] *Supersint*, inquit, *aliqui nuncij & hostium cladis & nostra virtutis.* Tanta victores sanguinis, cædisque ceperat satietas; hostium enim 56. millia cæsa, capta quinque dicuntur; præda ingens, tum omnis generis, tum auri & argenti. Asdrubal ipse, ne superstes tanto exercitui esset, se in cohortem

An.M. 3918. Ol. 161. 1. Vrb.C. 617. Ant.Ch. 135.

5. Bellica hæc præsentia animi: togata illa, sed non minus laudabilis, quam [1] P. Furius Philus Consul in Senatu exhibuit. Q. enim Metellum, Q. que Pompeium consulares viros vehementes inimicos suos, cupitam sibi profectionem in Provinciam Hispaniam, quam sortit. erat, identidem exprobrantes, legatos secum illuc ire coëgit. O fiduciam non solum fortem, sed pene etiam temerariam; [a] qua duobus acerrimis odiis latera sua cingere est ausus, usumque ministerii vix tutum amicis, è sinu inimicorum petere sustinuit.

An.M. 3959. Ol. 171. 2. Vrb. C. 658. Ant.Ch. 94.

6. Hujus factum, si cui placet, necesse est [2] L. etiam Crassi, q apud majores eloquentia clarissimus fuit, propositum non displiceat nam cum ex Consulatu Provinciam Galliam obtineret, atque in eam C Carbo, [3] cujus patrem damnaverat, ad speculanda acta sua venisse non solum eum inde non summovit, sed insuper locum ei in tribun assignavit, nec ulla de re, nisi eo in consilium adhibito, cognovit. I que acer & vehemens Carbo, nihil aliud Gallica peregrinatione con cutus est, quam ut animadverteret sontem patrem suum ab integerri viro in exilium missum.

An.M. 3877. Ol. 150. 4. Vrb C. 576. Ant.Ch. 176.

7. Cato vero superior sæpenumero ab inimicis [4] ad causæ diction vocatus, nec ullo unquam crimine convictus: ad ultimum tantum fi ciæ in sua innocentia reposuit, ut ab his in quæstionem publicam de ctus, Ti. Gracchum, à quo in administratione Reipublicæ ad mult odium dissidebat, judicem deposceret. Qua quidem animi præstan pertinaciam eorum insectandi se inhibuit.

An.M. 3963. Ol. 172. 2. Vrb C. 662. Ant.Ch. 90.

8. Eadem M. Scauri fortuna atque senectus longa ac robusta, id animus. Qui cum pro rostris accusaretur, quod à Rege Mithridate

INTERPRETATIO.

[a] *Qua ausus est semper habere secum duos viros, odio maximo ipsum prosequentes, & voluit inimicos adhibere ad omnia legationis munera, quæ amicis vix committuntur.*

NOTÆ.

Romanam immisit, ibique ut patre Amilcare & fratre Hannibale dignum erat, pugnans cecidit; redditaque æqua Cannensi clades, vel ducis, vel exercitus interitu.

1. *P. Furius Philus.*] Qui Consul cum Sex. Attilio Serrano. Quis Metellus, Pompeiusve scire nihil admodum interest.

2. *L. Crassi.*] Ex gente nobilissima Liciniorum fuit, M. Antonij eloquentiæ gloria æmulus: de quo & de Corbonis damnatione postea pluribus.

3. *Cujus patrem.*] C. Papirium Carbonem Oratorem celeberrimum. Da tus est, quod, vel Triumvir divid agro seditionem excitaverat, vel c Cimbros rem male gesserat; morte luntaria se à severitate Iudicum vindic ex Cicerone.

4. *Ad causæ dictionem.*] Vel dragies quater, ex Plinio; vel quin gies, ex Plutarcho, & accusatus & lutus est: cumque annos natos 86. c id ætatis accusaretur. *Difficillimum e* quit, *cum inter alios homines vixerin his, quæ ab adversariis objecta sunt, c nibus apud alios respondere.* Id enim de

Rempublicam prodendam pecuniam accepisset, causam suam ita egit: Est quidem iniquum, Quirites, cum inter alios vixerim, apud alios me rationem vitæ reddere. Sed tamen audebo vos, quorum major pars honoribus & actis meis interesse non potuit, irrogare: [1] Varius Sucronensis Æmilium Scaurum, [2] regia mercede corruptum, Imperium populi Rom. prodidisse ait: Æmilius Scaurus huic se affinem esse culpæ negat: Utri creditis? Cujus dicti admiratione populus commotus, Varium ab illa dementissima actione pertinaci clamore depulit.

9. Contra [3] M. Antonius ille disertus, non enim respuendo, sed amplectendo causæ dictionem, quam innocens esset, testatus est. Quæstor proficiscens in Asiam, [4] Brundusium jam pervenerat, ubi literis certior factus incesti se postulatum [5] apud L. Cassium Prætorem, cujus tribunal propter nimiam severitatem scopulus reorum dicebatur: cum id vitare beneficio legis Memmiæ liceret, quæ eorum, qui Reipub. causa abessent, recipi nomina vetabat: in Urbem tamen recurrit: Quo tam pleno fiduciæ bonæ consilio, cum absolutionem celerem, tum profectionem honestiorem consecutus est. An.M. 3941. Ol. 166. 4. Vrb.C. 640. Ant.Ch. 112.

10. Sunt & illa speciosæ fiduciæ publica exempla. Nam eo bello, quod adversus Pyrrhum gerebatur, Carthaginienses centum ac triginta navium classem in præsidium Romanis Ostiam ultro cum misissent, Senatui placuit legatos ad ducem eorum ire, qui dicerent, populum Rom. bella suscipere solere, quæ suo milite gerere posset: proinde classem Carthaginem reducerent. Idem post aliquot annos Cannensi clade exhaustis Romani Imperij viribus, supplementum exercitus in Hispaniam mittere ausus, [a] fecit ne hostilium locus castrorum, tum maxime Cape- An. M. 3776. Ol. 125. 3. Vrb C. 475. Ant.Ch. 277. An. M 3843. Ol. 141. 2. Vrb. C. 542. Ant.Ch. 210.

INTERPRETATIO.

a *Fecit, ut locus, in quo hostes castra posuerant, non minori pretio venderetur, quam si à Pœnis non fuisset occupatus: dum Annibal non procul aberat à porta qua itur Capuam.*

NOTÆ.

tone refert Plutarchus, quod Valerius M. Scauro tribuit.

1. *Q. Varius Sucronensis.*] Vastus & fœdus homo, seditiosus & importunus, ex Cicer. Hybrida vulgo dictus propter jus obscurum civitatis; oriundus enim erat ex Sucrone Hispaniæ oppido.

2. *Regia mercede corruptum.*] Errat Valerius: nec enim crimini datum est Scauro à Mithridate accepisse pecuniam; sed socios ad arma movisse. Varius enim ille Tribunus plebis legem tulerat, ut quæreretur in eos, qui socios ad bellum concitassent. M. Scaurus paucis his verbis suam causam egit. *Q. Varius Sucronensis M. Scaurum Senatus principem socios in arma ait concitasse. M. Scaurus princeps Senatus negat; testis nemo est: utri vos Quirites, convenit credere?*

3. *M. Antonius.*] Orator.

4. *Brundusium.*] Vrbem Salentinorum maritimam prope Tarentum. *Brindisi.*

5. *Apud L. Cassium Prætorem.*] Cum levius, quam par esset, de stupris Vestalium quæsivisse Pontifices dicerentur, L. Cassius ob severitatis famam extra ordinem post Consulatum & Censuram Prætor

nam portam armis Annibale pulsante, [1] minoris veniret, quam si Pœni illum non obtinerent. Ita se gerere in adversis rebus quid aliud est, quam sævientem fortunam, in adjutorium sui pudore victam convertere?

11. [a] Magno spacio divisus est à Senatu ad Poëtam [2] Accium transitus. Cæterum ut ab eo decentius ad externa transeamus, producatur in medium. Is Julio Cæsari amplissimo & florentissimo viro, in Collegium Poëtarum venienti nunquam assurrexit: non majestatis ejus immemor, sed quod in comparatione communium studiorum, aliquanto superiorem se esse confideret. Quapropter insolentiæ crimine caruit, quia ibi voluminum, non imaginum certamina exercebantur.

INTERPRETATIO.

a *Quanquam non multum conveniat inter Senatum*, de quo modo locuti sumus, *& Accium Poëtam*, de quo mox dicemus.

NOTÆ.

factus jussu populi incesti causam obtinuit. Ita Livius in Epit. & Pædian.

1. *Minoris veniret.*] Id adeo superbum atque indignum visum Annibali; ejus soli, quod bello captum possideret, inventum Romæ emptorem: ut extemplo vocato Præcone tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum tunc essent, jusserit venire: at, qui eas emeret, invenit neminem.

2. *Accium.*] Cum Accius Poëta, & C. Iulius Cæsar diversis plane venerint temporibus; alius est, vel hic Accius à Poëta, vel hic Cæsar à Dictatore: natus enim Accius est anno urbis 583. ex Eusebio, Mancino & Serrano Coss. Pacuvio quidem junior; Cæsare vero Dictatore multo senior.

EXTERNA.

An.M.3640. Ol. 91. 3. Vrb.C.339. Ant.Ch. 413.

Nec [1] Euripides quidem Athenis arrogans visus est, cum postulante populo, ut ex tragœdia quandam sententiam tolleret, progressus in scenam, dixit: Se ut eum doceret, non ut ab eo disceret, fabulas componere solere. Laudanda profecto fiducia est, [a] quæ æstimationem sui certo pondere examinat, tantum sibi arrogans, quantum à contemptu & insolentia distare satis est.

An. M.3642. Ol. 92. 1. Vrb. C. 341. Ant. C. 411.

1. Itaque etiam quod Alcestidi tragico Poëtæ respondit, probabile: apud quem cum quereretur, quod eo triduo non ultra tres versus maximo impenso labore deducere potuisset, atque is se centum perfa

INTERPRETATIO.

a *Quæ pensat justa mensura sua merita, multum sibi vindicans; sed nihil tamen quo alios arrogantia quadam contemnere videatur.*

b *Potuisset summo labore componere.*

NOTÆ.

1. *Euripides.*] Poëta tragicus celeberrimus, Socratis auditor; in spelunca tetra Salaminæ Insulæ tragœdias scripsisse dicitur: decies & quinquies vicit, ex Gellio. Alcestides ille fuit Poëta ignobilis.

cile ſcripſiſſe gloriaretur. Sed hoc, inquit, intereſt, quod tui in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus ſufficient. [a] Alterius enim fœcundi curſus ſcripta intra primas memoriæ metas corruerunt, alterius cunctante ſtylo elucubratum opus per omne ævi tempus plenis gloriæ velis feretur.

2. Adjiciam ſcenæ ejuſdem exemplum: [b] [1] Antigenidas tibicen diſcipulo ſuo magni profectus, ſed parum feliciter populo ſe approbanti, cunctis audientibus, dixit: Mihi cane, & Muſis. Quia videlicet perfecta ars fortunæ lenocinio defecta, fiducia juſta non exuitur: quamque ſcit ſe laudem mereri, eam etſi ab aliis non impetrat, domeſtico tamen acceptam judicio refert.

3. [2] Zeuxis autem cum Helenam pinxiſſet, quid de eo opere homines cenſuri eſſent, expectandum non putavit: ſed protinus hos ver- An. M. 3657.
ſus adjecit: Iliad. 3. Ol. 95. 4.
Vrb. C. 356.
Ant. Ch 396.

[3] Οὐ νέμεσις Τρῶάς τε, καὶ ἐϋκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Τοιῇ δ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν.
Αἰνῶς ἀθανάτῃσι θεαῖς εἰς ὦπα ἔοικεν.

Adeone dextræ ſuæ multum pictor arrogavit, ut ea tantum forma comprehenſum crederet, quantum aut Leda cœleſti partu edere, aut [4] Homerus divino ingenio exprimere potuit.

4. Phidias quoque Homeri verſibus egregio dicto alluſit. Simulacro enim Jovis Olympii perfecto, quo nullum præſtantius, aut admirabilius humanæ fabricatæ ſunt manus; interrogatus ab amico, [c] quonam

INTERPRETATIO.

a *Verſus enim Alceſtidis ſcripti maxima facilitate paulo poſt perierunt: ubi ſemel eorum obliti ſunt, qui illos didicerant; verſus vero Euripidis difficili & laborioſo ſtudio compoſiti, per omne tempus æternam gloriam conſequentur.*

b *Antigenidas tibicen diſcipulo ſuo, qui in hac arte multum profecerat; populo tamen non multum probabatur, omnibus audientibus dixit:* Cane ſolis eruditis in Muſica, & Muſis quæ illam artem invenerunt; *quia homo in arte ſua perfectus, licet deſtituatur applauſu fortunæ, non ideo tamen amittit bonam, quam meretur, de ſe opinionem.*

c *Quodnam exemplar in mente finxiſſet, ut lineamentis in ebore formatis exprimeret vultum Iovis tam perfecte, ut è cœlo petitus videretur.*

NOTÆ.

1. *Antigenidas.*] Thebanus Muſicus, ex Suida; primus calceamentis Mileſiis uſus eſt, ex Plinio.

2. *Zeuxis.*] Heracleotes Pictor clariſſimus, qui opera ſua gratis dare inſtituit, cum diceret ea nullo pretio emi poſſe. Multa de illo Plinius l. 35. c. 9.

3. Οὐ νέμεσις, *&c.*] Quos verſus ſic verte: *Nequaquam turpe eſt, Trojanos & Græcos armis fulgentibus conſpicuos, diuturnos labores tolerare pro muliere tam formoſa, ut deabus immortalibus vultu perſimilis eſſe videatur.*

4. *Homerus*] Poëtarum princeps; Iliade & Odyſſea notiſſimus: qua patria natus, cœcus fuerit, necne, obſcurum eſt. De Phidia l. 1. c. 1. de Leda lib. 1. cap. 8.

mentem suam dirigens, vultum Jovis propemodum ex ipso cœlo petitum eboris lineamentis esset amplexus: illis se versibus quasi magistris usum respondit: Iliad. 1.

[1] Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος,
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

An. M. 3687. Ol. 103. 2. Vrb. C. 386. Ant. Ch. 366.

5. Non patiuntur me tenuioribus exemplis diutius insistere fortissimi duces. Siquidem [2] Epaminondas, cum ei cives irati, sternendarum in oppido viarum contumeliæ causa curam mandarent (erat enim illud ministerium apud eos sordidissimum) sine ulla cunctatione id recepit, daturumque se operam ut brevi speciosissimum fieret, asseveravit: Mirifica deinde procuratione, abjectissimum negotium pro amplissimo ornamento expetendum Thebis reddidit.

An. M. 3870. Ol. 149. 1. Vrb. C. 569. Ant. Ch. 183.

6. Annibal vero cum apud Regem Prusiam exularet, auctorque ei [3] committendi prælii esset, atque is non idem sibi extis portendi diceret: [a] An tu, inquit, vitulinæ carunculæ, quam Imperatori veteri mavis credere? Si verba numeres, breviter & abscise: si sensum æstimes, copiose & valenter. Hispanias enim ereptas populo Romano, Galliarum ac Liguriæ vires in suam redactas potestatem, & [4] novo transitu Alpium juga patefacta, & Trasimenum lacum dira inustum memoria, & Cannas Pœnicæ victoriæ clarissimum monimentum, & Capuam possessam, & Italiam laceratam, ante pedes hominis effudit, uniusque hostiæ jecinori, longo experimento testatam gloriam suam, postponi æquo animo non tulit: [b] Et sane quod ad exploranda bellica sacrificia, æstimandosque militares ductus attinebat; omnes foculos, omnes aras Bithyniæ, Marte ipso judice, pectus Annibalis prægravasset.

INTERPRETATIO.

[a] *An tu, inquit, mavis credere modicis extis vituli mactati, quam Imperatori præstantissimo; si verba numeres, respondit breviter & concise.*

[b] *Et sane quod pertinebat ad cognoscendum, quid sacrificia bellica portenderent, quidve in re militari esset agendum: solus Annibal, Marte ipso judice, plus vidisset, quam omnes Bithyniæ Aruspices per sacrificia in foculis & aris exhibita.*

NOTÆ.

1. Ἦ καὶ κυανέῃσιν.] Illos versus è Græco sic reddiderim. *Dixit, & nigris superciliis annuit Iupiter; tum ex summo illius capite comæ ambrosiæ fluxerunt, totumque Olympum concussit.*

2. *Epaminondas.*] De illo l. 3. c. 1. n. 1. De Prusia l. 1 c. 8. n. 12. De Annibalis victoriis jam sæpius diximus.

3. *Committendi prælij.*] Cum Eumene Pergameno bellum susceperat Prusias & ab eo pugna terrestri victus est: at navalis prælij & victoriæ illi auctor fuit Annibal, qui omne serpentum genus medios in hostes projici jussit. Ita Iustinus, Probus, & Plut.

4. *Novo transitu.*] Alpium juga cum exercitu primus Annibal superare ausus est; in quo transitu 30. hominum millia amisisse fertur.

7. [a] Capax generosi spiritus illud quoque dictum Regis [1] Cotys : ut enim ab Atheniensibus civitatem sibi datam cognovit : Et ego, inquit, illis meæ gentis jus dabo. Æquavit Athenis Thraciam, ne vicissitudine talis beneficii imparem se judicando, humilius de origine sua sentire existimaretur.

8. Nobiliter etiam uterque Spartanus, & qui increpitus à quodam, quod in aciem claudus descenderet; pugnare, non fugere propositum sibi esse respondit. Et qui, referente quodam, sagittis Persarum solem obscurari solere : [2] Bene narras, inquit, in umbra enim melius præliabimur. Ejusdem vir urbis atque animi, hospiti suo patriæ muros excelsos latosque ostendenti, dixit : [b] Si mulieribus istos comparastis, recte : si viris, turpiter.

INTERPRETATIO.

a *Illud quoque dictum Regis Cotys dignum est, quod à generoso viro emissum sit.*
b *Si illos muros extruxistis ad defendendas mulieres, recte fecistis : si ad viros protegendos*, qui armis se tueri debent, *turpiter egistis.*

NOTÆ.

1. *Cotys.*] Rex Thraciæ, quem Athenienses, dum bellum contra Dorienses gerunt, exercitui suo præfecerant.

2. *Bene narras.*] Leonidas, qui ad Thermopylas cecidit, ex Frontino.

CAP. VIII.

DE CONSTANTIA.

ROMANORUM.

1. *Q. Fulvii Flacci Procos.*
2. *Q. Fabii Max. Verucossi.*
3. *C. Calpurnii Pisonis COS.*
4. *Q. Metelli Numidici.*
5. *Q. Scævolæ Auguris.*
6. *Semproniæ Gracchorum sororis.*
7. *Pontii Centurionis.*
8. *C. Mevii Centurionis.*

EXTERNORUM.

1. *Blassii Salapini.*
2. *Phocionis Atheniensis.*
3. *Socratis Atheniensis.*
4. *Ephialtis Atheniensis,*
5. *Dionis Syracusani.*
6. *Alexandri Magni.*

[a] APertum & animosum bonæ fiduciæ pectus emenso quasi debitum superest opus constantiæ. Natura enim comparatum est, ut quis-

INTERPRETATIO.

a *Cum jam multa exempla attulerim virorum fortium, qui magnam fiduciam habuerunt, nunc reliquum est, ut viros constantes proferam : à natura enim comparatum est, ut quisquis credit se comprehendisse aliquid, recte & ordine debito tueatur acriter.*

quis ſe aliquid ordine, ac recte mente complexum confidit; vel jam geſtum, ſi obtrectetur, acriter tueatur; vel nondum editum, ſi interpelletur, ſine ulla cunctatione ad effectum perducat.

1. Sed dum exemplar propoſitæ rei perſequor latius mihi circumſpicienti ante omnia ſe Fulvii Flacci conſtantia offert. [a] [1] Capuam fallacibus Annibalis promiſſis Italiæ regnum nefaria defectione paciſci perſuaſam, armis occupaverat: Tam deinde culpæ hoſtium juſtus æſtimator, quam ſpecioſus victor. Campanum Senatum impii decreti auctorem funditus delere conſtituit. Itaque catenis onuſtum in duas cuſtodias Theanum, Calenamque diviſit: conſilium executurus, cum ea peregiſſet, quorum adminiſtrandorum celerior eſſe neceſſitas videbatur. Rumore autem de mitiore Senatus ſententia orto, ne debitam pœnam ſcelerati effugerent, nocte admiſſo equo, Theanum contendit; interfectiſque qui ibi aſſervabantur, eveſtigio Cales tranſgreſſus, perſeverantiæ ſuæ opus executus eſt: Et jam deligatis ad palum hoſtibus, literas à Patribus Conſcriptis nequicquam Campanis ſalutares accepit. In ſiniſtra enim eas manu, ſicut erant traditæ, retinuit: ac juſſo lictore lege agere, tum demum aperuit, poſtquam illis obtemperari non poterat. Qua conſtantia victoriæ quoque gloriam antecellit: [b] quia ſi eum intra ſeipſum partita laude æſtimes, majorem punita Capua, quam capta reperies.

An. M. 3837. Ol. 140. 4. Vrb. C. 536. Ant. Ch. 216.

2. Atque iſta quidem ſeveritatis, illa vero pietatis conſtantia admirabilis, quam Q. Fabius Maximus infatigabilem patriæ præſtitit: [2] Pecuniam pro captivis Annibali numeravit, fraudatus ea publice, tacuit. Dictatori Magiſtrum Equitum Minucium jure Imperij [3] Senatus æquaverat, ſilentium egit. Compluribus præterea injuriis laceſſitus, in eodem animi habitu permanſit, nec unquam ſibi Reip. permiſit iraſci, tam perſeverans in amore civium fuit. Quid in bello gerendo, nonne par

INTERPRETATIO.

a Fulvius *armis ceperat Capuam, cujus cives ab Annibale fallacibus promiſſis decepti ſibi perſuaſerant ſe Italiæ regnum habituros, ſi à Romanis deficerent.*

b *Si velis perpendere, an* Fulvius *plus laudis mereatur ob captam Capuam, quam ob punitam; majore dignum reperies ob punitam.*

NOTÆ.

1. *Capuam fallacibus.*] Hanc hiſtoriam diligenter explicuimus ſup.

2. *Pecuniam pro captivis.*] Annibalem inter & Fabium de captivis permutandis convenerat; at pactionem vehementer improbavit Senatus. Fabius Romam filium miſit, qui agrum ſuum venderet, pretiumque ad ſe deferret: quod ille præſtitit.

3. *Senatus æquaverat.*] Non Senatus, ſed populus. Romam dum redit Fabius, obnixe precatus eſt Minucium, ne ſe abſente cum Annibale committat prælium; at ille pugnæ impatiens Annibalis copias aggreſſus ſex hoſtium millia cecidit: quod ubi Romam allatum eſt, omnes Minucium ad cœlum efferre, Fabium vero carpere; & agente Metello Trib plebis, invito Senatu plebi ſcitum factum eſt, quo jus Magiſtri Equitum cum jure Dictatoris æquaretur. Ita Liv. l. 22. & Plut. in Fabio.

ejus

ejus constantia? Imperium Romanum Cannensi prælio pene destructum vix sufficere ad exercitus comparandos videbat. Itaque frustrari & eludere Pœnorum impetus, quam manum cum his tota acie conserere melius ratus, pluribus comminationibus Annibalis irritatus, sæpe etiam specie bene gerendæ rei oblata; nunquam à consilii salubritate, ne parvi quidem certamine discriminis recessit. Quodque est difficillimum, ubique ira ac spe superior apparuit. Ergo ut Scipio pugnando, ita hic non dimicando, maxime civitati nostræ succurrit. Alter enim celeritate sua Carthaginem oppressit: alter cunctatione id egit, ne Roma opprimi posset.

An M. 3987. Ol 178. 2. Vrb.C. 686. Ant.Ch. 66.

3. [1] C. etiam Pisonem mirifice & constanter turbulento Reipublicæ statu egisse Consulem, narratione insequenti patebit. [a] [2] M. Palicani seditiosissimi hominis pestiferis blanditiis præreptus populi favor, consularibus comitiis summum dedecus admittere conabatur, amplissimum ei imperium deferre cupiens, cujus teterrimis actis exquisitum potius supplicium, quam ullus honos debebatur. Nec deerat consternatæ multitudini furialis fax Tribunitia, quæ temeritatem ejus & ruentem comitaretur, & languentem actionibus suis inflammaret. In hoc miserando pariter & erubescendo statu civitatis, tantum non manibus Tribunorum pro rostris Piso collocatus, cum hinc atque illinc eum ambissent, & an Palicanum suffragiis populi Consulem creatum, renunciaturus esset, interrogaretur; primo respondit: Non existimare se tantis tenebris offusam esse Rempublicam, ut huc indignitatis veniretur. Deinde cum perseveranter instarent, ac dicerent: Age, [b] si ventum fuerit: Non renuntiabo, inquit. Quo quidem tam abscisso responso, Consulatum Palicano, prius quam illum adipisceretur, eripuit. Multa & terribilia Piso contempsit, [c] dum speciosum mentis suæ flecti non vult rigorem.

An M. 3954. Ol. 17?. 1. Vrb. C. 6?3. Ant. Ch. 99.

4. Metellus autem Numidicus, propter consimile perseverantiæ genus, excepit quoque indignam majestate ac moribus suis procellam. Cum enim animadverteret, quo tenderent Saturnini Tribuni plebis funesti conatus, quantoque malo Reipublicæ, nisi his occurreretur, erupturi essent, [3] in exilium, quam in legem ejus ire maluit. Potest aliquis

INTERPRETATIO.

a *Populus blanditiis M. Palicani hominis seditiosissimi allectus volebat admittere maximum dedecus in comitiis Consularibus:*

b *Si ventum fuerit eo*, ut Palicanus Consul eligatur.

c *Dum non passus est constantem animum à populo dimoveri.*

NOTÆ.

1. *C. Pisonem.*] Qui hoc anno cum Acilio Glabrione Consul erat.

2. *M. Palicani.*] Fuit ille Picens humili loco natus, loquax magis quam facundus.

3. *In exilium quam in legem, &c*]

hoc viro dici constantior? qui ne sententia sua pelleretur, patria, in qua summum dignitatis gradum obtinebat, carere sustinuit.

An. M. 3966. Ol. 173. 1. Vrb. C. 665. Ant. Ch. 87.

5. Cæterum ut neminem ei prætulerim, ita [1] Q. Scævolam Augurem merito comparaverim. Depulsis, prostratisque inimicorum partibus [2] Sylla occupata urbe, Senatum armatus coëgerat, ac summa cupiditate ferebatur, ut C. Marius quam celerrime hostis judicaretur: Cujus voluntati nullo obviam ire audente, solus Scævola interrogatus de hac re, sententiam dicere noluit. Quin etiam truculentius sibi minitanti Syllæ, licet, inquit, mihi agmina militum, quibus Curiam circumsedisti, ostentes; licet mortem identidem miniteris; nunquam tamen efficies, ut propter exiguum senilemque sanguinem meum, Marium, à quo urbs & Italia conservata est, hostem judicem.

An. M. 3954. Ol. 170. 1. Vrb. C. 653. Ant. Ch. 99.

6. [a] Quid fœminæ cum concione? si patrius mos servetur, nihil. Sed ubi domestica quies seditionum agitata fluctibus est, priscæ consuetudinis auctoritas convellitur: plusque valet quod violentia cogit, quam quod suadet & præcipit verecundia. Itaque te Sempronia Ti. & C. Gracchorum soror, uxor Scipionis Æmiliani, [b] non ut absurde gravissimis virorum operibus inserens, maligna relatione comprehendam; sed quia à Tribuno plebis producta ad populum, in maxima confusione nihil à tuorum amplitudine degenerasti, honorata memoria prosequar. Coacta es eo loci insistere, ubi principum civitatis perturbari frons solebat: instabat tibi torvo vultu minas profundens amplissima potestas, clamore imperitæ multitudinis obstrepens, totum forum acerrimo studio nitebatur, ut [3] Equitio, cui Semproniæ gentis falsum jus quærebatur, tanquam filio Tiberii fratris tui osculum dares: [c] tu tamen illum,

INTERPRETATIO.

a *Quid negotii est fœminæ cum cœtu hominum* pro rebus publicis convocato.

b *Tuum præclarum facinus recte inserens operibus præstantissimorum virorum.*

c *Tu tamen repulisti illum Equitium prognatum ex obscura quadam domo; & nihilominus, velut quoddam monstrum, conantem sibi usurpare affinitatem, ad quam nullum jus habebat.*

NOTÆ.

Tribunus plebis Saturninus legem promulgat; ut ager ille, quem Marius pulsis hostibus in Gallia acquisierat, populo divideretur. In eam legem ut singuli Senatores intra quintum diem jurent, imperat: sin minus, & mulctam 20. talentorum minatur. Tum Marius hujus legis suasor, ut Metello strueret insidias, negat se juraturum: idem, cum multi alij, tum ipse imprimis Metellus negat. Vbi vero in rem ventum est, prævaricatus Marius jurat, illum multi metu sequuntur; at Metellus proposito constans juramentum respuit, & continuo è foro, & paulo post ex urbe, ne civium sua causa cædes fieret, discessit. Hæc fere Plut. in Mario. Rhodum exulatum abiit, ex Epit. Livian. Smyrnam, et Aurelio Victore.

1. *Q. Scævolam.*] Ex gente Mutia. Consul fuit anno Vrbis 637.

2. *Sylla occupata urbe.*] Consule l. 1. c. 5. n. 5. ubi hæc narravimus.

3. *Equitio.*] L. Equitius Firmanus fictitius ille fuit Ti. Gracchi filius, quem

nescio quibus tenebris protractum, portentum, execrabili audacia, ad usurpandam alienam propinquitatem tendentem, repulisti.

7. [a] Non indignabuntur Urbis nostræ Lumina, si inter eorum eximium fulgorem, Centurionum quoque virtus spectandam se obtulerit. Nam ut humilitas amplitudinem venerari debet, ita nobilitati fovenda magis, quam spernenda bonæ indolis novitas est. An abigi debet [1] Pontius ab horum exemplorum contextu? qui pro Cæsaris partibus excubans, Scipionis præsidio interceptus, cum uno modo salus ab eo daretur, si se futurum Cn. Pompeij generi ipsius militem affirmasset, ita respondere non dubitavit: Tibi quidem, Scipio, gratias ago: sed mihi uti ista conditione vitæ non est opus. An.M. 4008. Ol. 183. 3. Vrb.C 707. Ant.Ch.45.

8. Sine ullis imaginibus nobilem animum, & idem constantiæ propositum secutus C. Mevius Centurio Divi Augusti, cum [2] Antoniano bello sæpenumero excellentes pugnas edidisset, improvisis hostium insidiis circumventus, & ad Antonium Alexandriam perductus, interrogatusque quidnam de eo statui deberet: Jugulari me, inquit, jube: quia nec salutis beneficio, neque mortis supplicio adduci possum, ut Cæsaris miles esse desinam, & tuus esse incipiam. Cæterum quo constantius vitam contempsit, eo facilius impetravit. Antonius enim virtuti ejus incolumitatem tribuit. An.M. 4023. Ol. 187. 2. Vrb. C. 722. Ant.Ch.30.

INTERPRETATIO.

a *Viri principes nostræ urbis non ægre ferent.*

NOTÆ.

Metellus Censor ex numero civium expunxit; & C. Marius Consul duxit in publicam custodiam; populus vero claustris carceris evulsis creavit Tribunum plebis: at primo die initi Magistratus cæsum tradit Appian.

1. *Pontius.*] Ab aliis Titius legitur: non tamen Titus ille Pontius, de quo Cicero in l. de Senectute, ut vult Colerus; ille enim à Catone Majore appellatur, qui Pompejo & Scipioni ætate multo superior fuit. Hunc Pontium Scipio cum sociis interfici jussit.

2. *Antoniano bello.*] Quo M. Antonius ab Augusto ad Actium victus est.

EXTERNA.

1. Complura hujus notæ Romana exempla superant, sed satietas modo vitanda est. Itaque stylum meum ad externa jam delabi permittam, quorum principatum teneat Blassius, cujus constantia nihil pertinacius. [1] Salapiam enim patriam suam præsidio Punico occupatam, Romanis cupiens restituere, Dasium acerrimo studio secum in administratione Reipublicæ dissidentem, & animo toto Annibalis amicitiæ va- An. M.3844. Ol. 142. 3. Vrb. C. 543. Ant.Ch.209.

NOTÆ.

1. *Salapiam.*] Vrbem Apuliæ Dauniorum. *Salpe.*

cantem, sine quo propositum consilium peragi non poterat, ad idem opus aggrediendum majore cupiditate, quam spe certiore tentare ausus est: [a] qui protinus sermonem ejus, adjectis quæ se commendatiorem & inimicum invisiorem factura videbantur, Annibali retulit: à quo adesse jussi sunt, ut alter crimen probaret, alter defenderet. Cæterum pro tribunali cum res gereretur, & quæstioni illi omnium oculi essent intenti, [b] dum aliud forte citioris curæ negotium tractatur, Blassius vultu dissimulante, & voce submissa, monere Dasium cœpit, ut Romanorum potius quam Carthaginiensium partes foveret. Enimvero tunc ille proclamat, se in conspectu ducis adversus eum solicitari: quod quia & incredibile videbatur, & ad unius tantum aures penetraverat, & dicitabatur ab inimico, veritas fide caruit: Sed non ita multo post Blassii mira constantia Dasium ad se traxit, Marcelloque Salapiam, & [1] quingentos Numidas, qui in ea custodiæ causa erant, tradidit.

An.M. 3726.
Ol. 113. 1.
Vrb.C. 425.
Ant Ch. 327.
An.M. 3736.
Ol. 115. 3.
Vrb.C. 435.
Ant.Ch. 317.

2. [2] Phocion vero, cum Athenienses rem aliter atque ipse suaserat, [3] prospere administrassent, adeo perseverans sententiæ suæ propugnator extitit, ut in concione lætari quidem se successu eorum, sed consilium tamen suum aliquanto melius fuisse diceret. Non enim damnavit, quod recte viderat: quia quod alius male consuluerat, bene cesserat: felicius hoc existimans, illud etiam sapientius. [c] Blandum animum saure temeritati casus facit, ubi pravo consilio propitius aspirat: & quo vehementius noceat, inspiratius prodest. Placidi & misericordes, & liberales, omnique suavitate temperati mores Phocionis, quos optime profecto consensus omnium bonitatis cognomine decorandos censuit. Itaque constantia, quæ natura rigidior videbatur; lenis è mansueto pectore fluxit.

INTERPRETATIO.

a *Continuo Dasius retulit Annibali sermonem Blassij, additis iis quæ se Annibali gratiosum, Blassium vero inimicum magis illi invisum redderent.*

b *Dum aliud forte negotium, quod magis urgebat, ab Annibale tractatur.*

c *Fortuna sæpe juvat temeritatem, dum pravo consilio propitiam se prabet; & aliquando favet in rebus magis desperatis, ut postea plus noceat.*

NOTÆ.

1. *Quingentos Numidas.*] Dum Marcellus à Blasio in hac urbe recipitur, Numidæ arma capiunt, tentantque eruptionem; cumque nullus fugæ pateret exitus, omnes fere pugnantes occumbunt. Plus aliquanto damni hæc ala Equitum amissa Annibali, quam Salapia fuit: nec deinde Pœnus equitatu, quo plurimum valuerat, fuit superior. Ita Livius l. 26.

2. *Phocion.*] Vir prudentia, clementia, aliisque virtutibus longe clarissimus, qui sapienter Atheniensium Remp. moderatus est.

3. *Prospere administrassent.*] Hinc Cassander, inde Polypercon Athenis rerum potiri cupiebant; Polyperconti populus, Cassandro vero, cum nobilitas omnis, tum Phocion imprimis favebat: interim Nicanor Cassandri Præfectus occupat Pyreum. Phocion, nec arma capienda censuit, nec armatis præesse voluit. Advenit Polypercon, Pyreum ob-

3. [a] Socratis autem virilitatis robore palliatus animus aliquanto præfractius perseverantiæ exemplum edidit. Universa civitas Atheniensium iniquissimo ac truculentissimo errore instincta, de capite [1] decem Prætorum, qui apud Arginusas Lacedæmoniam classem deleverant, tristem sententiam tulerat. [b] Forte tunc ejus potestatis Socrates, cujus arbitrio plebiscita ordinarentur, indignum judicans tot & tam bene meritos ex indigna causa impetu invidiæ abripi, temeritati multitudinis constantiam suam objecit: maximoque concionis fragore, & incitatissimis minis compulsus non est, ut se publicæ dementiæ auctorem adscriberet: [c] quæ opposita ejus legitima grassari via prohibita, injusto Prætorum cruore manus suas contaminare perseveravit: nec timuit Socrates, ne consternatæ patriæ, undecimus furor mors ipsius existeret.

An. M. 3648. Ol. 93. 3. Vrb. C. 347. Ant. Ch. 405.

4. [d] Proximum, etsi non ejusdem splendoris est, tamen adeo certum constantiæ habere potest experimentum, cum efficacis operæ forensis, tum fidei non latentis. Athenis [2] Ephialtes [3] accusare publice jussus, & inter cæteros Demostrati nomen deferre coactus est, cujus filius erat Demochares, excellentis formæ puer, animo ejus flagrantissimo inhærens amore. [e] Itaque communis officii sorte truculentus accusator, privati affectus conditione miserabilis reus, puerum ad se exorandum, [f] quo parcius patris criminibus insisteret, venientem, neque repellere, neque supplicem genibus suis advolutum intueri sustinuit. Sed operto capite flens & gemens, preces expromere passus est. Nihiloque minus sincera fide accusatum Demostratum damnavit: victoriam nescio laude, an

An. M. 3714. Ol. 110. 1. Vrb. C. 413. Ant. Ch. 359.

INTERPRETATIO.

[a] *Animus autem Socratis,* qui *pallio* Philosophico utebatur, *instructus virili constantia edidit perseverantiæ exemplum multo perfectius.*

[b] *Tunc forte Socrates* Tribunitiam *potestatem gerebat; cujus arbitrio decreta à plebe sancita ordinabantur.*

[c] *Populus tamen contaminavit manus suas Prætorum sanguine injuste effuso; etiam si per intercessionem Socratis impeditus fuisset illos judicio secundum leges requisito condemnare; nec timuit Socrates, ne occisis decem Prætoribus, undecimus ipse occideretur furore populi consternati ob cives insepultos.*

[d] *Exemplum, quod proxime narraturus sum, etsi non habet tantum splendorem, haberi tamen potest pro certo indicio & constantiæ in foro judiciali exhibitæ, & fidei palam se prodentis.*

[e] *Itaque* Ephialtes *& accusator severus ob publicum officium, quod illi sorte obtigerat; & vultu habituque veluti reus commiseratione dignus ob amorem* quo puerum deperibat.

[f] *Ut remissius ageret in patrem criminis accusatum.*

NOTÆ.

fidetur, & Cassander pellitur.

1. *Decem Prætorum.*] Vide l. 1. c. 1. sub finem Demarchus tum erat Socrates, cujus eadem Athenis potestas fuit, quæ Romæ Tribuni plebis.

2. *Ephialtes.*] Atheniensis vir fortissimus, qui cum Memnone Rhodio ad Halycarnassum pro Dario contra Macedonas fortiter dimicans occubuit.

3. *Accusare publice.*] Moris erat Athenis, ut sorte ducerentur, qui in mores hominum & vitæ rationem inquirerent,

tormento majore consecutus: quoniam prius quam sontem opprimeret, seipsum vicit.

An.M. 3692. Ol. 104. 3. Vrb. C. 391. Ant.Ch. 359.

5. [a] Quem Syracusanus [1] Dion diversitate exempli prægravat: qui quibusdam monentibus, ut adversus [2] Heraclidem & Calippum, quorum fidei plurimum credebat, tanquam insidias ei nectentes cautior esset; respondit, se vita malle excedere, quam metu violentæ mortis amicos inimicosque juxta ponere.

An.M. 3721. Ol. 111. 4. Vrb.C. 420. Ant.Ch. 332.

6. Quod sequitur, & rei ipsius admiratione, & claritate auctoris illustre. Alexander Macedonum Rex inclyta jam pugna, excellentissimis [3] opibus Darii contusis, æstu & itineris fervore [4] in Cilicia percalefactus, Cydno, qui aquæ liquore conspicuus, Tarsum interfluit, corpus suum immersit: subito [b] deinde ex nimio haustu rigoris obstupefactis nervis, ac torpore hebetatis artubus, maxima cum exanimatione totius exercitus, in oppidum castris propinquum defertur. Jacebat æger Tarsi, inque valetudine ejus adversa, instantis victoriæ spes fluctuabat. Itaque convocati Medici, attentissimo consilio salutis remedia circumspiciebant. Qui cum ad unam potionem sententiam direxissent, atque eam Philippus Medicus suis manibus temperatam Alexandro (erat autem ipsius amicus & comes) porrexisset, [5] à Parmenione missæ literæ superveniunt, admonentes, ut Rex insidias Philippi, perinde ac pecunia corrupti à Dario, caveret. Quas cum legisset, sine ulla cunctatione medicamentum [6] hausit, ac tunc legendas Philippo tradidit: Pro quo tam constanti erga amicum judicio, dignissimam à diis immortalibus mercedem recepit: [c] qui incolumitatis ejus præsidium falso interpellari indicio noluerunt.

INTERPRETATIO.

a *Ephialtem tamen Dio Syracusanus antecellit exemplo constantia in re diversa edito.*

b *Deinde ex nimio frigore nervis contractis, & membris torpore maximo hebetatis.*

c *Qui* medicamentum illud, *cujus virtute sanitatem recuperaturus erat, noluerunt falso indicio impedire, quominus daretur.*

NOTÆ.

& si quos non probassent, accusarent publice.

1. Dionysii tyranni affinis, quem cum ad liberandas tyrannide Athenas sæpius hortaretur, ab eo in exilium ejectus est; sed aliquando post, ipse à Platone, ut creditur, inductus, Dionysium juniorem Syracusis expulit.

2. *Heraclidem & Calippum.*] Ille Siculus, hic Atheniensis fuit: uterque proditor multas in Dionem seditiones cõcitavit.

3. *Opibus Darii contusis.*] Ad Granicum flumen, ubi ex Persis millia peditum cæsa decem, equitum duo; capta [illegible]o.

4. *In Cilicia.*] Amano & Tauro montibus, Pamphylia & mari circumscripta; nunc *Caramania*: cujus urbs præcipua Tharsus fuit; vel à Tharso Iapheti nepote, ex Iosepho; vel à Perseo, ex Solino; vel ab Argivis Triptolemi comitibus, ex Strabone; condita ad Cydnum.

5. *A Parmenione.*] Dux erat bellicis laudibus clarissimus, qui post Alexandrum maximam domitæ Asiæ gloriam tulit: in 3. enim præliis, quibus fractæ Darii vires, cornu sinistro præfuit; ipse tamen proditionis, seu veræ, seu falsæ accusatus, Alexandri jussu necatus est.

6. *Hausit.*] Satius esse ratus, & dubia se fide Medici quam morbo perire; & alieno mori scelere, quam suo metu.

VALERII MAXIMI LIBER QUARTUS.

CAP. I.

DE ANIMI MODERATIONE.

[a] TRANSGREDIAR ad saluberrimam partem, animi moderationem, quæ mentes nostras impotenti temeritatis incursu transversas ferri non patitur. Quo evenit, ut reprehensionis morsu sit vacua, & laudis quæstu opulentissima: Itaque effectus suos in claris viris recognoscat.

1. Atque ut ab incunabulis summi honoris incipiam, P. Valerius, qui populi majestatem venerando, Poplicolæ nomen assecutus est, cum exactis Regibus, imperii eorum vim universam, omniaque insignia sub titulo Consulatus in se translata cerneret, [b] invidiosum Magistratus fa- An. M. 3516. Ol. 68. 1. Vrb.C. 245. Ant. Ch. 507.

INTERPRETATIO.

a *Iam exempla proferam moderationis, quæ pars est animi saluberrima; quæque impedit, ne mens nostra temeritatis impetu* extra rationis semitam *abripiatur: unde fit, ut nihil habeat, quod possit reprehendi, & multum laudis acquirat.*

b *Fecit sua moderatione, ut plena invidia potestas Magistratus Consularis facilius à populo toleraretur; jubendo ut fasces sine securibus in urbe præferrentur, & submitterentur, quando populus vocaretur ad concionem.*

ſtigium moderatione ad tolerabilem habitum deduxit : [1] faſces ſecuribus vacuefaciendo, & in concione populo ſubmittendo, numerum quoque eorum dimidia parte minuit, ultro Sp. Lucretio Collega aſſumpto; ad quem, quia major natu erat, priores faſces transferri juſſit. Legem etiam comitiis centuriatis tulit, ne quis Magiſtratus civem Romanum adverſus provocationem verberare, aut necare vellet. Ita quo civitatis conditio liberior eſſet, imperium ſuum paulatim deſtruxit. Quid, quod ædes ſuas diruit, quia excelſiore loco poſitæ, inſtar arcis habere videbantur: Nonne quantum domo inferior, tantum gloria ſuperior evaſit?

An.M. 3665. Ol 97. 4. Vrb.C.364. Ant.Ch 388.

2. Vix juvat abire à Poplicola; ſed venire ad Furium Camillum libet, cujus tam moderatus ex magna ignominia ad ſummum imperium tranſitus fuit; ut cùm præſidium ejus cives capta à Gallis urbe Ardeæ exulantis petiiſſent, non prius Vejos ad accipiendum exercitum iret, quam de Dictatura ſua omnia [2] ſolemni jure acta comperiſſet. Magnificus Camilli Vejentanus triumphus, egregia [3] Gallica victoria; ſed iſta cunctatio longe admirabilior. Multo enim, multoque ſeipſum quam hoſtem ſuperare operoſius eſt: [a] nec adverſa præpropera feſtinatione fugientem, nec ſecunda effuſo gaudio apprehendentem.

An.M.3789. Ol. 128. 4. Vrb C.488. Ant.Ch.264.

3. Par Furio moderatione [4] Marcius Rutilus Cenſorinus. Iterum enim Cenſor creatus, ad concionem populum vocatum quam potuit graviſ-

INTERPRETATIO.

a Ita ut ille qui ſe vincit, *nec adverſa fugiat nimia feſtinatione; nec proſpera apprehendat immoderata lætitia.*

NOTÆ.

1. *Faſces ſecuribus.*] In ſuſpicionem affectati regni venit Valerius; quod & occiſo Bruto non aſciſceret ſibi Collegam, & in ſumma Velia (locus erat altus & natura munitus) ædificaret: quam invidiam ut à ſe pelleret, multa, quæ populo grata fore noverat, ſancivit; quæ ad ſex potiſſimum capita revocari poſſunt. 1. Vocato ad concilium populo, faſces ſummi imperii inſignia ſummiſit. 2. Faſces quidem in urbe præferri Conſulibus voluit, at ſecuribus vacuas. 3. Cum ambo Conſules 24. faſces, ſinguli 12. haberent; idque ægre ferret populus; ipſe juſſit, ut 12. tantum alterutri, primum ſeniori, tum juniori alternis menſibus præferrentur 4. Vetuit, ne quis Magiſtratus in urbe civem Romanum virgis cæderet, necaretve injuſſu populi. 5. Collegam ſibi aſſumpſit Sp. Lucretium. 6. Ædes ſuas in clivum infimum tranſtulit, quo facilius à civibus obrui poſſet, ſi in aliquo delicto deprehenderetur.

2. *Solemni jure.*] A Romanis, qui Vejos fugerant, miſſus Pontius Cominius, qui Senatores in Capitolio obſeſſos conſuleret; datumque ab iis decretum, quo M. Camillus revocatus de exilio populi juſſu Dictator diceretur.

3. *Gallica victoria.*] Bis Gallos vicit, ſemel in urbe; primoque concurſu haud majore momento Galli fuſi ſunt, quam ad Alliam vicerant: iterum Gabina via ad octavum lapidem, ubi omnia cædes obtinuit, ac ne nuncius quidem cladis relictus eſt.

4. *Marcius Rutilus.*] Quod Marcius Rutilus, & Cenſura duplici præter morem, & utraque ſumma cum laude functus ſit, Cenſorini nomen, tum ſibi, tum poſteris etiam peperit.

ſima

ſima oratione corripuit, quod eam poteſtatem bis ſibi detuliſſet; cujus majores, quia nimis magna videretur, tempus coarctandum judicaſſent. Uterque recte, & Cenſorinus, & populus: [a] alter enim ut moderate honores crederent, præcepit: alter ſe moderato credidit. An M. 3595.

4. Age, L. Quinctius Cincinnatus qualem Conſulem egit? cum ho- Ol. 80. 2.
norem ejus Patres Conſcripti [1] continuare vellent, non ſolum propter Vrb.C. 294.
illius egregia opera, ſed etiam quod populus eoſdem Tribunos in pro- Ant.Ch.458.
ximum annum creare conabatur, quorum neutrum jure fieri poterat: utrumque diſcuſſit, Senatus ſimul ſtudium inhibendo, & Tribunos verecundiæ ſuæ exemplum ſequi cogendo. Itaque unus in cauſa fuit, ut ampliſſimus Ordo, populuſque tutus eſſet ab injuſti facti reprehenſione.

5. [2] Fabius vero Maximus cum à ſe quinquies, & à patre, avo, An.M 3841. Ol. 141. 4.
proavo, majoribuſque ſuis ſæpenumero Conſulatum geſtum animad- Vrb C. 540.
verteret: comitiis, quibus filius ejus ſummo conſenſu Conſul creaba- Ant.Ch.214.
tur, quam potuit conſtanter cum populo egit, ut vacationem aliquando hujus honoris Fabiæ genti daret: non quod filii virtutibus diffideret (erat enim illuſtris,) ſed ne maximum imperium in una familia continuaretur. Quid hac moderatione valentius, aut efficacius; quæ etiam patrios affectus, qui potentiſſimi habentur, ſuperavit?

6. Non defuit majoribus grata mens ad præmia ſuperiori Africano exolvenda; ſiquidem maxima ejus merita paribus ornamentis decorare
conati ſunt. Voluerunt illi ſtatuas [3] in comitio, in roſtris, in Curia, in An.M. 3853.
ipſa denique Jovis Opt. Max. cella ponere: voluerunt imaginem ejus Ol. 144. 4.
triumphali ornatu indutam, Capitolinis pulvinaribus applicare: vo- Vrb.C. 552.
luerunt ei continuum per omnes vitæ annos Conſulatum, perpetuam- Ant.Ch.200.
que Dictaturam tribuere. Quorum ſibi nullum, neque plebiſcito dari,

INTERPRETATIO.

a *Nam* Marcius *recte admonuit populum, ut prudenter concederet illos honores; & populus recte ſe commiſit* Marcio *viro moderato.*

NOTÆ.

1. *Continuare vellent.*] Capitolium ſervi exulibus juncti occuparant; hinc eos pellere nituntur Conſules P. Valerius & C. Claudius; at Valerius inter primos pugnam ciens occumbit: tum Claudius Collegam ſibi legit Q. Cincinnatum, qui exul rei ruſticæ dabat operam. Sub anni finem Patrum ſtudio in annum ſequentem Conſul erat: cum ille, rem ut mali exempli averſatus, indicit comitia, deſignatiſque Conſulibus in ſuum ſe tuguriolum recipit.

2. *Fabius vero Maximus.*] Cunctator, cujus pater Fabius Gurges, avus Fabius Rullianus, proavus Fabius Ambuſtus, atavus Fabius Ceſo; quorum ſinguli, vel ſemel, vel ſæpius Conſules fuerunt. Illius filius Conſul rem contra Annibalem bene geſſit.

3. *In comitio.*] Quid comitium, quid Roſtra ſint, lib. 1. cap. 5. num. 1. Quid curia, ibidem numero 3. diximus.

neque Senatusconsulto decerni patiendo, [a] pene tantum in recusandis honoribus se gessit, quantum gesserat in emerendis.

An.M. 3859. Ol. 146. 2. Vrb. C. 558. Ant.Ch. 194.

Eodem robore mentis causam Annibalis in Senatu protexit, cum eum [1] cives sui missis legatis tanquam seditiones apud eos moventem accusarent: Adjecit quoque non oportere Patres Conscriptos se Reip. Carthaginiensium interponere; altissimaque moderatione alterius saluti consuluit, alterius dignitati, [b] victoria tenus, utriusque hostem egisse contentus.

An.M. 3844. Ol. 142. 3. Vrb. C. 543. Ant.Ch. 209.

7. At M. Marcellus, qui primus & Annibalem vinci, & Syracusas capi posse docuit: cum in Consulatu ejus Siculi de eo questum in urbem venissent, [2] nec Senatum ulla de re habuit, quia Collega Valerius Lævinus forte aberat, ne ob id Siculi in querendo timidiores essent. At ut is rediit, ultro de his admittendis retulit, querentesque de se patienter sustinuit. Jussos etiam à Lævino discedere; remanere, ut suæ defensioni interessent, coëgit: [c] ac deinde utraque parte perorata, etiam excedentes Curia subsecutus est, quo liberius Senatus sententiam ferret. Improbatis quoque eorum querelis, supplices & orantes, ut ab eo [3] in clientelam reciperentur, clementer excepit: [4] Super hæc Siciliam sortitus, eam Provinciam Collegæ cessit. Toties laudatio Marcelli variari potest, quoties novis ipse gradibus moderationis adversus socios usus est.

An.M. 3867. Ol. 148. 2. Vrb. C. 566. Ant.Ch. 186.

8. Quam [5] Ti. etiam Gracchus admirabilem se exhibuit! Tribunus enim plebis, cum ex professo inimicitias cum Africano & Asiatico Sci-

INTERPRETATIO.

a *Pene tantam gloriam assecutus est in repudiandis honoribus, quantam habuerat in promerendis.*

b *Satis habuit se præstitisse hostem, & Carthaginiensium, & Annibalis, usque ad victoriam* de illo relatam.

c *Ac deinde postquam & Siculi & ipse Marcellus causam dixissent.*

NOTÆ.

1. *Cives sui.*] Gravi invidia apud suos laborabat Annibal, tum ob vetus in Barchinam factionem odium, tum ob immutatam Reipub. gerendæ rationem; Magistratus enim, qui prius perpetui erant, annuos ipse fecerat: quare insimulatus Romæ, quod & ipse ad Antiochum & Antiochus ad ipsum legatos misisset.

2. *Nec Senatum ulla de re, &c.*] Id paulo aliter narrat Plutarchus: at cum sit res levioris momenti, non est operæ pretium illius adscribere sententiam. De Marcelli victoriis jam sæpius.

3. *In clientelam.*] *Apud majores nostros*, inquit Cicero, *tantopere justitia culta est, ut hi, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, eorum patroni essent more majorum.* l. 1. de Officiis.

4. *Super hæc.*] Ante Siculorum querelas, Sicilia cum classe Marcello, Italia cum bello in Annibalem Lævino obvenerat.

5. *Tib. Gracchus.*] Similius vero mihi videtur; idque tum Livium, tum Plutarchum legenti cuilibet constabit: bis L. Scipionis causam à Ti. Graccho susceptam, semel cum morbum causæ esse, cur Linterni abesset, frater L. Scipio excusaret; iterum, cum post Africani mortem à Petiliis damnatus est.

pionibus gereret, [a] & Asiaticus [1] judicatæ pecuniæ satisdare non posset, atque ideo [2] à Consule in vincula publica duci jussus esset, appellassetque Collegium Tribunorum, nullo volente intercedere, secessit à Collegis, decretumque composuit: Nec quisquam dubitavit, quin eo scribendo, irati hostis adversus Asiaticum verbis usurus esset. At is primum juravit se cum Scipionibus in gratiam non rediisse; deinde tale decretum recitavit: Cum L. Cornelius Scipio die triumphi sui ante currum actos hostium duces in carcerem conjecerit; indignum & alienum à majestate populi Romani videri eodem ipsum duci. Itaque id non se [3] passurum fieri. Libenter tunc opinionem suam populus Romanus à Graccho deceptam cognovit, moderationemque ejus debita laude prosecutus est.

9. C. quoque Claudius Nero inter cætera præcipuæ moderationis exempla numerandus est. Livii Salinatoris in Asdrubale opprimendo [4] gloriæ particeps fuerat: at tamen eum triumphantem equo sequi, quam triumpho quem ei Senatus æque decreverat, uti maluit; quia res in Provincia Salinatoris gesta fuerat. Sine curru ergo triumphavit, eo quidem clarius, quod illius victoria tantummodo laudabatur, [5] hujus etiam moderatio.

10. Ne Africanus quidem posterior nos de se tacere patitur: Qui Censor, [6] cum lustrum conderet, [7] inque solito fieri sacrificio Scriba

An.M.3912.
Ol.159. 3.
Vrb. C. 611.
Ant.Ch.141.

INTERPRETATIO.

a *Et Asiaticus non posset dare pecuniam omnem, qua in judicio damnatus fuerat.*

NOTÆ.

1. *Iudicata pecunia*] Sub Africani mortem, vel duo Petilii, ex Livio, vel Minucius, ex Gellio, suasore M. Catone L. Scipionem ingentis pecuniæ ab Antiocho acceptæ damnarunt.

2. *A Consule.*] Hoc falsum; legendum, *à Tribuno.*

3. *Passurum fieri.*] Permisit tamen, ut Quæstores in bona L. Scipionis invaderent, in quibus ne minimum quidem regiæ pecuniæ vestigium apparuit: quæ ad privatum vitæ cultum necessaria visa sunt, à cognatis redempta. Tam varia de Scipionis Asiatici damnatione scripta sunt, ut quibus potissimum assentiar auctoribus non habeam.

4. *Gloria particeps.*] Multo plus ad victoriam, quam ipse Livius, contulit Nero; qui decepto Annibale magnam Italiæ partem quinque diebus emensus, Equitatum cum Liviano exercitu conjunxit.

5. *Hujus etiam moderatio.*] *Ita consociatus triumphus uterque gloriosus fuit; sed Neronis magis auxit gloriam, qui tantum honore cesserat Collegæ, quantum illi, & nobilitate, & merito anteibat.* Ita Liv.

6. *Cum lustrum conderet.*] Non Scipio, sed L. Mummius illius Collega lustrum hoc anno condidit, si Ciceroni l. 2. de Orat. & Gellio l. 4. c. 17. credimus; quamobrem idem hoc anno, quod sæpe alias, factum esse non temere dixerim: ut Censor uterque Scipio & Mummius præeunte Scriba carmen voti faciundi pronunciaret; alter vero Mummius tauro immolato peregerit sacrificium, lustrumque condiderit.

7. *Inque solito fieri.*] Ego libentius

ex publicis tabulis ſolemne ei precationis [1] carmen præiret, quo dii immortales, ut populo Romano res meliores amplioreſque facerent, rogabantur: Satis, inquit, bonæ ac magnæ ſunt. Itaque precor, ut eas perpetuo incolumes ſervent. Ac protinus in publicis tabulis carmen ad hunc modum emendari juſſit. Qua votorum verecundia deinceps Cenſores in condendis luſtris uſi ſunt. Prudenter enim ſenſit tunc incrementum Romano Imperio petendum fuiſſe, cum [2] intra ſeptimum lapidem triumphi quærebantur: Majorem autem totius terrarum orbis partem poſſidenti, ut avidum eſſet quicquam ultra appetere; ita abunde felix, ſi nihil ex eo quod obtinebat, amitteret. Neque alia ejus in Cenſura moderatio pro tribunali apparuit. Centurias recognoſcens Equitum, [a] poſtquam C. Licinium Sacerdotem citatum proceſſiſſe animadvertit: dixit ſe ſcire illum [3] verbis conceptis pejeraſſe. Proinde ſi quis eum accuſare vellet, uſurum teſtimonio ſuo; ſed nullo ad id negotium accedente, [b] Traduc equum, inquit, [4] Sacerdos, ac lucrifac cenſoriam notam: ne ego in tuam perſonam & accuſatoris, & teſtis, & judicis partes egiſſe videar.

An.M. 3940. Ol. 166. 3. Vrb C. 639. Ant.Ch. 113.

11. Quod animi temperamentum etiam in [5] Q. Scævola excellentiſſimo viro adnotatum eſt: Teſtis namque in reum productus, cum id reſpondiſſet, quod ſalutem periclitantis magnopere læſurum videbatur, diſcedens [c] adjecit, ita ſibi credi oportere, ſi & alii idem aſſeveraſſent: quoniam unius teſtimonio aliquem credere peſſimi eſſet exempli: Et religioni igitur ſuæ debitam fidem, & communi utilitati ſalubre conſilium reddidit.

12. Sentio quos cives, quæve facta eorum ac dicta quam anguſto ambitu orationis amplectar. Sed cum magna & multa breviter dicenda

INTERPRETATIO.

a *Poſtquam animadvertit C. Licinium Sacerdotem à Pracone appellatum in medium veniße.*

b *Tranſi cum equo tuo, Sacerdos; & latare, quaſi de lucro, quod à Cenſore notatus non fueris.*

c *Adjecit, ſibi credi tantum oportere tum, cum alij idem verum eſſe dixiſſent.*

NOTÆ.

cum Lipſio legerim, *ſolitaurili ſacrificio*; quod luſtrationum omnium proprium fuit. In luſtro enim mos fuit ut exercitus omnis in campo Martio adeſſet, ibique ſue, ove, tauriſque luſtraretur: hoc ſacrificium Varro, Livius, Feſtius *ſolitaurilia* appellant, Cato *ſuovetaurilia*, Servius *ſuovetaurium*, alij *ſollitaurilia*.

1. *Carmen.*] Hoc eſt formulam, cujus ne unam quidem voculam licebat immutare.

2. *Intra ſeptimum lapidem.*] Id eſt intra ſeptem millia paſſuum: majores enim lapidibus milliaria ſingula deſignabant.

3. *Verbis conceptis.*] Solemni more expreſſis; ita ut nihil deeſſet ad perjurium.

4. *Sacerdos.*] Non dignitatis, ſed familiæ plebeiæ nomen fuit.

5. *Q. Scævola.*] Gener Lælii Sapientis, & Augur vulgo dictus.

ſint de claritate excellentibus viris : [a] ſermo infinitis perſonis rebuſque circumfuſus, utrumque præſtare non poteſt. Itaque propoſiti quoque noſtri ratio non laudanda ſibi omnia, ſed recordanda ſumpſit. Quapropter bona cum venia duo Metelli, [1] Macedonicus, & Numidicus, maxima patriæ ornamenta, ſtrictim ſe narrari patientur. Acerrime cum Scipione Africano Macedonicus diſſenſerat, eorumque ab æmulatione virtutis profecta contentio, [2] ad graves teſtataſque inimicitias progreſſa fuerat; ſed cum interemptum Scipionem conclamari audiſſet, in publicum ſe proripuit, mœſtoque vultu & voce confuſa, Concurrite, concurrite, inquit, cives, mœnia Urbis noſtræ everſa ſunt : Scipioni enim Africano intra ſuos penates quieſcenti nefaria vis illata eſt. O Remp. pariter Africani morte miſeram, & Macedonici tam humana, tamque civili lamentatione felicem! eodem enim tempore, & quantum amiſiſſet Principem, & qualem haberet, recognovit. Idem [3] filios ſuos monuit, ut funebri ejus lecto humeros ſubjicerent, atque huic exequiarum, illum honorem vocis adjecit, Non fore, ut poſtea id officium ab illis viro majori præſtari poſſet. Ubi illa tot in Curia jurgia? ubi tam multæ pro roſtris altercationes? ubi maximorum ducum & [b] civium tantorum togata prælia? Omnia nimirum iſta præcipua veneratione proſequenda delevit moderatio.

An. M. 3925. Ol. 162. 4. Vrb.C 624. Ant.Ch. 128.

13. Numidicus autem Metellus populari factione patria pulſus in Aſiam ſeceſſit : in qua, cum ei forte ludos Trallibus ſpectanti literæ redditæ eſſent, quibus ſcriptum erat, [4] maximo Senatus & populi conſenſu reditum illi in Urbem datum : non è theatro prius abiit, quam ſpectaculum ederetur : non lætitiam ſuam proxime ſedentibus ulla ex parte patefecit, ſed ſummum gaudium intra ſe continuit : Eundem

An.M. 3955. Ol. 170. 2. Vrb.C. 654. Ant.Ch. 98.

INTERPRETATIO.

a *Sermo meus, qui de infinitis prope perſonis & rebus loquitur, non poteſt utrumque efficere.*

b *Contentiones inter viros togatos.*

NOTÆ.

1. *Macedonicus & Numidicus*] Vtrique Q. Cæcilius Metellus nomen fuit : ille ex Macedonia victo Pſeudophilippo, Macedonici; hic victo Iugurtha, ex Numidia Numidici nomen reportavit. Numidicus Metelli Calvi, qui Macedonici frater, filius erat.

2. *Ad graves teſtataſque, &c.*] Aliter Cicero : *Inter Scipionem & Metellum fuit ſine acerbitate diſſenſio.* Scipionem Æmilianum intellige; de cujus morte poſtea.

3. *Filios ſuos monuit.*] Sex liberos habuit, quatuor filios, duaſque filias; nepotes undecim, nurus, generoſque, & à quibus pater appellaretur viginti ſeptem: ſed de his alias. De Trallibus antea egimus.

4. *Maximo Senatus.*] L. Appuleio, à quo ejectus fuerat Metellus, occiſo, Senatus, populuſque omnis Metelli reditum clamoribus poſtulavit : obſtitit quidem aliquandiu Furius quidam Tribunus plebis; ſed ille à furente populo diſcerptus, & Metellus tanta omnium gratulatione reſtitutus eſt, ut dies integra excipientium ſalutationibus ad portam conſumpta fuerit. Quod Mario ægre admodum fuit; qui ne inimici glorioſum reditum cerne-

constat pari vultu, & exulem fuisse, & restitutum : adeo moderationis beneficio medius semper inter secundas & adversas res animi firmitate versatus est.

14. Tot familiis in uno genere laudis enumeratis, Portium nomen velut expers hujusce gloriæ silentione prætereundum ? Negat fieri debere posterior Cato : non parvo summæ moderationis fisus indicio,
An.M. 3998. Ol. 181. 1. Vrb.C. 697. Ant.Ch. 55.
[1] Cypriacam pecuniam maxima cum [2] diligentia & sanctitate in Urbem deportaverat ; [a] cujus ministerii gratia, [3] Senatus relationem interponi jubebat, ut Prætoriis comitiis extra ordinem ratio ejus haberetur. Sed ipse id fieri passus non est ; iniquum esse affirmans, quod nulli alii tribueretur, sibi decerni. Ac ne quid in persona sua novaretur, [4] campestrem experiri temeritatem, quam Curiæ beneficio uti, satius esse duxit.

An.M. 3999. Ol. 181. 2. Vrb.C. 698. Ant.Ch. 54.
15. Ad externa jam mihi exempla transire conanti [b] [5] M. Bibulus vir amplissimæ dignitatis, & summis honoribus functus, manus injicit: Qui cum in Provincia Syria moraretur, duos egregiæ indolis filios suos à [6] Gabinianis militibus occisos esse cognovit. Quorum interfectores ad eum vinctos [7] Regina Cleopatra misit, ut gravissimæ cladis ultionem arbitrio suo exigeret : At ille oblato beneficio, quo nullum majus lugen-

INTERPRETATIO.

a *Propter quod ministerium* diligenter præstitum *Senatus jubebat ut rationes non redderet, & in comitiis Prætoriis extra ordinem ipse Prætor crearetur.*

b *Dum conor externa jam exempla proferre, M. Bibulus me admonet, ut de ipso prius loquar.*

NOTÆ.

ret, navigavit in Galatiam. Hæc Appianus.

1. *Cypriacam pecuniam.*] Catonis in Cyprum mittendi duplex causa P. Clodio fuit ; altera, ut Ptolemæum Cypri Regem ulcisceretur, quod ipsum à piratis (ab iis enim captus fuerat) non redemisset : altera, ne Cato vir amans patriæ, iis, quæ destinabat animo, obsisteret.

2. *Diligentia.*] Vbi in Cyprum appulit Cato, Ptolemæum spoliat, jure an injuria, viderint alij; septemq; millia cogit argenti talenta: at veritus tum longam navigationem, tum mobilem populi animum, & vasa paravit pecuniæ deportandæ idonea, singulisque longum funem & corticem suberis annexuit ; & eorum quæ gesserat rationem descripsit in duobus codicibus, quorum alter naufragio, alter igne absumptus est.

3. *Senatus relationem.*] Vt ad Tiberim venit, Magistratus, Sacerdotes, frequensque populus obviam prodiit ; laudemque non minorem adeptus est bene gestæ rei, quam si è bello victor rediisset.

4. *Campestrem experiri.*] Præturam extra ordinem oblatam cum repudiasset, anno sequenti in comitiis prælato Vatinio repulsam tulit.

5. *M. Bibulus.*] E Patricia Calphurniorum gente, C. Cæsaris in Consulatu Collega ; qui multo post in bello civili, dum rem maritimam diligenter curaret, obiit.

6. *Gabinianis militibus.*] A. Gabinius, qui cum Pisone Consul, tum Proconsul Syriæ præerat.

7. *Regina Cleopatra.*] Ptolemæi Auletis filia, quæ à patre regni hæres

ti tribui potuerat, dolorem moderationi cedere coëgit, carnificesque sanguinis sui intactos evestigio ad Cleopatram reduci jussit: dicendo, potestatem hujus vindictæ non suam, sed Senatus esse debere.

NOTÆ.

una cum fratre ea lege scripta fuerat, ut illi nuberet. Antonii amoribus aliquanto post famosa.

EXTERNA.

1. Tarentinus [1] Architas, dum se Pythagoræ præceptis Metaponti penitus immergit, magno labore, longoque tempore [a] solidum opus doctrinæ complexus; postquam in patriam revertitur, ac rura sua revisere cœpit, animadvertit negligentia villici corrupta & perdita: intuensque male meritum: Sumpsissem, inquit, à te supplicium, nisi tibi iratus essem: Maluit enim impunitum dimittere, quam propter iram gravius justo punire.

An. M. 3690. Ol. 104. 1. Vrb C. 389. Ant. Ch. 363.

2. [b] Nimis liberalis Architæ moderatio, Platonis temperatior: nam cum adversus delictum servi vehementius exarsisset, veritus ne ipse modum vindictæ dispicere non posset, [2] Speusippo amico castigationis arbitrium mandavit: deforme sibi futurum existimans, si commisisset, ut parem reprehensionem culpa servi, & animadversio Platonis mereretur. Quo minus miror, quod in Xenocrate discipulo suo tam constanter moderatus fuit. Audierat eum de se multa impie locutum: sine ulla cunctatione criminationem respuit. [c] Instabat certo vultu index, causam quærens, cur sibi fides non haberetur: adjecit, non esse credibile, ut quem tantopere amaret, ab eo invicem non diligeretur. [d] Postremo cum ad jusjurandum inimicitias serentis malignitas confugisset; ne de perjurio ejus disputaret, affirmavit nunquam Xenocratem illa dictu-

An. M. 3688. Ol. 103. 3. Vrb. C. 387. Ant. Ch. 365.

INTERPRETATIO.

a *Assecutus solidam & maximam scientiam.*

b *Moderatio Architæ fuit nimis indulgens; Platonis vero majori severitate temperata.*

c *Is qui indicaverat, instabat vultu confidentiæ pleno.*

d *Postremo cum ille, qui inimicitias inter* Platonem & Xenocratem *serere maligne volebat, jurasset se verum dixisse.*

NOTÆ.

1. *Architas.*] Mnezarchi filius, Geometriæ studio celeberrimus, urbisque suæ facile princeps. Platonis & æqualis, & amicus.

2. *Speusippo.*] Is Platonis ex sorore nepos fuit; octo annis Academiæ post Platonem præfuit: non ipsi tamen, si Laërtio credimus, sed Xenocrati servum puniendum tradidit Plato. Intranti cubiculum, *Cæde*, inquit, *hunc puerum; nam ipse, quod iratus sum, nescio.* Xenocratis jam meminimus lib. 2. cap. 10. num. 12. Dionys. lib. 3. cap. 8. num. 5.

rum fuisse, nisi ea dici expedire sibi judicasset. [a] Non in corpore mortali, sed in arce cœlesti, & quidem armatum animum ejus, vitæ stationem putes peregisse, humanorum vitiorum incursus à se invicta pugna repellentem, cunctosque virtutis numeros altitudinis suæ sinu clausos custodientem.

An.M. 3688. Ol. 103. 3. Vrb. C. 387. Ant. C. 365.

3. Nequaquam Platoni literarum commendatione par Syracusanus Dion: sed quod ad præstandam moderationem attinet, [b] vehementioris experimenti. Patria pulsus à Dionysio tyranno, [1] Megaram petierat: ubi cum [2] Theodorum principem ejus urbis domi convenire vellet, neque admitteretur, multum, diuque ante fores retentus, comiti suo, Patienter hoc ferendum est, ait: forsitan enim & nos cum in gradu nostræ dignitatis essemus, aliquid tale fecimus. Qua tranquillitate consilii, ipse sibi conditionem exilii placidiorem reddidit.

An.M. 3652. Ol. 94. 3. Vrb.C.351. Ant.Ch.401.

4. [c] [3] Thrasybulus etiam hoc loci apprehendendus est: qui populum Atheniensem triginta tyrannorum sævitia sedes suas relinquere coactum, dispersamque & vagam vitam miserabiliter exigentem, animis pariter atque armis confirmatum, [4] in patriam reduxit. Insignem deinde restitutione libertatis victoriam clariorem aliquanto moderationis laude fecit. Plebiscitum enim interposuit, ne qua præteritarum rerum mentio fieret: hæc oblivio, quam Athenienses ἀμνησίαν vocant, concussum & labentem civitatis statum in pristinum habitum revocavit.

5. Non minoris admirationis illud: Stasippus [5] Tegeates, hor-

INTERPRETATIO.

a *Non temere dixeris* Platonis *animum non in corpore mortali, sed in cœlo potius breve vitæ tempus peregisse: cum & à se invictus omnia vitia quibus homines obnoxii sunt, repulerit; & omnes perfectæ virtutis numeros magnitudine sua comprehensos diligenter custodierit.*

b *Exemplum præbuit majoris moderationis.*

c *In hoc loco etiam commemorandus est Thrasybulus.*

NOTÆ.

1. *Megaram.*] Vrbem Achaiæ, mediam inter Athenas & Corinthum ad sinum Saronicum.

2. *Theodorum.*] Nec Theodorum, nec principem civitatis appellat Plutarchus, sed virum nobilem & locupletem.

3. *Thrasybulus.*] Vir, cum domi illustris, tum bello fortissimus; qui multa præclare in Lacedæmonios gesserat.

4. *In patriam reduxit.*] Dum in bona & vitam civium triginta tyranni grassarentur Athenis, alii Thebas, Argos alii fugerant; quos inter Thrasybulus, qui paulo post liberandæ patriæ suis & princeps, & auctor extitit: primum enim cum septuaginta viris Pylum Atticæ regionis castellum occupat; deinde cum sociis mille Pyreo potitur; post commisso prælio tyrannos vincit, in quo, cum multi, tum Critias ipse cecidit: tum pace inter cives composita, interfici jubet seditiosorum duces: ipse aliquanto post, dum bellum gerit, ab Aspendiis culpa suorum occiditur.

5. *Tegeates.*] Tegea Arcadiæ oppidum. *Muchli.*

tantibus

tantibus amicis, ut gravem in administratione Reipublicæ æmulum, ſed alioqui probum & ornatum virum, qualibet ratione vel tolleret, vel ſummoveret, negavit ſe facturum, ne quem in tutela patriæ bonus civis locum obtineret, malus & improbus occuparet: ſeque potius vehementi adverſario urgeri, quam patriam egregio advocato carere præoptavit.

6. [1] Pittaci quoque moderatione pectus inſtructum, qui [2] Alcæum Poëtam, & amaritudine odii, & viribus ingenii adverſus ſe pertinaciſſime uſum, [3] tyrannidem à civibus delatam adeptus, tantummodo quid in opprimendo poſſet, admonuit. An. M. 3448. Ol. 43. 3. Vrb. C. 147. Ant. Ch. 605.

7. Hujus viri mentio ſubjicit, ut de ſeptem Sapientium moderatione referam. [a] [4] A piſcatoribus in Mileſia regione [5] verriculum trahentibus, quidam jactum emerat: Extracta deinde magni ponderis aurea [6] menſa Delphica, orta controverſia eſt: illis piſcium ſe capturam vendidiſſe affirmantibus, [b] hoc fortunam tractus ſe emiſſe dicente: Qua conditione propter novitatem rei, & magnitudinem pecuniæ ad univerſum ejus civitatis populum delata, placuit Apollinem Delphicum conſuli, cuinam adjudicari menſa deberet. [7] Deus reſpondit, illi eſſe dandam, qui ſapientia cæteros præſtaret, his verbis: An. M. 3474. Ol. 50. 1. Vrb C. 173. Ant. Ch. 579.

[8] Ὃς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτῳ τρίποδ' ἂν δῶ.

INTERPRETATIO.

a *Quidam à piſcatoribus non procul à Mileto rete trahentibus emerant quidquid primo retis jactu cepiſſent.*

b Emptore *vero dicente ſe emiſſe, quidquid* fortuna in rete *hoc jactu* induceret.

NOTÆ.

1. *Pittaci.*] Mitylenæus, unus ex ſeptem Græciæ Sapientibus, qui pecuniam ſibi à Craſſo oblatam repudiaſſe dicitur.

2. *Alcæum Poëtam.*] Lyricum, quem adeo in ſcribendo mordacem fuiſſe ſcribunt, ut verſibus ſuis multos è civitate ejecerit.

3. *Tyrannidem.*] Pittaco, poſtquam, & Phrynonem Athenienſium ducem, & Leſbi tyrannum ſuperavit, ſumma poteſtas à civibus delata eſt; quam cum ſumma æquitate decem annis tenuiſſet, patriamque legibus ſapientiſſimis temperaſſet, ultro depoſuit.

4. *A piſcatoribus.*] A Cois piſcatoribus Mileſios hoſpites capturam emiſſe ſcribit Plutarchus, extractumque tripodem aureum; quem Helena, cum à Troja navigaret, oraculo monita hunc in locum dejecerat.

5. *Verriculum.*] Hoc eſt rete, quod per alvum fluminis trahitur.

6. *Menſa Delphica.*] Tripodem Delphicę menſę haud abſimilem intelligit.

7. *Deus reſpondit illi eſſe dandam.*] Sunt tamen, qui nec menſam extractam fluctibus, nec ab Apolline adjudicatam ſapientiſſimo velint; ſed, vel pateram à Crœſo miſſam, vel poculum à Bathyele quodam Arcade relictum.

8. Ὃς σοφίῃ, &c.] Hoc eſt, huic addico tripoda, qui ſapientia cæteris præſtiterit. Paulo aliter Laërtius.

De tripode ex Phœbo rogitas, Mileſia pubes:
Huic tripodem addico, cujus ſapientia prima eſt.

Tum Milesii consensu [1] Thaleti mensam dederunt; ille eam Bianti, [2] Bias Pittaco, is protinus alii; deincepsque [3] per omnium septem Sapientum orbem, ad ultimum, ad [4] Solonem pervenit: Qui & titulum amplissimæ sapientiæ, & præmium [5] ad ipsum Apollinem transtulit.

An.M. 3194. 8. Atque ut [6] Theopompo quoque Spartanorum Regi moderatio-
Ol. 5. 1. nis testimonium reddamus: cum primus instituisset ut [7] Ephori Lace-
Ant.Ch.759. dæmone crearentur, ita futuri regiæ potestati oppositi, quemadmodum Romæ Consulari imperio Trib. pleb. sunt objecti; atque illi uxor dixisset, id egisse illum, ut filiis minorem potestatem relinqueret: Relinquam, inquit, sed diuturniorem. Optime quidem: ea enim demum tuta est potentia, quæ viribus suis modum ponit. Theopompus igitur legitimis regnum vinculis constringendo, quo longius à licentia retraxit, hoc propius benevolentiam civium admovit.

An. M. 3864. 9. Antiochus autem à L. Scipione [8] ultra Taurum montem Imperii
Ol. 147. 3. finibus summotus, cum Asiam Provinciam, vicinasque ei gentes ami-
Vrb.C. 561. sisset, gratias agere Pop. Rom. non dissimulanter tulit, quod nimis ma-
Ant. Ch. 191. gna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur. Et sane ni-

NOTÆ.

1. *Thaleti mensam dederunt.*] Thaleti quidem Miletum à Cois missam tradit Plutarchus; Theophrastus vero primum Bianti, & ab eo Thaleti missam.

2. *Bias.*] Prienensis, de quo decantatum illud, cum è patria ab hostibus capta prope nudus fugeret: *Omnia mea mecum porto.*

3. *Per omnium septem Sapientum.*] Quorum primus Thales Milesius; secundus Pittacus Mitylenæus; tertius Bias Prienensis; quartus Solon Atheniensis; quintus Cleobulus, seu Lindius, seu Lydius; sextus, vel Myson Chenensis ex Laconiæ oppido, vel Periander Corinthiorum tyrannus, vel Anacharsis Scytha; septimus Chilo Lacedæmonius. Hi omnes à civili prudentia nomen Sapientis invenerunt, si unum Thaletem exceperis: is enim primus apud Græcos & Geometriæ rationem, ambitus temporum, stellarumque motus observasse dicitur.

4. *Solonem.*] Sapientiæ laude clarissimum, qui Atheniensium Rempublicam Prætor ordinavit. Hujus vitam scripsit Plut.

5. *Ad Apollinem.*] Nec cum Valerio, nec inter se Theophrastus & Plutarchus consentiunt; tradit enim ille Bianti, hic vero Thaleti postremo remissam: illa Apollini Delphico, hic Ismenio consecratam.

6. *Theopompo.*] Fuit Lycandri filius, & Lycurgi nepos.

7. *Ephori.*] Erant numero quinque ex populo, nulla aut generis, aut opum habita ratione, selecti; penes quos summa potestas & belli & pacis, Regesque, si quid deliquissent, aut carcere, aut exilio, aut morte puniendi: horum princeps ἐπώνυμος, cujus nomine signabatur annus; ita ut Spartæ tali Ephoro, haud aliter ac Romæ tali Consule, res gesta diceretur. Plutarchus vult Ephoros à Theopompo institutos; à Lycurgo Herodotus; Laërtius à Philone Sapiente, qui & ipse postea Ephorus fuit.

8. *Vltra Taurum.*] Iam victor Scipio Sardes usque venerat, cum ab Antiocho Legati de pace adveniunt; his Africanum respondere placuit: *Europa,* inquit ille, *abstinete; Asiaque omni, quæ cis Taurum montem est, discedite; pro impensis in bello factis quindecim millia talentorum Euboicorum dabitis*; hoc est, *viginti & unum milliones Francorum.* Ita

hil est tam præclarum, aut tam magnificum, quod non moderatione temperari desideret.

NOTÆ.

Livius. Addit Appianus jussum etiam Antiochum tradere, & elephantos omnes, & naves ultra statutum numerum bene multas.

CAP. II.

DE RECONCILIATIONE.

1. *M. Æmilii Lepidi, & M. Fulvii Flacci Censorum.*
2. *M. Livii Salinatoris, & C. Claudii Neronis Consulum.*
3. *P. Africani majoris, & Ti. Sempronii Gracchi.*
4. *M. Tullii Ciceronis, & A. Gabinii.*
5. *P. Clodii Pulchri, & L. Cornelii Lentuli.*
6. *L. Caninii Galli, & C. Antonii.*
7. *M. Cælii Rufi, & Q. Pompeij.*

[a] QUæ quoniam multis & claris auctoribus illustrata est, transgrediamur ad egregium humani animi ab odio ad gratiam deflexum; & quidem eum læto stylo prosequamur. Nam si placidum mare ex aspero, cœlumque ex nubilo serenum hilari aspectu sentitur, si bellum pace mutatum plurimum gaudii affert: offensarum etiam acerbitas deposita, candida relatione celebranda est.

1. [1] M. Æmilius Lepidus bis Consul, & Pontifex Max. splendorique honorum par gravitate vitæ, diutinas ac vehementes inimicitias cum [2] Fulvio Flacco ejusdem amplitudinis viro gessit. Quas, ut simul Censores renunciati sunt, [3] in campo deposuit: existimans non oportere eos privatis odiis dissidere, qui publice summa juncti essent potestate. Id judicium animi ejus & præsens ætas comprobavit, & nobis veteres

An M. 3875.
Ol. 150. 2.
Vrb. C. 574.
Ant. Ch. 178.

INTERPRETATIO.

a *Quoniam moderationis multa exempla à clarissimis viris petita attulimus; jam agamus de reconciliatione, qua fit, ut animus ab odio ad amorem & gratiam convertatur.*

NOTÆ.

1. *M. Æmilius Lepidus.*] Ille ipse, qui & Pontifex Maximus, & princeps Senatus in Ægyptum missus est, ut pro populo regnum tutorio nomine administraret.

2. *Fulvio.*] *Flaccum* appellat Valerius, *Nobiliorem* alii; qui ex Hispania Prætor ovationem, ex Ambracia Consul triumphum retulit.

3. *In campo deposuit.*] Dum in campo Martio ad aram Martis ex more sederent, summis ab iis precibus Senatus omnis id expetiit: quare dextris fideque mutuo datis, summa concordia Censum peregerunt. *Livius.*

Annalium scriptores laudandum tradiderunt.

An.M.3847. Ol.143. 2. Vrb.C.546. Ant.Ch,206.

2. Sicuti Livii quoque Salinatoris finiendarum simultatum illustre consilium ignotum posteritati esse noluerunt. Is namque etsi Neronis odio ardens [1] in exilium profectus fuerat, testimonio ejus præcipue afflictus; tamen postquam eum [2] inde revocatum cives Collegam illi in Consulatu dederunt, & ingenii sui, quod erat acerrimum, & injuriæ, quam gravissimam acceperat, [3] oblivisci sibi imperavit: [a] Ne si diffidente animo consortionem imperii usurpare voluisset, pertinacem se exhibendo inimicum, malum Consulem ageret: Quæ quidem mentis ad tranquilliorem habitum inclinatio in aspero ac difficili temporum articulo plurimum salutis Urbi, atque Italiæ attulit: quia pari virtutis impetu connisi, terribiles Pœnicas vires contuderunt.

An.M.3867. Ol.148. 2. Vrb C.566. Ant.Ch. 186.

3. Clarum etiam in Africano superiore ac Ti. Graccho depositarum inimicitiarum exemplum. Siquidem ad cujus mensæ sacra, odio dissidentes venerant, ab ea & amicitia & affinitate juncti discesserunt: Non contentus enim Scipio auctore Senatu, in Capitolio, Jovis epulo [4] cum Graccho concordiam communicasse; filiam quoque ei Corneliam protinus ibi despondit.

An M.4000. Ol. 181. 3. Vrb. C. 699. Ant.Ch.53.

4. Sed hujusce generis humanitas etiam in M. Cicerone præcipua

INTERPRETATIO.

a *Ne si infenso in eum animo vellet gerere simul cum ipso imperium Consulare, officia Consulis male obiret exhibens se pertinacem in inimicitiis retinendis.*

NOTÆ.

1. *In exilium profectus.*] Cum L. Æmilio Paulo Consul de Illyriis triumphavit; sed paulo post damnatus est, seu peculatus, ut vult Frontinus; seu, ut Livius, quod prædam militibus inæqualiter divisisset.

2. *Inde revocatum.*] Hanc ignominiam tam patienter tulit, ut & multos annos, tum urbe, tum omni hominum cœtu abstinuerit; & revocatus capilium barbamque prolixam veste obsoleta aleret, donec à Censoribus & deponere squallorem, & in Senatum venire jussus est.

3. *Oblivisci sibi imperavit.*] Primum quidem Consulatum, tum Neronis amicitiam repudiabat Livius; sed tandem victus precibus & populi & Senatus Consulem creari se passus est; & in gratiam cum Nerone rediit. Per *Punicas vires* Asdrubalem intellige, quem ad Metaurum vicerunt.

4. *Cum Graccho concordiam.*] Vereor ut ego hac in parte Valerio assentiri possim; quamvis idem, quod ille, Plutarchus ex nonnullis, quos non appellat, auctoribus referat: quî enim, si hoc verum est, cohærere possint ea, quæ jam ex Livio, Plut. Valerio, aliisque diximus. Si præsens Scipio in Capitolio auctore Senatu cum Ti. Graccho rediit in gratiam, illique filiam despondit; quî fieri potuit, ut graves inimicitias cum Scipione Gracchus etiam tum gesserit, cum ille secessit Linternum, nec prius susceperit Scipionum patrocinium, quam cum Asiaticus, & morbum esse causæ fratri, cur abesset excusaret; & à Petiliis ob pecuniam Antiochenam damnaretur? Eo accedit, quod Polybius, aliique primæ classis auctores testentur Corneliam minorem Africani filiam post illius mortem Ti. Graccho nupsisse. Quare cum alterutrum falsum esse necesse sit, malim ego Polybii, Livii, aliorumq; quam Valerii sententiam amplecti.

apparuit : A. namque Gabinium [1] repetundarum reum summo studio defendit, qui eum in Consulatu suo Urbe expulerat. Idemque P.[2] Vatinium dignitati suæ semper infestum, duobus [3] publicis judiciis tutatus est, ut sine ullo crimine levitatis, ita cum aliqua laude. [a] Quia speciosius aliquanto injuriæ beneficiis vincuntur, quam mutui odii pertinacia pensantur.

5. [b] Ciceronis autem factum adeo visum est probabile, ut imitari id ne inimicissimus quidem illi [4] P. Pulcher dubitaverit : qui [5] incesti crimine à tribus Lentulis accusatus, unum ex his ambitus reum patrocinio suo protexit. Atque in animum induxit, & Judicem & Prætorem, & [6] Vestæ ædem intuens, amicum Lentulo agere : inter quæ ille salutem ejus fœdo crimine obruere cupiens hostili voce peroraverat. An.M. 3996. Ol 180. 3. Vrb.C. 695. Ant.Ch 57.

6. Caninius autem Gallus reum pariter atque accusatorem admirabilem egit, & [7] C. Antonii, [8] quem damnaverat, filiam in matrimonium ducendo, & M. Colonium, à quo [9] damnatus fuerat, rerum suarum procuratorem habendo. An.M. 3995. Ol. 180. 2. Vrb.C. 694. Ant.Ch. 58.

7. [10] Cælii vero Rufi ut vita inquinata, ita misericordia, quam An.M. 4002. Ol. 182. 1. Vrb. C. 701. Ant.Ch. 51.

INTERPRETATIO.

a *Quia injuriæ majori cum laude vincuntur beneficiis ab eo, qui illas accepit, quam vindicantur pertinacia mutui odij.*

b *Factum illud Ciceronis ita laudabile omnibus visum est.*

NOTÆ.

1. *Repetundarum.*] Duo judicia hoc anno expertus est Gabinius; alterum de majestate propter reductum cum exercitu Ptolemæum; alterum de repetundis ob rapinas factas in Syria : in primo judicio in gratiam Pompeii absolutus est; in secundo, Pompeio tum absente, & damnatus, & in exilium pulsus est. Pompeius Ciceronem, ne in primo judicio accusaret, deterruit; ut in secundo defenderet, hortatus est. Ideo male audiit Cicero, si Dioni credimus, quasi partium suarum transfuga.

2. *Vatinium.*] Hominem turpissimum, qui nactus Tribunatum plebis, illum pro Cæsaris libidine gessit; Bibulumque illius Collegam duci jussit in carcerem. Pompeius etiam auctor fuit Ciceroni, ut illum defenderet. In bello civili Cæsaris partes secutus Vatinius, Octavium navali pugna superavit.

3. *Publicis judiciis.*] Publica judicia, quæ ad Rempublicam pertinent, ut ambitus, ut repetundarum, læsæ majestatis, &c.

4. *P. Pulcher.*] Clodius, qui Ciceronem in exilium expulit.

5. *Incesti crimine.*] Quod ad Bonæ deæ sacra, quibus interesse viris nefas erat, habitu muliebri in domum Cæsaris introisset, stuprumque illius uxori obtulisse diceretur.

6. *Vestæ ædem.*] Vt significaret se injuriæ etiam tum memorem esse.

7. *C. Antonij.*] Qui Ciceronis in Consulatu Collega.

8. *Quem damnaverat.*] Quod in bello civili Marium inter & Syllam multos in Græcia spoliasset : pro Græcis dixit Caninius; L. Lucullus tum Prætor peregrinus Antonium damnavit.

9. *Damnatus fuerat.*] Quod Præturæ Candidatus, quo populum sibi conciliaret, gladiatorium munus dederat. Caninio Gallo familiariter usus est Cicero, eumque defendit ambitus.

10. *Cælij vero Rufi.*] Fuit is Ciceronis discipulus, cuius extant multæ epi-

[1] Q. Pompeio præstitit, probanda: cui à se publica quæstione prostrato, cum mater Cornelia fidei-commissa prædia non redderet, atque iste auxilium suum literis implorasset; pertinacissime absenti adfuit. [a] Recitavit & ejus epistolam judicio ultimæ necessitatis indicem, qua impiam Corneliæ avaritiam subvertit; factum propter eximiam humanitatem, ne sub Cælio quidem auctore repudiandum.

INTERPRETATIO.

[a] Recitavit etiam in judicio illius epistolam, qua inopiam suam maximam explicabat.

NOTÆ.

stolæ inter Ciceronianas.

1. *Q. Pompeio.*] Damnatus ille, quod Tribunus plebis occiso Clodio, cui studebat, seditionem excitasset: cujus hæc vox excepta est, *Milo dedit, quem in Curia cremaretis; ego dabo, quem in Capitolio sepeliatis.*

CAP. III.

DE ABSTINENTIA ET CONTINENTIA.

CUIUS EXEMPLA ROMANORUM SUNT.

1. *P. Scipio Africanus major Procos.*
2. *M. Cato Uticensis Propr.*
3. *Nero Claudius, Drusus & Antonia.*
4. *Cn. Marcius Coriolanus.*
5. *MV. Curius Dentatus Cos.*
6. *C. Fabricius Luscinus Cos.*
7. *Q. Ælius Tubero Catus Cos.*
8. *L. Æmilius Paulus Procos.*
9. *Legati Romani Q. Fabius Gurges, & Cn. Fabii Pictores: & Q. Ogulnius.*
10. *L. Calpurnius Piso Frugi Cos.*
11. *M. Cato senior Cos.*
12. *M. Cato Uticensis.*
13. *P. Scipio Æmilian.*
14. *P. Romanus.*

EXTERNA SUNT.

1. *Pericles Atheniensis.*
2. *Sophocles Atheniensis.*
3. *Xenocrates Academicus.*
4. *Diogenes Cynicus.*

MAgna cura præcipuoque studio referendum est, quantopere libidinis & avaritiæ furori similes impetus ab illustrium virorum pectoribus, consilio ac ratione summoti sunt. Quia demum ii penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facile steterit; ubi minimum virium Veneris, pecuniæque cupido sibi vindicaverit. Nam quo istæ generis humani certissimæ pestes penetraverint, ibi injuria dominatur, infamia flagrat. Quibus longius relictis, contrarios tam diris vitiis mores commemoremus.

1. Quartum & vicesimum annum agens Scipio, cum in Hispania Carthagine oppressa, [a] [1] majoris Carthaginis capiendæ sumpsisset auspicia, [2] multosque obsides, quos in ea urbe Pœni clausos habuerant, in suam potestatem redegisset; eximiæ inter eos formæ virginem, ætatis adultæ, & juvenis & cœlebs, & victor, postquam comperit illustri loco inter Celtiberos natam, nobilissimoque gentis ejus [3] Indibili desponsam, accersitis parentibus, & sponso inviolatam tradidit. Aurum quoque, quod pro redemptione puellæ allatum erat, [4] summæ dotis adjecit. Qua continentia ac munificentia Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicando, meritis ejus gratiam debitam retulit. An.M.3844. Ol. 142. 3. Vrb. C. 543. Ant.Ch.209.

2. Verum ut hujus viri abstinentiæ testis Hispania, ita M. Catonis [5] Epiros, Achaia, [6] Cyclades insulæ, maritima pars Asiæ, Provincia Cypros. Unde cum pecuniæ deportandæ ministerium sustineret, tam aversum animum ab omni Venere, quam à lucro habuit, in maxima utriusque intemperantiæ versatus materia: Nam & [7] regiæ divitiæ potestate ipsius continebantur, & fertilissimæ deliciarum tot egregiæ urbes, [b] necessaria totius navigationis diverticula erant. Atque id Minatius Rufus, Cypriacæ expeditionis fidus comes, scriptis suis significat; cujus testimonium non amplector: proprio enim argumento laus ista nititur, quoniam ex eodem naturæ utero & continentia nata est, & Cato. An.M.3998. Ol. 181. 1. Vrb.C. 697. Ant.Ch. 55.

INTERPRETATIO.

a *Cum auspicaretur majorem Carthaginem in Africa aliquando capiendam.*

b *Ad quas in illa navigatione necessario divertendum erat.*

NOTÆ.

1. *Majoris Carthaginis.*] Non ipse tamen evertit Carthaginem, sed Scipio Æmilianus ab illius filio adoptatus.

2. *Multos obsides.*] Trecentos numerat Polybius, quorum haud aliter ac si sociorum liberi fuissent, curam gessit Scipio, acceptisque nominibus civitatum, nuncios misit, ut ad suos quisque recipiendos veniret.

3. *Indibili desponsam.*] Non Indibili, sed Lucceio, vel Allucio Celtiberorum Principi.

4. *Summæ dotis.*] *Præter dotem*, inquit, *quam accepturus à socero es, hæc dotalia dona à me accipe.* Tum ab eo petiit, ut & sibi & populo Romano amicus esset: quam gratiam ut referret Scipioni Allucius, habito clientium delectu intra paucos dies rediit cum mille quadringentis equitibus.

5. *Epiros.*] Regio Græciæ finitima, Acheloo fluvio, Acrocerauniis montibus, Macedoniæ parte, & Ionio mari circumscripta. Primum Molossia, deinde Chaonia, nunc vel *Albania* nuncupata, vel *Canina.*

6. *Cyclades.*] Quinquaginta insulæ in mari Ægeo sparsæ; vel quod circa Delum in orbem sitæ sint; vel quod longo ordine eas circumire necesse sit, cyclades dicuntur. *Les Cyclades.*

7. *Regiæ divitiæ.*] De Catonis Uticensis in Cyprum navigatione egimus hoc libro c. 1.

An.M.4045. Ol. 192. 4. Vrb.C.744. Ant.Ch. 8.

3. [1] Drusum etiam Germanicum eximiam Claudiæ familiæ gloriam, patriæque rarum ornamentum, & quod super omnia est, operum suorum pro habitu, ætatis magnitudine, [2] vitrico pariter ac fratri Augustis duobus Reipublicæ divinis oculis mirifice respondentem, constitit usum Veneris intra conjugis charitatem clausum tenuisse, [a 3] Antonia quoque fœmina laudibus virilem familiæ suæ claritatem supergressa, amorem mariti egregia fide pensavit: quæ post ejus excessum, forma & ætate florens, cubiculum socrus pro conjugio habuit: in eodemque toro alterius adolescentiæ vigor extinctus est, alterius viduitatis experientia consenuit. Hoc cubiculum talibus experimentis summam imponat.

An.M. 3562. Ol. 72. 1. Vrb. C. 261. Ant.Ch. 491.

4. [b] Deinceps ex iis vocemus, quorum animus aliquo in momento ponendi pecuniam nunquam vacavit. Cn. Marcius Patriciæ gentis adolescens, Anci Regis clara progenies, cui Corioli Volscorum oppidum captum cognomen adjecit, cum [4] editis conspicuæ fortitudinis operibus à Posthumo Cominio Consule, accurata oratione apud milites laudatus, omnibus donis militaribus, & agri centum jugeribus, & decem captivorum electione, & totidem ornatis equis, centenario boum grege, argentoque [c] quantum sustinere valuisset, donaretur: nihil ex his, præter unius hospitis captivi salutem, equumque, quo in acie uteretur, accipere voluit. Qua tam circumspecta animi moderatione, nescias utrum majore cum laude præmia meruerit, an rejecerit.

An.M.3764. Ol. 132. 3. Vrb.C. 465. Ant.Ch. 289.

5. [5] MV. autem Curius exactissima norma Romanæ frugalitatis, idemque fortitudinis perfectissimum specimen, Samnitium legatis

INTERPRETATIO.

a Antonia vero in viduitate perseverans *ad summam senectutem pervenit. His de continentia exemplis hic finem imponamus.*

b *Deinceps illos proferamus, quorum animus ne unum quidem momentum intentus fuit ad pecuniam accumulandam.*

c *Quantum potuisset sursum à terra attollere.*

NOTÆ.

1. *Drusum Germanicum.*] Is Tiberii ex Fulvia matre frater fuit, intra penates Augusti Cæsaris natus mense tertio post celebratas nuptias; unde illud Romæ tam vulgo usurpatum, τοῖς εὐτυχοῦσι, καὶ τρίμηνα παιδία; quasi id muneris esset Cæsari à diis concessum, ut ipsi post tres menses à nuptiis exactos liberi nascerentur. De Drusi indole, victoriis, & morte postea.

2. *Vitrico pariter.*] Augusto & Tiberio, quorum alter post alterum imperavit.

3. *Antonia.*] M. Antonii Triumviri & Octaviæ Augusti sororis filia; 44. annos vidua filiorum suorum nepotes vidit: sub Caligula nepote, & senio, & mœrore confecta obiit.

4. *Editis conspicuæ fortitudinis.*] Enituit illius virtus, tum in prælio, quo Volsci fusi, victique fuerunt; tum in oppugnatione Coriolanæ urbis: deceptis enim custodibus in oppidum irruit, in tecta ignem injicit; dumque incendium extinguere cives conantur, urbs capitur à Romanis. Hæc pluribus Dionysius & Plutarchus.

5. *MV. Curius.*] Ab aliis Marcus,

agresti

agresti se in scamno assidentem foco, atque ligneo catillo cœnantem [a] (quales epulas, apparatus indicio est) spectandum præbuit. Ille enim Samnitium divitias contempsit, Samnites ejus paupertatem mirati sunt. Nam cum ad eum magnum auri pondus publice missum attulissent, benignis verbis invitatus, ut eo uti vellet, vultum risu solvit, protinusque: Supervacuæ, inquit, ne dicam ineptæ legationis ministri, narrate Samnitibus MV. Curium [1] malle locupletibus imperare, quam ipsum fieri locupletem: [b] atque istud ut pretiosum, ita malo hominum excogitatum munus refertote, & mementote me nec acie vinci, nec [2] pecunia corrumpi posse.

Idem cum Italia [3] Pyrrhum Regem exegisset, [4] nihil omnino ex præda regia, quæ exercitum Urbemque ditaverat, attigit. Decretis etiam à Senatu septem jugeribus agri populo, sibi autem quinquaginta, [c] popularis assignationis modum non excessit: parum idoneum Reipub. civem existimans, qui eo quod reliquis tribueretur, contentus non esset. An.M. 3779. Ol. 126. 2. Vrb.C. 478. Ant.Ch.274.

6. Idem sensit Fabricius Luscinus, honoribus & auctoritate omni cive temporibus suis major, censu par unicuique pauperrimo: qui à Samnitibus, quos universos in clientela habebat, decem æris, & quinque pondo argenti, totidemque servos sibi missos, in Samnium remisit: continentiæ suæ beneficio sine pecunia prædives, sine usu familiæ abunde comitatus: quia locupletem illum faciebat, non multa possidere, sed modica desiderare. Ergo domus ejus, quemadmodum ære & argento & mancipiis Samnitium vacua, ita gloria ex his contemptis parta, referta fuit. Consentanea repudiatis donis Fabricii vota extite- An.M. 3783. Ol. 127. 2. Vrb.C. 482. Ant.Ch. 270.

INTERPRETATIO.

a *Quales epulas habuerit, satis indicat apparatus ille* rusticus & tenuis.

b *Atque referte istud munus, quod sicut pretiosum, ita inventum est ad hominum perniciem.*

c *Non accepit ultra septem jugera, quot singulis de populo assignata fuerant.*

NOTÆ.

Marius ab aliis dicitur; vir morum innocentia & gestis honoribus perillustris, qui ter Consul fuit, terque triumphavit; primum de Samnitibus, deinde de Sabinis; denique de Lucanis & Pyrrho.

1. *Malle locupletibus.*] *Repudiati ab eo sunt*, inquit Cicero: *non enim aurum habere præclarum sibi videri dixit; sed iis qui haberent aurum imperare.*

2. *Pecunia corrumpi.*] Non ea certe tum erat mens Samnitium, ut eum pecunia corrumperent; cum nuper opera Curii cum Samnitibus esset pax sancita, & fœdus quarto renovatum.

3. *Pyrrhum Regem exegisset.*] Victus enim ab eo Pyrrhus amissis suorum, vel viginti tribus millibus, ex Eutropio, vel triginta, ex Orosio, in Græciam refugit.

4. *Nihil omnino ex præda.*] Interceptæ pecuniæ cum argueretur Curius, guttum ligneum, quo uti ad sacrificia consueverat, in medium protulit, palamque juravit se de præda hostili in suos usus illud convertisse, præterea nihil.

An.M.3774. Ol. 125. 1. Vrb C.473. Ant.Ch.279.

runt : [1] legatus enim ad Pyrrhum profectus, cum apud eum [2] Cyneam Thessalum narrantem audisset, quendam Atheniensem clarum sapientia, suadere, ne quid aliud homines quam voluptatis causa facere vellent : [a] pro monstro eam vocem accepit, continuoque Pyrrho & Samnitibus istam sapientiam deprecatus est. Licet Athenæ doctrina sua glorientur, vir tamen prudens, Fabricii detestationem, quam Epicuri maluit præcepta : quod eventus quoque indicavit. Nam quæ urbs voluptati plurimum tribuit, imperium maximum amisit : quæ labore delectata est, occupavit : Et illa libertatem tueri non valuit, hæc etiam donare potuit.

An.M. 3887. Ol. 153. 2. Vrb.C. 866. Ant.Ch. 166.

7. Curii & Fabricii [3] Q. Ælium Tuberonem cognomine Catum discipulum fuisse merito quis æstimaverit : cui Consulatum gerenti, cum Ætolorum gens omnis usus vasa argentea, magno pondere, & exquisita arte fabricata per legatos misisset, qui superiori tempore gratulandi causa ad eum profecti retulerant, fictilia se in ejus mensa vasa vidisse ; monitos ne continentiæ quasi paupertati succurrendum putarent, cum suis sarcinis abire jussit. Quam bene Ætolicis domestica prætulerat, si frugalitatis ejus exemplum posterior ætas sequi voluisset ? Nunc quo ventum est ? à servis vix impetrari potest, ne eam supellectilem fastidiant, qua tunc Consul uti non erubuit.

An.M. 3887. Ol. 153. 2. Vrb.C. 586. Ant.Ch. 166.

8. At Perse Rege devicto Paulus cum Macedonicis opibus veterem atque hæreditariam urbis nostræ paupertatem eo usque [4] satiasset, ut illo tempore primum populus Romanus [5] tributi præstandi onere se liberaret ; penates suos nulla ex parte [6] locupletiores fecit : Præclare so-

INTERPRETATIO.

a *Accepit illam vocem, ut incredibilem, & inauditam ; & continuo precatus est, ut Pyrrhus & Samnites haberent istam sapientiam.*

NOTÆ.

1. *Legatus enim ad Pyrrhum.*] Duplex legatio fuit; altera Romanorum ad Pyrrhum, altera Pyrrhi ad Romanos; illa de captivis redimendis, hæc de pace sancienda: prior Cineæ legatio fuit, si Plutarcho credimus; si Livio, Iustino, Eutr. & Zonar. posterior.

2. *Cyneam.*] Virum Pyrrho gratissimum, qui adeo firma memoria fuisse perhibetur, ut postridie quam Romam adventasset, sine ulla nomenclatoris ope, tum Senatui, tum Equestri Ordini nomen cuique suum ediderit.

3. *Q. Ælium Tuberonem.*] Fuit quidem ille ex Æliorum gente, non vero ex Tuberonum familia; nec enim Tubero, sed Catus dictus est: quamvis alii Catulum, alii Catullum appellent.

4. *Satiasset.*] In Pauli Æmilii triumpho delata sunt vasa 750. trium talentorum singula capacia: quare tota auri summa potuit esse decem millionum 310. millium coronatorum. Præterea infinita vis statuarum, tabularum, vasorum, signorum ex auro, argento, ebore, &c.

5. *Tributi præstandi.*] Deinceps enim censum pendere desierunt cives usque ad Hircii & Pansæ Consulatum, ut tradit Plut.

6. *Locupletiores fecit.*] Pecuniam enim illam ne aspicere quidem sustinuit: libros regios filiis literarum studiosis, &

cum actum existimans, quod ex illa victoria alii pecuniam, ipse gloriam occupasset.

9. Atque huic animi ejus judicio [1] Q. Fabius Gurges Cn. Fabii Pictores, Q. Ogulnius subscripserunt: qui legati [2] ad Ptolemæum Regem missi, [3] munera quæ ab eo privatim acceperant, in ærarium, & quidem prius, quam ad Senatum legationem referrent, detulerunt; de publico scilicet ministerio nihil cuiquam, præter laudem bene administrati officii, accedere debere judicantes. Jam illud humanitatis Senatus, & attentæ majorum disciplinæ indicium est: data sunt enim legatis, quæ in ærarium reposuerant, non solum Patrum Conscriptorum decreto, sed etiam populi permissu, eaque legatis Quæstores prompte unicuique distribuerunt. [a] Ita in isdem Ptolemæi liberalitas, legatorum abstinentia, Senatus ac populi Romani æquitas debitam probabilis facti portionem obtinuit.

An.M. 3781. Ol. 126. 4. Vrb.C. 480. Ant.Ch. 272.

10. Fabiorum & Ogulnii continentiæ [4] Calpurnium Pisonem in consimili genere laudis æmulum fuisse res ipsa documento est. Consul gravi fugitivorum bello à se liberata Sicilia, eos, quorum præcipua opera usus fuerat, imperatorio more donis prosequebatur: Inter quos filium suum locis aliquot prœliatum fortissime, titulo trium librarum aureæ coronæ decoravit; præfatus non oportere à Magistratu è publica pecunia erogari, quod in ipsius domum rediturum esset: tantumque ponderis se testamento adolescenti legaturum promisit: ut honorem publice à duce, pretium à patre privatim acciperet.

An.M. 3921. Ol. 161. 4. Vrb.C. 620. Ant.Ch. 132.

11. Age, si quis hoc seculo vir illustris pellibus hædinis pro [5] stragulis utatur, tribusque servis comitatus Hispaniam regat, & quingentorum assium sumptu transmarinam Provinciam petat; eodem cibo eodemque vino, quo nautæ, uti contentus sit, nonne mirabilis existimetur? Atqui

An.M 3859. Ol. 146. 2. Vrb. C. 558. Ant.Ch. 194.

INTERPRETATIO.

a *Ita ob eadem dona & liberalitas Ptolemæi, & abstinentia legatorum, & æquitas, tum Senatus, tum populi Romani obtinuit partem debitam laudis.*

NOTÆ.

phialam quinque pondo Ælio Tuberoni concessit.

1. *Q. Fabius Gurges.*] Legationis ille princeps fuit, vir duplici & Consulatu & triumpho nobilis: C. & Nu. Fabii Pictores ambo fratres, & Ædilitii; Q. vero Ogulnius Quæstorius.

2. *Ad Ptolemæum.*] Philadelphum, qui auditis Romanorum de Pyrrho victoriis, misit Romam legatos, qui suo nomine, & munera deferrent, & amicitiam inirent. Ita Florus, Eutrop. & Zonar.

3. *Munera quæ ab eo.*] In duobus à nobis Iustinus dissentit: quod & legatos ad Ptolemæum Lagi missos velit; id tamen secus est: & munera à Romanis repudiata dicat; receptasque tantum coronas aureas, quas postera die Regis statuis imposuerint.

4. *Calphurnium Pisonem.*] Consule l. 2. c. 7. n. 9. ubi de illo egimus, & de bello fugitivorum.

5. *Stragulis utatur*] Non alienum erit de Catonis majoris abstinentia pauca subjicere. Cum adolescens stipendia faceret, ad restinguendam sitim aquam; si

ista patientissime superior Cato toleravit, quia illum grata frugalitatis consuetudo, in hoc genere vitæ, cum summa dulcedine continebat.

An.M.4008. Ol. 183. 3. Vrb.C. 707. Ant.Ch. 45.

12. Multum à prisca continentia spatio annorum posterior Cato discedit, utpote in civitate jam divite & lautitia gaudente natus. Is tamen cum bellis civilibus interesset, filium secum trahens, duodecim servos habuit, numero plures, quam superior; temporum diversis moribus pauciores.

13. Exultat animus maximorum virorum memoriam percurrens. Scipio Æmilianus post duos inclytos Consulatus, totidemque suæ præcipuæ gloriæ triumphos, septem servis sequentibus [1] officio legationis functus est: Et puto Carthaginis ac Numantiæ spoliis comparare plures potuerat; nisi operum suorum ad se laudem, manubias ad patriam redundare maluisset. Itaque cum per socios & exteras gentes iter faceret, non mancipia ejus, sed victoriæ numerabantur: nec quantum auri & argenti, sed quantum amplitudinis pondus secum ferret, æstimabatur.

An.M.3774. Ol.125. 1. Vrb. C. 473. Ant.Ch.270.

14. Continentia vero etiam in universæ plebis animis sæpenumero cognita est, sed abunde erit, longe inter se distantium seculorum, duo ex his exempla retulisse. [a] Pyrrhus impetus sui terrore soluto, ac jam Epiroticis [2] armis languentibus, benevolentiam populi Rom. mercari, quia virtutem debilitare nequiverat, cupiens; pene totum regiarum opum apparatum [3] in urbem nostram transtulerat. Cæterum cum & magni pretii, & varii generis à legatis ejus, tam virorum quam fœ-

INTERPRETATIO.

a Pyrrhus ubi vidit, & terrorem, quem adventu suo injecerat, evanuisse; & animos Epirotarum ad bellum persequendum languescere, cupiens sibi donis & muneribus conciliare amicitiam Romanorum, quorum virtutem armis frangere non potuerat.

NOTÆ.

nimio æstu premeretur, acetum; si languerent vires, vini paululum adhibebat. Prætor Sardiniam sortitus pedibus obibat oppida, accensus, qui vestem ferret, sequebatur; Consul eodem, quo operæ, vino usus est, nec vestem unquam, quæ pluris esset centum denariis, induit. De illo ita Seneca ad Livium ep.88. *Quantum erat sæculi decus, Imperatorem, triumphalem, Censorium, & quod supra omnia Catonem, uno caballo esse contentum; & nec toto quidem: partem enim sarcinæ ab utroque latere dependentes occupabant.*

1. *Officio legationis.*] Quando, qua de causa, ad quem Scipio Æmilianus legatus missus sit, obscurum est: qui enim id præter Valerium scripserit, legi neminem.

2. *Armis languentibus.*] Fallitur Valerius: victor enim de Lævino Pyrrhus Cyneam Romam misit; id tamen inficiari non est animus ex Epirotis fortissimos quosque cecidisse: quare Pyrrhus de victoria gratulantibus amicis non illepide respondit; *Si denuo ita vicerimus, actum de nobis erit.* Tum Romanorum virtutem admiratus: *O quam facile erat*, inquit, *orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me Rege Romanis.* Ita Florus.

3. *In urbem nostram transtulerat.*] Apud Pyrrhum duo viri plurimum pote-

minarum apta usui munera circa domos ferrentur, [1] nulla cuiquam dono janua patuit: Tarentinæque petulantiæ animosus magis quam efficax defensor, haud scio majore cum gloria hujus urbis moribus, quam armis repulsus sit. In illa quoque procella, quam C. Marius & L. Cinna Reipublicæ inflixerant, abstinentia populi Romani mirifica conspecta est. Nam cum à se [2] proscriptorum penates vulgi manibus diripiendos objecissent; inveniri potuit nemo, qui è civili jactura prædam peteret. Unus enim quisque se ab his perinde ac à sacris ædibus abstinuit. Quæ quidem tam misericors continentia plebis, tacitum crudelium victorum convicium fuit.

An. M. 3967. Ol. 173. 2. Vrb. C. 666. Ant. Ch. 86.

Notæ.

rant, Milo & Cyneas: nec pacem faciendam, nec captivos reddendos censebat Milo; Cyneas vero, & fœdus cum Romanis ineundum, & captivos gratis remittendos. Cyneæ sententiam secutus Pyrrhus illum Romam misit.

1. *Nulla cuiquam dono.*] Quamvis idem Cato, Varro, Florus, Plut. Iustin. aliique fere omnes scripserint; Zonaræ tamen & uni & recentiori ego libentius assenserim, à quo memoriæ proditum est Cyneam potentissimos quosque muneribus Pyrrho sibique conciliasse: fuit quidem laus illa legatorum, non populi tamen totius. Quis enim credat omnes Romæ aut Fabricios fuisse, aut Curios? nec leve argumentum ad hanc opinionem firmandam putari debet; quod auctore Cynea, id enim apud omnes auctores legere est; jam Senatus omnis ad pacem cum Pyrrho faciendam propendebat, nisi Appius, & senex, & cœcus; ideoque munerum contemptor, eam disturbasset.

2. *Proscriptorum penates.*] Qua crudelitate in civium omnium & vitam Marius & Sylla grassati sint, jam pluribus in locis explicuimus.

EXTERNA.

1. Ac ne ejusdem laudis commemorationem externis invideamus: [1] Pericles Atheniensium princeps, cum tragœdiarum scriptorem Sophoclem in Prætura Collegam haberet, atque is publico officio una districtus, prætereuntis ingenui pueri formam impensioribus verbis laudasset: intemperantiam ejus increpans, dixit: Prætori non solum manus à pecuniæ lucro, sed etiam oculos à libidinoso aspectu continentes esse debere.

An. M. 3606. Ol. 83. 1. Vrb. C. 305. Ant. Ch. 447.

2. Sophocles autem ætate jam senior, cum ab eo quidam quæreret, an etiam rebus Venereis uteretur: Dii meliora, inquit. Libenter etiam istinc tanquam ex aliqua furiosa profugi dominatione.

An. M. 3640. Ol. 91. 3. Vrb. C. 339. Ant. Ch. 413.

3. Æque abstinentis senectæ Xenocratem fuisse accepimus: [a] cujus opinionis non parva fides erit narratio, quæ sequitur. Phryne

An. M. 3719. Ol. 111. 2. Vrb. C. 418. Ant. Ch. 334.

Interpretatio.

a *Cujus continentiam sequens narratio abunde probabit.*

Notæ.

1. *Pericles.*] Periclis & Anaxarchi jam meminimus sæpius. Sophocles fuit ille tragœdiarum scriptor celeberrimus: de quo postea.

nobile Athenis scortum juxta eum vino gravem in pervigilio accubuit, pignore cum quibusdam juvenibus posito, an temperantiam ejus corrumpere posset: Quam nec tactu, nec sermone aspernatus, quoad voluerat in sinu suo morari, irritam propositi dimisit. Factum sapientia imbuti animi abstinens; sed meretriculæ quoque dictum perquam facetum: Deridentibus enim se adolescentibus, quia tam formosa, tamque elegans poti senis animum illecebris pellicere non potuisset, pactumque victoriæ pretium flagitantibus: de homine se cum iis, non de statua pignus posuisse, respondit. Poteſtne hæc Xenocratis continentia à quoquam magis vere, magisque proprie demonstrari, quam ab ipsa meretricula expressa est? Phryne pulchritudine sua, nulla ex parte constantissimam ejus abstinentiam labefecit.

An.M. 3719. Ol. 111. 2. Vrb. C. 418. Ant.Ch. 334.

Quid Rex Alexander, an divitiis eum quatere potuit? ab illo quoque statuam & quidem æque frustra tentatam putes. Legatos ad eum cum aliquot [1] talentis miserat, quos in [2] Academiam perductos, solito sibi, id est, modico apparatu, & admodum parvulis copiis excepit. Postero die interrogantibus, cuinam adnumerari pecuniam vellet: Quid vos, inquit, hesterna cœna non intellexistis [3] ea me non indigere? Ita Rex Philosophi amicitiam emere voluit: Philosophus Regi suam vendere noluit.

An. M. 3719. Ol. 111. 2. Vrb. C. 418. Ant.Ch. 334.

4 Alexander vero cognomen invicti assecutus, continentiam [4] Diogenis [5] Cynici vincere non potuit: Ad quem, cum in sole sedentem accessisset, hortareturque ut si qua sibi vellet præstari, indicaret; [a] quemadmodum erat in crepidine collocatus, sordidæ appellationis,

INTERPRETATIO.

a *Sicut erat in summa saxi prærupti altitudine collocatus vir sordidi quidem nominis*, quia Cynicus erat, *sed virtutis præstantissimæ.*

NOTÆ.

1. *Talentis.*] Talentum duplex, Atticum & Euboicum: Atticum duplicis etiam generis, magnum & parvum; magnum 83. libras, ex Livio, continebat, hoc est sex millia nummorum Romanorum, ex Prisciano: parvum libras 60. Euboicum vero Attico minus quatuor millia nummorum Romanorum, ex Festo.

2. *Academiam.*] Locus fuit arboribus consitus distans Athenis passus circiter mille: nomen & ipse accepit, vel ab Academio quodam, ut Eupolidi placet; vel, ut aliis, à Cadmo Liberalium Artium institutore: & dedit discipulis Platonis, qui hoc in loco magna auditorum frequentia floruit.

3. *Ea me non indigere.*] Tristiores tamen cum vidisset legatos, triginta minas accepit, ex Cic. l. 5. Tuscul.

4. *Diogenis.*] Antisthenis discipulus fuit, de quo multa multi narrant omnibus obvia. Interdum habitare consueverat in civitatum porticibus, plerumque in dolio; unde volubile palatium habere se gloriabatur.

5. *Cynici.*] Nominis hujus ratio alia ab aliis affertur: nonnulli repetunt à Cynosarge, id enim nominis fuit Collegio, ubi docuit Antisthenes; multi à canum mordacitate, quod Cynici quoslibet mordaci dente carperent: plerique ex eo, quod more canum turpia quæque

sed robustæ vir præstantiæ: Mox, inquit, de cæteris: interim à sole mihi velim non obstes. [a] Quibus verbis illa nimirum inhæsit sententia: [1] Alexander Diogenem gradu suo divitiis pellere tentat; [b] celerius Darium armis. Idem Syracusis, cum olera ei lavanti [2] Aristippus dixisset; [c] Si Dionysium [3] adulare velles, ita non esses. Imo, inquit, [4] si tu ita esse velles, non adulares Dionysium.

INTERPRETATIO.

a *Quibus in verbis hac sententia continebatur.*

b *Facilius gradu suo Darium armis dejiciet.*

c *Si velles adulari Dionysio, ista vilia olera non comederes: imo inquit, si tu istis oleribus vesci satis haberes, non adulareris Dionysio.*

NOTÆ.

facerent in propatulo.

1. *Alexander.*] Fama est dixisse Alexandrum, velle se esse Diogenem, nisi esset Alexander.

2. *Aristippus.*] Cyrenæus Socratis auditor, qui voluptatem bonorum, dolorem malorum finem constituit.

3. *Adulare Dionysium.*] Vox quidem antiqua *Adulare*; ea tamen probati scriptores usi sunt, Lucretius, Accius & Columella.

4. *Si tu ita esse velles.*] Aristippum Diogenes canem regium appellare solebat, quod Dionysio & Regibus ventris causa adularetur: unde ingeniose, ut omnia, Horatius.

Si pranderet olus patienter, Regibus uti
Nollet Aristippus; si sciret Regibus uti,
Fastidiret olus.

CAP. IV.

DE PAUPERTATE LAUDATA.

1. *P. Valerij Poplicolæ.*
2. *Agrippæ Menenij Lanati.*
3. *C. Fabricij Luscini, & Q. Æmilij Papi.*
4. *Ducum ex agris ad Magistratus accersitorum.*
5. *C. Atilij Reguli Serrani Cos.*
6. *M. Atilii Reguli Procos.*
7. *L. Quintii Cincinnati Dict.*
8. *Æliæ familiæ.*
9. *Q. Ælii Tuberonis, & L. Æmilii Pauli.*
10. *Cn. Cornelii Scipionis.*
11. *M. Æmilii Scauri.*

MAxima ornamenta esse matronis liberos, apud [1] Pomponium Rufum Collectorum libro sic invenimus: Cornelia Gracchorum mater, cum Campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua

NOTÆ.

1. *Pomponium Rufum.*] Quis ille fuerit, quando vixerit; an idem cum C. Pomponio Rufo, qui Consul fuit cum Cn. Pompeio feroci, obscurum est.

illo ſeculo pulcherrima oſtenderet : [a] traxit eam ſermone, quouſque è ſchola redirent liberi : Et hæc, inquit, ornamenta mea ſunt. Omnia nimirum habet, qui nihil concupiſcit : eo quidem certius, quam qui cuncta poſſidet : Quia dominium rerum collabi ſolet, [b] bonæ mentis uſurpatio nullum triſtioris fortunæ recipit incurſum. Itaque quorſum attinet, aut divitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in ultimo miſeriarum ſtatu ponere? [c] cum & illarum frons hilaris multis intus amaritudinibus ſit referta : & hujus horridior aſpectus ſolidis & certis bonis abundet. Quod melius perſonis, quam verbis repræſentabitur.

1. Regio imperio propter nimiam Tarquinii ſuperbiam finito, Conſulatus initium Valerius Poplicola cum Junio Bruto auſpicatus eſt. Idemque poſtea tres Conſulatus acceptiſſimos populo Romano geſſit:
An. M. 3552. Ol. 69. 3. Vrb. C. 251. Ant.Ch.501. [d] & plurimorum ac maximorum operum prætextu, titulum imaginum ſuarum amplificavit : cum interim [1] faſtorum illud columen patrimonio ne ad exequiarum quidem impenſam ſufficiente deceſſit : ideoque [2] publica pecunia ductæ ſunt. Non attinet ulteriore diſputatione tanti viri paupertatem ſcrutari : abunde enim patet, quid vivus poſſederit, cui mortuo lectus funebris & rogus defuit.

2. Quantæ amplitudinis [3] Agrippam Menenium fuiſſe arbitremur, quem Senatus & plebs [4] pacis inter ſe faciendæ auctorem legit? Quan-

INTERPRETATIO.

a Cornelia Gracchorum mater *protracto ſermone illam hoſpitam retinuit, quouſque ipſius filij è ſchola literaria redirent.*

b *Mens virtute firma prædita à ſuo ſtatu dejici non poteſt impetu adverſæ fortunæ.*

c *Cum, & divitiarum quaſi ſpecies exterior læta ſit : intus vero multis curis & doloribus obnoxia ; Aſperior vero paupertatis abundet bonis veris, quæ non poſſunt amitti.*

d *Et rebus plurimis præclare geſtis amplificavit honorificos titulos, qui in imaginibus & ſtatuis familiarum apponi ſolent.*

NOTÆ.

1. *Faſtorum columen.*] Cum in faſtis, & Magiſtratuum omnium, & maxime Conſulum nomina reſque geſtæ ſcriberentur, nomen Valerii primi Conſulis principem locum occupavit.

2. *Publica pecunia*] In Valerii honorem tria præcipue Senatus decrevit: unum, ut funeris exequiæ publicis ſumptibus celebrarentur ; alterum, ut intra urbem ad Veliam ſepulturæ locus præter morem, & ipſi daretur, & illius poſteris: tertium, ut matronæ auro purpuraque depoſitis, illum per annum lugerent integrum. Ita Dionyſ. & Plut.

3. *Agrippam Menenium.*] Lanatum, qui Conſul de Auruncis triumpharat.

4. *Pacis faciendæ.*] Plebs offenſa, quod promiſſis de remiſſione debitorum Senatus non ſtetiſſet, in montem quemdam, qui mons ſacer inde dictus eſt, propter Anienem ſeceſſit : miſſi qui eam placarent T. Largius primus Dictator & Menenius Agrippa ; cujus oratione delinita plebs in urbem quidem rediit ; ſed ea lege, ut Tribunos haberet.

tus

tus scilicet esse debuit arbiter publicæ salutis. Hinc nisi à populo collatis in capita [1] sextantibus [2] funeratus esset, ita pecuniæ inops decessit, ut sepulturæ honore caruisset. [a] Verum idcirco perniciosa seditione dividua civitas, manibus Agrippæ in unum contrahi voluit: quia eas pauperes quidem, sed sanctas animadverterat: Cu us ut superstitis nullum fuit, quod in censum deferretur, ita & extincti, hodieque amplissimum est patrimonium Romana concordia. An.M. 3562. Ol. 72. 1. Vrb.C. 261. Ant.Ch. 491.

3. In C. vero [3] Fabricii, & Q. Æmilii Papi principum seculi sui domibus argentum fuisse fateatur oportet: uterque enim patellam Deorum, & salinum habuit. Sed eo lautior Fabricius, quod patellam suam [4] corneo pediculo sustineri voluit. Papus quoque satis animose, qui cum hæreditatis nomine ea accepisset, religionis causa abalienanda non putavit. An.M. 3776. Ol. 25. 3. Vrb.C. 475. Ant.Ch 277.

4. Illi etiam prædivites, qui ab aratro accersebantur ut Consules fierent, voluptatis causa sterile atque æstuosissimum [5] Pupiniæ solum versabant: deliciarumque ignari, vastissimas glebas plurimo cum sudore dissipabant: [b] Imo vero pericula Reip. Imperatores arcessebant, angustiæ rei familiaris (quid cesso proprium nomen veritati reddere?) bubulcos fieri cogebant.

5. [6] Atilium autem qui ad eum accersendum à Senatu missi erant ad Imperium populi Romani suscipiendum, semina spargentem viderunt: sed illæ rustico opere attritæ manus salutem publicam stabilierunt: ingentes hostium copias pessundederunt. Quæque modo arantium boum jugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt:

INTERPRETATIO.

a *Idcirco civitas perniciosâ seditione divisa voluit in concordiam reduci illius opera, quem pauperem quidem, sed virum integerrimum cognoverat.*

b *Imo vero in Republica periculis accersebantur, ut Imperatores fierent; licet tenuitas rei familiaris illos cogeret bubulcos (quid enim verear rem, sicuti est, proprio nomine appellare) bubulcos, inquam, cogeret fieri.*

NOTÆ.

1. *Sextantibus.*] Sextans est sexta pars assis, seu libræ.

2. *Funeratus esset.*] Populus quidem ad exequias pecuniam dederat; cum vero ex ærario publico sepeliri Senatus jussisset: quod mortuo patri plebs destinarat, vivis liberis elargita est.

3. *Fabricii & Q. Æmilii Papi.*] Ambo summi viri non virtutum modo societate conjuncti, sed etiam dignitatum; simul enim & bis Consules, & semel Censores fuerunt.

4. *Corneo Pediculo.*] Alii *Peduculo* legunt; alii *Pediclo*, *Pendiculo* alii: melius ni fallor *Pediculo* legeris.

5. *Pupiniæ solum.*] Locus fuit maxime sterilis, & aridus non procul ab urbe, Tusculum versus, ex Festo: unde Pupinia tribus.

6. *Atilium.*] M. Atilius Seranus à serendo dictus est, quod ex agro, quem colebat, evocatus ad Rempublicam summos honores gesserit. Illud eleganter describit Plinius l.18. c.3. cujus verba libuit appingere. *Quænam tanta ubertatis causa erat, ipsorum tunc manibus Imperato-*

nec fuit iis rubori [1] eburneo ſcipione depoſito, agreſtem ſtivam aratri repetere. Poteſt pauperes conſolari Atilius, ſed multo magis docere locupletes, quam non ſit neceſſaria ſolidæ laudis cupidini nimis anxia divitiarum comparatio.

An.M.3799. Ol. 131. 2. Vrb.C. 498. Ant.Ch.254.

6. Ejuſdem nominis & ſanguinis [2] Atilius Regulus primi Punici belli gloria, cladeſque maxima: cum in Africa inſolentiſſimæ Carthaginis opes crebris victoriis contunderet, ac prorogatum ſibi ob bene geſtas res in proximum annum imperium cognoſſet; Conſulibus ſcripſit: villicum in agello, quem ſeptem jugerum in Pupinia habebat, mortuum eſſe, [a] occaſionemque nactum mercenarium, amoto inde ruſtico inſtrumento diſceſſiſſe. Ideoque petere, ut ſibi ſucceſſor mitteretur, ne deſerto agro, non eſſet unde uxor ac liberi alerentur. Quæ poſtquam Senatus à Conſulibus accepit, & agrum Atilii illico colendum locari, & alimenta conjugi ejus ac liberis præberi, reſque quas amiſerat, [b] redimi publice juſſit. Tanti ærario noſtro virtutis Atilianæ exemplum, quo omnis ætas Romana gloriabitur, ſtetit.

An.M. 3597. Ol. 80. 4. Vrb. C.296. Ant.Ch.456.

7. Æque magna latifundia L. Quinctii Cincinnati fuerunt: ſeptem enim jugera agri poſſedit: ex hiſque tria, quæ pro amico ad ærarium obſignaverat, mulctæ nomine amiſit. Pœnam quoque [3] pro filio Cæſone, quod ad cauſam dicendam non occurriſſet, hujus agelli reditu ſolvit. Et tamen ei quatuor jugera aranti, non ſolum dignitas patris familiæ conſtitit, [4] ſed etiam dictatura delata eſt. Anguſte ſe habitare nunc putat, cujus domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.

INTERPRETATIO.

[a] *Et ſervum, quem ille mercede conduxerat, nactum hanc occaſionem, abiiſſe ſublatis rebus omnibus neceſſariis ad rus colendum.*

[b] *Iuſſit redimi publica impenſa.*

NOTÆ.

rum colebantur agri; ut fas eſt credere, gaudente terra; vomere laureato, & triumphali aratore. ſive illi eadem cura ſemina tractabant, quo bella; eademque diligentia arva diſponebant, qua caſtra: ſive honeſtis manibus omnia latius proveniunt; quoniam & curioſius fiunt.

1. *Scipione eburneo.*] Sceptrum fuit Conſulare, cujus meminerunt, & Iuvenalis ſat.10. & Prudentius in hymno Romani Martyris. Iuvenalis hæc verba ſunt: *Da nunc & volucrem, ſceptro quæ ſurgit eburno.* E ſummo enim eminebat aquila; quod ab Etruſcis, ut alia dignitatum inſignia, mutuatos eſſe Romanos teſtatur Dionyſius l.3.

2. *Atilius Regulus.*] Cujus victorias & laudem narravimus l.1. c.1. n.14.

3. *Pro filio Cæſone.*] A quo Tribuni plebis, ne legem de creandis Decemviris ferrent, cum eſſent ſæpius prohibiti, pulſique foro: Virginius illi capitis cauſam dicit; & vades, ut ne in carcerem duceretur, dare jubet: at ille deſertis vadibus poſtridie abiit exulatum in Volſcos, ejuſque pater vadimonii deſerti mulctam ſolvere juſſus eſt. Ita Livius l.3. & Dionyſ. 10.

4. *Sed etiam Dictatura.*] Simul ut in urbem Minucium Conſulem à Sabinis & Æquis obſeſſum eſſe nunciatum eſt, continuo Quinctius Dictator dicitur;

8. Quid Ælia familia, quam locuples? sexdecim eodem tempore Ælii fuerunt, quibus una domuncula erat eodem loci, quo nunc sunt [1]Mariana monimenta: & unus in agro Vejente fundus, minus multo cultores desiderans, quam dominos habebat. Inque Maximo Circo & Flaminio spectaculi locus: quæ quidem loca ob virtutem publice donata possidebant. An. M. 3886. Ol. 153. 1. Vrb.C. 585. Ant.Ch. 167.

9. Eadem gens nullum ante [2]scrupulum argenti habuit, quam Paulus Perse Rege devicto, Q. Ælio Tuberoni genero suo quinque pondo argenti ex præda donaret. Taceo enim quod princeps civitatis filiam ei nuptum dedit, [a]cujus penates tam jejunos pecunia videbat: Quin ipse quoque adeo inops decessit, ut nisi fundus, quem unum reliquerat, venisset; [b]uxor ejus [4]dotem unde reciperet, non extitisset. Animi virorum & fœminarum vigebant in civitate: eorumque bonis, dignitatis æstimatio cunctis in rebus ponderabatur: Hæc imperia conciliabant, hæc jungebant affinitates: hæc in foro, hæc in curia, hæc intra privatos parietes plurimum poterant. Patriæ enim rem unusquisque, non suam agere properabat: pauperque in divite, quam dives in paupere Imperio versari malebat. An. M.3886. Ol. 153. 1. Vrb. C. 585. Ant.Ch. 167. An.M. 3894. Ol 155. 1. Vrb. C. 593. Ant.Ch. 159.

10. Itaque cum secundo Punico bello [5]Cn. Scipio ex Hispania Senatui scripsisset, petens ut sibi successor mitteretur, quia filiam virginem adultæ jam ætatis haberet, neque ei sine se dos expediri posset; Senatus ne Respublica bono duce careret, patris sibi partes desumpsit: consilioque uxoris, ac propinquorum Scipionis constituta dote, summam ejus ex ærario erogavit, ac puellam nuptum dedit. Dotis mo- An.M. 3839. Ol. 141. 2. Vrb C. 538. Ant.Ch. 214.

Interpretatio.

a *Cujus domum tam pauperem videbat.*

b *Non superfuisset unde uxor illius dotem reciperet.*

Notæ,

missique ad eum legati. Operi rustico tum ille intentus; ubi eos vidit, salute data invicemque reddita, togam repetere è tugurio, proferreque uxorem Raciliam jubet: qua simul absterso pulvere ac sudore velatus processit. Quæ pluribus Livius prosequitur.

1. *Mariana monimenta.*] De quibus egimus lib. 1. c. 7 De Circo tum Maximo l. 1. c 1. n. 16. tum Flaminio l. 1. c. 7. n. 14. De Æliorum gente jam sæpius.

2. *Scrupulum argenti.*] Scrupulus pondus ex plerisque minimum fuit: tres scrupulos drachma continebat; quatuor denarius; octo drachmas, vel sex denarios uncia; uncias undecim, aut denarios septuaginta duo libra Italica.

3. *Genero suo.*] L. Paulus Æmilius civitatis princeps filiarum alteram Catoni Censoris filio matrimonio junxerat, alteram Q. Tuberoni; cui phialam quinque pondo argenti dedit Æmilius, fortitudinis præmium, ut tradit Plutarchus.

4. *Dotem unde reciperet.*] Idem etiam referunt Florus & Victor; à quibus dissentire videtur Plutarchus, dum affirmat opes Æmilii fuisse 370. millium æris.

5. *Cn. Scipio.*] Qui Scipionis Nasicæ pater, & Africani majoris patruus fuit. Consule l. 1. c. 6. n. 2.

dus undecim millia æris fuit: In quo non solum humanitas Patrum Conscriptorum, sed etiam habitus veterum patrimoniorum cognosci potest. Namque adeo fuerunt arcta, ut Tatia Cæsonis filia maximam dotem ad virum decem millia æris attulisse visa sit: & Megullia, quia cum quinquaginta millibus æris mariti domum intravit, Dotatæ cognomen invenerit. Ideo Senatus Fabricii Luscini, Scipionisque filias ab indotatis nuptiis liberalitate sua vindicavit: quoniam paternæ hæreditati præter opimam gloriam nihil erat quod acceptum referrent.

An.M. 3939. Ol. 166. 2. Vrb.C. 638. Ant.Ch.114.

11. M. autem Scaurus [1] quantulam à patre hæreditatem acceperit, in primo libro eorum, [2] quos de vita sua scripsit, refert: Ait enim sibi decem sola mancipia, totumque censum quinque atque triginta millium nummûm relictum. [a] In hac penuria ille futurus Senatus princeps nutritus est spiritus.

Hæc igitur exempla respicere, his acquiescere solatiis debemus, [b] qui parvulos census nostros nunquam querelis vacuos esse sinimus. Nullum aut admodum parvi ponderis argentum, paucos servos, septem jugera aridæ terræ, indigentia domi, publice impensa funera, inopes dotum filias; sed egregios Consulatus, mirificas dictaturas, innumerabiles triumphos cernimus. Quid ergo modicam fortunam, quasi præcipuum generis humani malum, diuturnis conviciis laceramus? [c] quæ ut non abundantibus, ita fidis uberibus Poplicolas, Æmilios, Fabricios, Curios, Scipiones, Scauros, hisque paria robora virtutis aluit. Exurgamus potius animis, pecuniæque aspectu debilitatos spiritus pristini temporis memoria recreemus: Namque per Romuli casam, perque veteris Capitolii humilia tecta, & æternos Vestæ focos, fictilibus etiamnum vasis contentos juro; nullas divitias talium virorum paupertati posse præferri.

INTERPRETATIO.

a *In hac egestate educatus est Scaurus, qui futurus erat princeps Senatus.*

b *Qui solemus conqueri quod census nostri modici sint.*

c *Quæ summos illos viros virtute præditos aluit suis quasi uberibus, non magnas quidem, sed sufficientes tamen opes præbentibus.*

NOTÆ.

1. *Quantulam à patre, &c.*] Scauri pater Carbonariam, si Pediano credimus, exercuit; quamvis Patricius; ipseque tandem eloquentiæ præsidio emersit.

2. *Quos de vita sua.*] De his libris ita Cicero in Bruto. *Hujus & orationes sunt, & tres ad L. Fusidium libri scripti de vita ipsius, sane utiles, quos nemo legit: at Cyri vitam & disciplinam legunt, præclaram illam quidem; sed neque tam rebus nostris aptam, nec tamen Scauri laudibus anteponendam.*

CAP. V.
DE VERECUNDIA.

AQua tempestivus ad verecundiam transitus videtur. Hæc enim justissimis viris præcepit, ut privatas facultates negligerent, publicas quam amplissimas esse cuperent. Digna cui perinde atque cœlesti Numini extruantur templa, aræque consecrentur: quia parens est omnis honesti consilii, tutela solennium officiorum, magistra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore favorabilem præ se ferens vultum.

1. Sed ut à laudibus ad facta veniamus, à condita Urbe [1] usque ad Africanum, & Ti. Longum Consules promiscuus Senatui & populo spectandorum ludorum locus erat: nunquam tamen quisquam ex plebe ante Patres Conscriptos in theatro spectare sustinuit: Adeo circumspecta nostræ civitatis verecundia fuit. [a] Quæ quidem certissimum sui documentum etiam illo die exhibuit, quo [2] L. Flaminius extrema in parte theatri constitit, quia à M. Catone & L. Flacco Censoribus Senatu motus fuerat, Consulatus jam honore defunctus, frater etiam Ti. Flaminii, Macedoniæ Philippique victoris: Omnes enim eum transire in locum dignitati suæ debitum coëgerunt.

An.M. 3860. Ol. 146. 3. Vrb. C. 559. Ant.Ch. 193.

An.M. 3873. Ol. 149. 4. Vrb. C. 572. Ant.Ch 182.

2. [b] Confregit Rempublicam Terentius Varro Cannensis pugnæ temerario ingressu: idem delatam sibi ab universo Senatu & populo [3] Dictaturam recipere non sustinendo, [c] pudore culpam maximæ cladis re-

An.M. 3841. Ol. 14[illegible]. 4. Ant.C. 5[illegible]0. Ant.Ch. 211.

INTERPRETATIO.

a *Dedit publicum etiam illo die documentum suæ verecundiæ.*

b *Fregit opes Reipublicæ pugna apud Cannas temere commissa.*

c *Verecundia sua redemit culpam à se admissam clade Cannensi.*

NOTÆ.

1. *Vsque ad Africanum.*] Dum Ædiles Curules C. Attilius Serranus & L. Scribonius Libo Megalesia ludos scenicos pararent, Censoribus auctor fuit Scipio, ut à populari consessu subsellia Senatorum separarent, uti narrant Cicer. Liv. & Pedianus.

2. *Flaminius.*] Vide l. 1. c. 9. n. 3. ubi illius damnationem fuse explicuimus.

3. *Dictaturam recipere.*] Post cladem Cannensem Varro aluit barbam, capillumque quam par esset longiorem, cibum recubans nunquam sumpsit, oblatos-

demit. Effecitque ut clades Deorum iræ, modestia ipsius moribus imputaretur. Itaque titulo imaginis ejus speciosius non recepta dictatura, quam aliorum gesta adscribi potest.

3. Nos autem ad præclarius verecundiæ opus transgrediamur. [a] Magna cum invidia fortuna Prætoriis comitiis Africani superioris filium P. Scipionem, & Scribam Cicereium in campum deduxerat; utque nimis impotens sermone vulgi carpebatur, quod tanti viri sanguinem, clientelamque comitiali certamine confuderat. Cæterum crimen ejus in suam laudem Cicereius convertit. Nam ut vidit omnibus se centuriis Scipioni anteferri, templo descendit, abjectaque candida toga competitoris sui suffragatorem agere cœpit; ut scilicet Præturam melius Africani memoriæ concederet, quam sibi vindicaret. Nec minimum est verecundiæ pretium: Scipio tunc honorem adeptus est, Cicereio tamen magis gratulati sunt.

An. M. 3959. Ol. 171. 2. Vrb. C. 658. Ant. Ch. 94.

4. Ac ne protinus comitiis abeamus, Consulatum petens [1] L. Crassus, cum omnium Candidatorum more circum forum supplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit ut id præsente Q. Scævola gravissimo & sapientissimo viro socero suo faceret. Itaque rogabat eum ut à se, dum ineptæ rei deserviret, discederet: [b] majorem verecundiam dignitati ejus quam candidæ togæ suæ respectum agens.

An. M. 4006. Ol. 183. 2. Vrb. C. 705. Ant. Ch. 47.

5. Pompeius autem Magnus Pharsalica acie victus à Cæsare, cum postero die [2] Larissam [3] intraret, oppidique illius universus populus obviam ei processit: Ite, inquit, & istud officium præstate victori. Dicerem, non dignus qui vinceretur, nisi à Cæsare superatus esset: certe modestus in calamitate. Nam quia dignitate sua uti jam non poterat, usus est verecundia.

6. Quam præcipuam in C. quoque Cæsare fuisse, & sæpenumero apparuit, & ultimus ejus dies significavit. Compluribus enim parrici-

INTERPRETATIO.

a *Et fortuna à populo carpebatur, ut nimis insolens, quod filium summi viri Africani cum Cicereio illius cliente in comitiis commisisset.*

b *Sic plus venerationis auctoritati Scævolæ, quam dignitati* quam veste candida indutus petebat, *exhibuisse visus est.*

NOTÆ.

que honores repudiavit De Cicereio lib. 3. cap. 5. n. 1.

1. *L. Crassus.*] Orator, qui cum Q. Scævola Ædilis, Prætor & Consul fuit. De Scævola sæpe antea.

2. *Larissam.*] Gemina fuit in Thessalia; altera mediterranea ad Peneum fluvium, de qua hic agitur, *Larsa*; altera maritima, *Armiro*, quæ nunc sub Turcarum imperio, amplissima civitas.

3. *Intraret.*] Pompeium aut à Larissæ civibus benigne exceptum, aut oppidum intrasse negat Dio: id Mitylene contigisse tradit Plutarchus. Fugam Pompeij descripsimus lib. 1. c. 5. n. 6.

darum violatus mucronibus, inter ipsum illud tempus, [a] quo divinus spiritus mortali discernebatur à corpore, ne tribus quidem & viginti vulneribus, quin verecundiæ obsequeretur, absterreri potuit: Siquidem [b] utraque togam manu demisit, ut inferiori parte corporis tecta collaberetur. In hunc modum non homines expirant, [b] sed Dii immortales sedes repetunt.

INTERPRETATIO.

a *Quo divinus illius animus à corpore separatus mortalitatem exuebat.*

b *Sed dii immortales repetunt sedes cœ*lestes.

NOTÆ.

1. *Vtraque manu togam demisit.*] Sic etiam Suetonius. *Simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet etiam inferiore parte corporis velata.*

EXTERNA.

1. Quod sequitur, externis adnectam, quia ante gestum est quam Etruriæ civitas daretur. Excellentis in ea regione pulchritudinis adolescens nomine Spurina; cum mira specie complurium fœminarum illustrium sollicitaret oculos, ideoque viris ac parentibus earum se suspectum esse sentiret; oris decorem vulneribus confudit, [a] deformitatemque sanctitatis suæ fidem, quam formam irritamentum alienæ libidinis esse maluit.

2. Athenis quidam ultimæ senectutis, cum spectatum ludos in theatrum venisset, eumque nemo è civibus sessum reciperet; ad Lacedæmoniorum legatos forte pervenit. Qui hominis ætate moti, canos ejus & annos assurgendi officio venerati sunt, sedemque ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt. Quod ubi fieri populus aspexit, maximo plausu alienæ urbis verecundiam comprobavit. Ferunt tunc unum è Lacedæmoniis dixisse: Ergo Athenienses quid sit rectum sciunt, sed id facere negligunt.

INTERPRETATIO.

a *Et maluit vultus deformitate testari integram suam castitatem, quam pulchritudine aliorum libidinem excitare.*

CAP. VI.

DE AMORE CONJUGALI.

CUIUS EXEMPLA ROMANORUM SUNT.

1. *Ti. Gracchus major.*
2. *C. Plautius Numida.*
3. *M. Plautius.*
4. *Iulia C. F. Cn. Magni.*
5. *Porcia, M. F. M. Bruti.*

EXTERNA.

1. *Artemisia Mausoli Regis.*
2. *Hipsicratea Mithridatis Regis.*
3. *Lacanæ Minyarum.*

A Placido & leni affectu, ad æque honestum, verum aliquanto ardentiorem & concitatiorem pergam: legitimique amoris quasi quasdam imagines, non sine maxima veneratione contemplandas lectoris oculis subjiciam; [a] valenter inter conjuges stabilitæ fidei opera percurrens, ardua imitatu, cæterum cognosci utilia. Quia excellentissima animadvertenti, ne mediocria quidem præstare, rubori oportet esse.

An.M. 3882. Ol. 152. 1. Vrb. C. 581. Ant.Ch, 171.

1. Ti. Gracchus anguibus domi suæ mare ac fœmina apprehensis, certior factus ab aruspice, [1] mare dimisso, uxori ejus; fœmina, ipsi celerem obitum instare: salutarem conjugi potius, quam sibi partem augurii secutus, marem necari, fœminam dimitti jussit: [b] sustinuitque in conspectu suo seipsum interitu serpentis occidi. Itaque [2] Corneliam nescio utrum feliciorem dixerim, quod talem virum habuerit, an miseriorem, quod amiserit. O te Thessaliæ Rex [3] Admete crudelis, & diri facti crimine sub magno judice damnatum! qui conjugis tuæ fata pro tuis permutari passus es, eaq; ne tu extinguereris, voluntario obitu consumpta,

INTERPRETATIO.

a *Narrans breviter exempla fidelitatis firmiter inter conjuges stabilitæ, quæ quidem sunt difficilia ad imitandum; utilia vero, si cognoscantur: quia, qui considerat præstantissima, erubescere debet, si ne mediocria quidem præstat.*

b *Voluitque in suo conspectu occidi serpentem, ex cujus morte mors ipsius sequi debebat.*

NOTÆ.

1. *Mare dimisso.*] Vetabant aruspices utrumque vel interfici, vel dimitti.

2. *Corneliam.*] Africani majoris filiam, & Ti. & C. Gracchorum matrem, quæ spretis Ptolemæi Regis nuptiis vidua permansit.

3. *Admete crudelis.*] Gravi morbo implicitus Admetes, Apollinem de salute consulit: respondet oraculum, eum vivere posse, si quis ipsius loco mori velit; unaque uxor Alceste reperta est, quæ id officii Regi præstaret. De qua Seneca in Medea; & Ovidius libro 3. de Ponto.

lucem

lucem intueri potuisti. [a] Et certe prius parentum indulgentiam tentaveras, fœmineo animo impar inventus.

2. [b] Vilior Graccho iniquæ fortunæ victima, quamvis Senatorii vir Ordinis [1] C. Plautius Numida, sed in consimili amore, par exemplum. Morte enim uxoris audita, doloris impotens pectus suum gladio percussit. Interventu deinde domesticorum inceptum exequi prohibitus, colligatusque; ut primum occasio data est, scissis fasciis, & vulnere divulso, [c] constanti dextera spiritum luctus acerbitate permistum, ex ipsis præcordiis & visceribus hausit. Tam violenta morte testatus, quantum martialis flammæ illo pectore clausum habuisset.

3. Ejusdem ut nominis, ita amoris quoque [2] M. Plautius. Nam cum imperio Senatus classem sociorum sexaginta navium in Asiam reduceret, Tarentumque appulisset, atque ibi uxor ejus Orestilla, quæ illuc eum prosecuta fuerat, morbo pressa decessisset; funerata ea, atque in rogum imposita, inter officium ungendi & osculandi, stricto ferro incubuit. Quem amici, sicut erat, togatum & calceatum corpori conjugis junxerunt: ac deinde subjectis facibus, utrumque una cremaverunt. Quorum ibi factum sepulcrum Tarenti etiamnum conspicitur, [d] quod vocatur ΤΩΝ ΦΙΛΟΥΝΤΩΝ. Nec dubito, quin, si quis modo extinctis sensus inest, [e] Plautius & Orestilla fati consortione gestientes vultus tenebris intulerint: Sane ubi idem & maximus & honestissimus amor est, aliquanto præstat morte jungi, quam vita distrahi.

4. Consimilis affectus [3] Juliæ C. Cæsaris filiæ annotatus est. Quæ cum Ædilitiis comitiis Pompeii Magni conjugis sui vestem [4] cruore

An.M.4000. Ol. 191. 3. Vrb.C. 699. Ant.Ch. 53.

INTERPRETATIO.

a *Et certe tu cum esses animo imbecillior, quam uxor tua, prius petieras à parentibus, num pro te mori vellent.*

b *C. Plautius quamvis Senator, fuit vilior Graccho victima, quam adversa fortuna ad mortem impulit.*

c *Ex imis visceribus constanti manu vi extraxit animum acerbo dolore oppressum.*

d *Quod vocatur* Amantium.

e *Plautius & Orestilla averni tenebras ingressi sunt vultu hilari ob mortis utriusque conjunctionem.*

NOTÆ.

1. *C. Plautius Numida.*] Plebeia quidem, at nobilis Plautiorum gens, in multas divisa familias; quorum præcipuæ fuerunt, Proculi, Hypsæi, Sylvani, Numidæ, & Laterani.

2. *M. Plautius.*] Hypsæus, ille ipse, ni fallor, qui Consul anno urbis 628. Orestilla vero filia fuit L. Aurelii Orestæ, qui anno proximo ante Plautium Consul fuerat.

3. *Iulia.*] Postquam Pompeium & Crassum in gratiam Cæsar reduxit, Pompeio, quo magis illum sibi conciliaret, Iuliam filiam in matrimonium dedit.

4. *Cruore respersam.*] In comitiis Pompeius erat; propter ipsum, jurgium oritur, fit cædes, sanguine respergitur; ponit vestem cruentam, domumque per servos remittit. Vt eam videt Iulia, deficit, abortumque patitur: recreata tamen convaluit; & aliquanto post, iterum præ-

resperſam è campo domum relatam vidiſſet : territa metu ne qua ei vis eſſet allata, exanimis concidit ; partumque, quem utero conceptum habebat, ſubita animi conſternatione & gravi dolore corporis ejicere coacta eſt. Atque ita expiravit, magno quidem cum totius terrarum orbis detrimento : cujus tranquillitas tot civilium bellorum truculentiſſimo furore perturbata non eſſet, ſi Cæſaris & Pompeij concordia communis ſanguinis vinculo conſtricta manſiſſet.

An.M. 4012. Ol. 184. 3. Vrb.C. 711. Ant.Ch. 41.

5. Tuos quoque caſtiſſimos ignes Portia M. Catonis filia, cuncta ſecula debita admiratione proſequentur : Quæ cum apud Philippos victum & interemptum virum tuum Brutum cognoſceres, quia ferrum non dabatur, [1] ardentes ore carbones haurire non dubitaſti, muliebri ſpiritu virilem patris exitum imitata. Sed neſcio an hoc fortius, quod ille uſitato, tu novo genere mortis abſumpta es.

NOTÆ.

gnans cum eſſet, filiam enixa ex puerperii doloribus expiravit. Quapropter quod ait Valerius, illam tum obiiſſe, id ſecus eſt.

1. *Ardentes ore carbones.*] Idem refert Plutarchus ex Nicolao Philoſopho & ipſo Valerio. Illud tamen verumne ſit, an minus, cum dubitent multi, fides ſit penes auctores. De morte Bruti lege l. 1. c. 4. n. 6.

EXTERNA.

An.M. 3675. Ol. 100. 2. Vrb.C. 374. Ant.Ch. 378.

1. Sunt & alienigeni amores juſti, obſcuritate ignorantiæ non obruti : è quibus paucos attigiſſe ſatis erit. Gentis Cariæ Regina [1] Artemiſia virum ſuum Mauſolum fato abſumptum [a] quantopere deſiderarit, leve eſt, poſt conquiſitorum omnis generis honorum, [2] monimentique uſque ad [3] ſeptem miracula provecti, magnificentiam, argumentari. Quid enim aut eos colligas, aut de illo inclyto tumulo loquare, cum ipſa Mauſoli vivum ac ſpirans ſepulcrum fieri concupierit, eorum

INTERPRETATIO.

a *Quantopere virum dilexerit facile eſt conſpicere, & ex honoribus exquiſitiſſimis, quos ipſi deferri voluit, & ex ſepulcro illi extructo tam magnifice, ut inter ſeptem mundi miracula numeraretur.*

NOTÆ.

1. *Artemiſia.*] Seu Ligdami Halicarnaſſei, ut placet Herodoto ; ſeu, ut Straboni, Hecatomni Cariæ Regis filia fuerit : Mauſolo certe quidem nupſit ; fratri, an ſecus, incertum. Xerxis contra Græcos auxilio veniſſe dicitur.

2. *Monimenti.*] Cujus altitudo fuit 35. cubitorum, circuitus 411. pedum, circum 36. columnæ. Ita Plinius l. 36.

3. *Septem miracula.*] Quæ appellaſſe hic, opinor, ſatis erit. Vnum igitur fuit Templum Dianæ Epheſię ; alterum hoc Mauſoli ſepulcrum ; tertium Coloſſus Rhodius ; quartum Iovis Olympii ſimulacrum ex ebore ; quintũ Pyramides in Ægypto ; ſextum Muri Babylonis ; ſeptimum, vel horti penſiles Semiramidis, vel Cyri palatium, quod Menon arte prodiga, illigatis auro lapidibus, extruxit.

testimonio, qui illam extincti ossa potione aspersa [1]bibisse tradunt.

Hipsicratea quoque Regina Mithridatem [2] conjugem suum effusis charitatis habenis amavit; [a] propter quem, præcipuum formæ suæ decorem in habitum virilem convertere voluptatis loco habuit: Tonsis enim capillis equo se & armis assuefecit, quo facilius laboribus & periculis interesset. Quin etiam victum à Cn. Pompeio per efferatas gentes fugientem, animo pariter & corpore infatigabili secuta est: Cujus tanta fides asperarum atque difficilium rerum Mithridati maximum solatium, & jucundissimum lenimentum fuit: cum domo enim & penatibus vagari se credidit, uxore simul exulante.

An. M. 3979. Ol. 176. 2. Vrb. C. 678. Ant. Ch. 74.

An. M. 3988. Ol. 17[c]. 3. Vrb. C. 687. Ant. Ch. 65.

2. Verum quid Asiam, quid Barbariæ immensas solitudines, quid latebras Pontici sinus scrutor? cum splendidissimum totius Græciæ decus Lacedæmon, [b] præcipuum [3] uxoriæ fidei specimen nostris ostentet oculis, plurimis & maximis patriæ suæ laudibus admiratione facti comparandum.

3. [c] [4] Minyæ, quorum origo ex inclyto sociorum Iasonis numero [5] Lemniorum in insula concepta, per aliquot seculorum vices stabili in sede manserat, à Pelasgis expulsi armis, alienæ opis indigi, excelsa [6] Taygetorum montium juga supplices occupaverant. Quos Spartana civitas recepit respectu Tyndaridarum. Namque in illo nobilis famæ navigio destinatum syderibus par fratrum fulserat: deductosque inde, legibus, commodisque suis immiscuit. Sed hoc tantum beneficium in

INTERPRETATIO.

a *Amore ardentissimo dilexit: cum propter illum omnia muliebria reliquerit ornamenta, quæ ipsius pulchritudinem decorabant, ut habitum virilem sumeret.*

b Non solum *maximum fidelitatis uxoriæ exemplum nobis ostentet*; sed etiam *ob facti præstantiam conferendum cum rebus præclaris in ipsius patria gestis.*

c *Minyæ, qui trahunt originem ab inclytis socius Iasonis, & in insula Lemno hospitio excepti per aliquot sæcula ibi sede stabili manserant; inde à Pelasgis expulsos armis illos Lacedæmonii receperunt ob honorem*, quo *Castorem & Pollucem* prosequebantur. *Nam duo illi fratres inter astra aliquanto post collocandi, fuerant etiam* in Argo *navi illa omnium scriptis celebratissima; & ex illis montibus evocatos admiserunt in omnia sua civitatis jura & commoda.*

NOTÆ.

1. *Bibisse.*] Ita memoriæ prodidit Theopompus. Quoad vixit, inquit Cicero, semper vixit in luctu, eodemque etiam confecta contabuit. Tusc. l. 3.

2. *Conjugem.*] Concubinam facit Plutarchus; uxor enim illius Stratonice castellum refertum divitiis Pompeio prodidit. De Mithridatis fuga egimus supra.

3. *Vxoriæ fidei.*] Chelonim Cleombroti Regis uxorem, & Leonidæ filiam indicare videtur: quæ & maritum & patrem in exilium, alterum ab altero diversis temporibus ejectum, utriusque in luctu comes assidua secuta est, ut scribit Plut. in Agide.

4. *Myniæ.*] Thessaliæ populi, aut potius Magnesiæ in Thessalia, Iasonis olim comites.

5. *Lemniorum in insula.*] Maris Ægei, fabuloso Vulcani lapsu nobilitata. *Stalimene.*

6. *Taygetorum montium.*] Mon-

injuriam bene meritæ urbis, regnum affectantes, verterunt. Igitur publicæ custodiæ inclusi, capitali servabantur supplicio: Quod cum vetere instituto Lacedæmoniorum nocturno tempore passuri essent, conjuges eorum illustris ibi sanguinis, velut allocuturę perituros viros, impetrato à custodibus aditu, carcerem intraverunt; commutataque veste per simulationem doloris, velatis capitibus eos abire passæ sunt. Hoc loco quid aliud adjecerim, quam dignas fuisse, quibus Minyæ nuberent.

NOTÆ.

tes sunt Laconiæ inter Lacedæmona & mare positi. *Portes.*

CAP. VII.
DE AMICITIÆ VINCULO.

QUO JUNCTI ROMANI.

1. *Ti. Sempronius Gracchus cum C. Blosio.*
2. *Sempron. Gracchus cum Pomponio & Latorio.*
3. *L. Rheginus cum Q. Servilio Cæpione.*
4. *T. Volumius cum M. Lucullo.*
5. *L. Petronius cum P. Cælio.*
6. *Ser. Terentius cum D. Bruto.*
7. *C. Lælius cum Scipione, & M. Agrippa cum Augusto.*

EXTERNI.

1. *Damon cum Pythia.*
2. *Alexander Magnus cum Ephestione.*

Contemplemur nunc amicitiæ vinculum potens, & prævalidum, neque ulla ex parte sanguinis viribus inferius. [a] Hoc etiam certius & exploratius, quod illud nascendi sors fortuitum opus; hoc uniuscujusque solido judicio inchoata voluntas contrahit. Itaque celerius est sine reprehensione propinquum avertere, quam amicum: quia altera diremptio iniquitatis, altera utique levitatis crimini subjecta est. Cum enim deserta sit futura vita hominis nullius amicitiæ cincta præsidio, tam necessarium subsidium temere assumi non debet: semel autem recte apprehensum sperni non convenit. Sinceræ vero fidei amici præcipue in adversis rebus cognoscuntur: in quibus quicquid præstatur, totum à constanti benevolentia proficiscitur. [b] Felicitatis cultus, majore ex par-

INTERPRETATIO.

a *Vinculum amicitiæ sanguinis vinculo hoc præstat, quod cum cognationem nascendo contrahamus, opus fortunæ esse videatur; amicitiam vero unusquisque & voluntate libera, & sano judicio ineat. Quare non tanta reprehensione dignus si propinquum, quam si amicum à te repuleris*

b *Qui fortunatum amicum colit, ille magis adulari, quam sincero amore diligere videtur.*

te adulationi, quam charitati erogatus, certe suspectus est: perinde ac si plus semper petat, quam impendat. [a] Accedit huc, quod infractæ fortunæ homines, magis amicorum studia desiderant, vel præsidij, vel solatii gratia Nam læta quidem & prospera negotia, utpote cum divina suffragatione foveantur, humana minus indigent. Tenacius igitur eorum nomina posteritatis memoria apprehendit, qui adversos amicorum casus non deseruerunt; quam qui prosperum vitæ cursum comitati sunt. Nemo de [1] Sardanapali familiaribus loquitur. [2] Orestes Pylade pene amico, quam Agamemnone patre notior est. Siquidem illorum amicitia in consortione deliciarum & luxuriæ contabuit: horum, duræ atque asperæ conditionis solatium, ipsarum miseriarum experimento enituit. Sed quid externa attingo, cum domesticis prius liceat uti. An.M.1894. Ant.Ch.11,9.

1. Inimicus patriæ fuisse Ti. Gracchus existimatus est, nec immerito, quia potentiam suam saluti ejus prætulerat. Quam constantis tamen fidei amicum etiam in hoc tam pravo proposito [3] C. Blosium Cumanum habuerit, operæ pretium est cognoscere. Hostis judicatus, ultimo supplicio affectus, sepulturæ honore spoliatus, benevolentia tamen ejus non caruit. Nam cum Senatus Rupilio, & Lænati Consulibus mandasset, ut in eos qui cum Graccho consenserant, more majo- An. M. 3912. Ol. 162. 1. Vrb.C. 611. Ant.Ch.131.

Interpretatio.

a *Præterea homines, qui adversa fortuna utuntur.*

Notæ.

1. *Sardanapali*] Assyriorum ultimus Imperator fuit, homo muliere corruptior, inquit Iustinus. Illum purpuram in puellarum choro nentem conspicatus Arbaces, populis persuadet ut muliebre excutiant imperium; & ipse coactis copiis Regem jam luxurie victum sua prælio superat: qui desperatis rebus se in regiam includit, & coacervatis in lignorum struem thesauris omnibus, sese super injiciens, vivus deflagravit, hoc uno, ut ait Iustinus, imitatus virum.

2. *Orestes.*] Agamemnonis & Clytemnestræ filius, ingens Poëtis fingendi argumentum: illius enim, seu vita, seu fabula potius, variis est quasi distincta actibus; qui habent expectationem, lætitiam, molestiam, odium, amorem: quid enim ad illos animi motus excitandos aptius excogitari potuit, quam illius etiam tum pueri ex materno crimine fuga; deinde apud Strophium Phocensem educatio; tum in patris vindictam admissum in matrem scelus; post pœna sceleris furor, furorisque remedium ad aram Dianæ Tauricæ peregrinatio: ibique & agnitio Iphigeniæ sororis, & initum de rapiendo Palladio consilium? Quid denique jucundius, quam plena illa amoris, uter moreretur, coram Thoante contentio; dum alter ab altero & crimen & criminis pœnam depellere, in seque transferre nititur; cum ignorante Rege uter esset Orestes, Pylades se Orestem esse diceret, ut pro illo necaretur: Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret?

3. *C. Blosium Cumanum.*] C. Blosius Campanus dicitur à Cicerone: sed & Campanus à regione, & Cumanus ab urbe appellari potuit. Cuma enim civitas Campaniæ fuit juxta Baias. De Ropilio & Rupilio antea egimus; de Lælio paulo infra: de Ti. Gracchi cæde vide l.1.c.4.n.1.

rum animadverterent; & ad Lælium, cujus consilio præcipue Consules utebantur, pro se Blosius deprecatum venisset, familiaritatisque excusatione uteretur, atque is dixisset, Quid si te Gracchus templo Jovis Opt. Max faces subdere jussisset; obsecuturusne voluntati illius, propter istam quam jactas familiaritatem fuisses? Nunquam istud, inquit, Gracchus imperasset. Satis, imo etiam nimium: totius namque Senatus consensu damnatos mores defendere ausus est. Verum quod sequitur, multo audacius, multoque periculosius: compressus enim perseveranti interrogatione Lælii, in eodem constantiæ gradu stetit: seque etiam hoc, si modo Gracchus annuisset, facturum respondit. Quis illum sceleratum putasset fuisse, si tacuisset? Quis non etiam sapientem, si pro necessitate temporis locutus esset. At Blosius nec silentio honesto, nec prudenti sermone salutem suam, ne qua ex parte infelicis amicitiæ memoriam desereret, [1] tueri voluit.

An.M. 3933. Ol. 164. 4. Vrb. C. 632. Ant. Ch. 120.

2. In eadem domo æque robusta constantis amicitiæ exempla oboriuntur. Prostratis enim jam & [2] perditis C Gracchi consiliis, rebusque, cum tota ejus conspiratio late quæreretur, desertum omni auxilio, duo tantum amici, [3] Pomponius & Lætorius, ab infestis & undique ruentibus telis, oppositu corporum suorum texerunt: Quorum Pomponius, quo is facilius evaderet, concitatum sequentium agmen in porta [4] Trigemina aliquandiu acerrima pugna inhibuit: nec vivus pelli potuit, sed multis confectus vulneribus, transitum eis super cadaver suum (credo etiam post fata invitus) dedit. Lætorius autem in ponte Sublicio constitit, [a] & eum, donec Gracchus transiret, ardore spiritus sui sepsit: ac vi jam multitudinis obrutus, converso in se gladio, celeri saltu profundum Tiberis petiit: [b] quamque in eo ponte charitatem toti patriæ Horatius Cocles exhibuerat, unius amicitiæ adjecta voluntaria morte, præstitit. Quam bonos Gracchi, si aut patris, aut

INTERPRETATIO.

a Et forti ardentique animo hostes ab eo ponte prohibuit, donec Gracchus transiret.

b Quantum amorem toti patriæ Horatius Cocles in eo ponte ostenderat, tantum ipse uni amico Graccho exhibuit, in eo etiam majorem, quod ille mortem voluntariam sibi consciverit.

NOTÆ.

1. *Tueri voluit.*] Blosius ad Regem Aristonicum fugit, cujus rebus profligatis, mortem sibi ipse conscivit.

2. *Perditis C. Gracchi.*] Vbi ab Opimio Consule Consularis Fabius cum filio occisus est, ut diximus l. 1. c. 7. n. 6. in Ædem Dianæ Caius se recipit; cumque manus sibi inferre conaretur, ab amicis, ne id faceret, prohibitus, & ad fugam compulsus: cumque fugientem armis texerunt.

3. *Pomponius & Lætorius.*] Plutarchus non Lætorium, sed Licinium vocat; Velleius vero solius Pomponii Equitis Romani meminit.

4. *Trigemina.*] Qua tergemini fratres Horatii exierunt contra Curiatios de summa Imperii pugnaturi.

[1] materni avi sectam vitæ ingredi voluissent, habere milites potuerant! Quo enim impetu, qua perseverantia animi Blosius & Pomponius, & Lætorius trophæa ac triumphos eorum adjuvissent, furiosi conatus tam strenui comites! sinistris quidem auspiciis amicitiæ conditionem secuti: sed quo miseriora, hoc certiora fideliter cultæ nobilitatis exempla.

3. L. autem Rheginus, si ad debitam publico ministerio sinceritatem exigatur, posteritatis convicio lacerandus: [a] si amicitiæ fido pignore æstimetur, in optimo laudabilis conscientiæ portu relinquendus est. Tribunus enim plebis [2] Cæpionem in carcerem conjectum, [3] quod illius culpa exercitus noster à Cimbris & Teutonis videbatur deletus, veteris arctæque amicitiæ memor publica [4] custodia liberavit: nec eatenus amicum egisse contentus, etiam fugæ ejus comes accessit. Prô, magnum & inexuperabile tuum numen, Amicitia! cum ex altera parte Respublica manum injiceret, ex altera tua illum dextera traheret: [b] & illa ut sacrosanctus esse vellet, exigeret, tu exilium indiceres. Adeo blando uteris imperio, quod is supplicium honori prætulerit.

An.M. 3949. Ol. 168. 4. Vrb C. 648. Ant.Ch. 104.

4. Admirabile hoc opus tuum; sed quod sequitur, aliquanto laudabilius. Recognosce enim quousque T. Volumnii constantem erga amicum suum charitatem sine ulla Reipublicæ injuria evexeris? qui ortus equestri loco, cum [5] M. Lucullum familiariter coluisset, eumque M. Antonius, quia Bruti & Cassii partes secutus fuerat, interemisset: in magna fugiendi licentia, exanimi amico adhæsit; hucusque in lacrymas & gemitus profusus, ut nimia pietate causam sibi mortis accerseret. Namque propter præcipuam & perseverantem lamentationem ad Anto-

An.M. 4012. Ol. 184. 3. Vrb.C. 711. Ant.Ch. 41.

INTERPRETATIO.

a *Si examinetur secundum leges amicitiæ, non vituperandus, imo laudandus quodammodo videtur.*

b *Et Respublica exigeret, ut ille Rheginus cum Tribunus esset, nulla pœna posset affici, tu in exilium illum ejiceres.*

NOTÆ.

1. *Materni avi.*] Scipionis Africani majoris.

2. *Cæpionem.*] Q. Servilium Cæpionem, qui Prætor Lusitanos vicerat: Consul cum Tectosagis bellum gessit, & centum millia pondo auri & argenti Tholosæ abstulit è templo Apollinis: tum Proconsul Galliam obtinebat, cum à Cimbris victus est: de cujus clade commodior erit postea agendi locus.

3. *Quod illius culpa.*] Aliam alii damnationis causam afferunt: nonnulli ob legem frumentariam ab eo Quæstore per vim repudiatam; Strabo ob raptum per summum nefas aurum Tolosanum; plerique ob acceptam à Cimbris cladem damnatum volunt: ut ut est, abrogatum illi imperium fuit; ejus bona publicata, ipseque conjectus in carcerem.

4. *Custodia liberavit.*] Non sibi constat Valerius: cum lib. 6. c. 1. dicat in carcere necatum, corpusque per Gemonias scalas unco tractum in Tiberim. Illum tamen pulsum in exilium similius vero videtur, cum eum Smyrnæ exulasse testetur Cicero in orat. pro L. Balbo; & Strabo turpem in exilio mortem oppetiisse scribat.

5. *M. Lucullum.*] L. Luculli, qui Mithridatem vicerat, filius ex Servilia fuit.

nium pertractus est; cujus postquam in conspectu stetit, Jube me, inquit, Imperator, protinus ad Luculli corpus perductum occidi. Neque enim absumpto illo superesse debeo, cum ei infelicis militiæ auctor extiterim. Quid hac fidelius benevolentia? [a] mortem amici, hostis odio levavit, vitam suam consilii crimine astrinxit: quoque illum miserabiliorem redderet, se fecit invisiorem. Nec difficiles Antonii aures habuit, ductusque quo voluerat, Luculli dexteram avide osculatus, caput, quod abscissum jacebat, sublevatum pectori suo applicavit, ac deinde demissam cervicem victoris gladio præbuit: [b] Loquatur nunc Græcia [1] Theseum nefandis Pirithoi amoribus subscribentem, Ditis se patris regnis commisisse. Vani est illud narrare, stulti credere. Mistum cruorem amicorum, & vulneribus innexa vulnera, mortemque morti inhærentem videre hæc vera Romanæ amicitię indicia; illa gentis ad fingendum paratæ monstro similia mendacia.

5. [c] L. quoque Petronius hujusce laudis consortionem merito vendicat: pari etenim & inclytæ amicitiæ auso par glorię portio auferenda est. Admodum humili loco natus ad Equestrem Ordinem, & splendidæ militiæ stipendia, P. Cælii beneficio pervenerat, cui gratum animum, quia in læta materia exhibere non contigerat, in ea, quam iniquam fortuna esse voluit, cum multa fide præstitit. Erat ab [2] Octavio Consule [3] Placentiæ prępositus Cælius: qua à Cinnano exercitu capta, & senior jam, & gravi valetudine affectus, ne in potestatem hostium veniret, ad auxilium dextræ Petronii confugit. Quem is ab incepto consilio frustra conatus abstrahere, in iisdem perseverantem precibus interemit, cædique ejus suam junxit: ne eo jacente, per quem omnia dignitatis incrementa assecutus fuerat, superesset. Ita alterius fato magnanimitas, alterius pietas causam prębuit.

An.M. 3967.
Ol. 173. i.
Vrb.C. 666.
Ant.Ch. 86.

INTERPRETATIO.

a *Lenivit odium hostis in amicum mortuum, seque vivum obstrinxit crimine consilii dati Lucullo.*

b *Nunc jactet Græcia Theseum obtemperantem nefandis Pirithoi amoribus descendisse ad inferos.*

c *L. quoque Petronius hujusce laudis particeps jure esse debet: æqualis enim portio gloriæ tribuenda est factis æqualibus in amicitia retinenda.*

NOTÆ.

1. *Theseum nefandis Pirithoi.*] Ille Ægæi Athenarum Regis, hic Ixionis filius fuit: ambo inter se maximo amoris vinculo conjuncti; cumque uterque Iovis filiam in uxorem habere statuisset, Helenam quidem rapuit Theseus; at Proserpinam Molossorum Regis conjugem dum rapere nituntur, Pirithous occisus à Molossis, captusque Theseus, magnam Poëtis mentiendi licentiam fecerunt: nota enim vel pueris fabula.

2. *Ab Octavio Consule.*] Quomodo Cinna urbem occuparit, Octavium occiderit, diximus lib. 1. c. 6. n. 10.

3. *Placentia.*] Liguriæ civitas est ad amnem Trebiam, non procul à Pado. Hodie *Plaisance.*

6. Jungendus

6. Jungendus est Petronio Ser. Terentius, quanquam ei, sicut cupierat, pro amico suo perire non contigit. Incepto namque egregio, non irrito eventu æstimari debet; quia quantum in illo fuit, & ipse extinctus est, & D. Brutus periculum mortis evasit. Qui fugiens à [1] Mutina, [2] ut ad se interficiendum ab Antonio missos equites advenisse cognovit, [a] quodam in loco justę pœnę debitum spiritum tenebris furari conabatur: Eoque jam facta irruptione, Terentius, fideli mendacio obscuritate ipsa suffragante, Brutum se esse simulavit, & corpus suum trucidandum equitibus objecit. Verum cognitus à Furio, cui Brutianę ultionis officium mandatum fuerat: nece sua amici supplicium discutere non potuit: Sic invitus fortuna cogente vixit.

An.M. 4011. Ol. 184. 1. Vrb.C. 710. Ant.Ch.42.

7. Ab hoc horrido & tristi pertinacis amicitiæ, ad lætum & serenum vultum transeamus: atque eam inde evocatam, ubi omnia lacrymis, gemitu, cædibus fuerant referta, in eo, quo dignior est, felicitatis domicilio collocemus, gratia, honore, abundantissimisque opibus fulgentem. Prodite igitur ab illa, quæ sanctorum umbris dicata esse creditur, sede, hinc [3] Decime Læli, illinc [4] M. Agrippa,

An.M. 3864. Ol.147. 3. Vrb C. 563. Ant.Ch. 193.

INTERPRETATIO.

a *In loco quodam* obscuro *conabatur vitam suam subtrahere supplicio, quod morte Cæsaris meritus fuerat.*

NOTÆ.

1. *Mutina.*] Vrbe Galliæ Cisalpinæ in Flaminia hoc bello celeberrima. *Modene.*

2. *Vt ad se interficiendum.*] De morte Decimi Bruti, quia obscurior est fama, non pigebit hoc in loco studiosorum gratia paulo uberius differere: obsidione Mutinensi ab Hirtio & Pansa vix liberatus erat Brutus; cum ecce nunciatur Octavium Cæsarem cum Antonio & Lepido iniisse fœdus. Habebat quidem legiones decem, sex tyronum, veteranorum quatuor; viribus tamen longe inferior, quid ageret, quo tenderet, incertus hæsit aliquandiu: tandem ad M. Brutum in Macedoniam pergere statuit: sed copiæ omnes viæ longioris labore deterritæ aliæ post alias deficiunt; primum tyrones ad Octavium, deinde ad Antonium veterani, paulo post & auxiliarii, & Galli Equites alii alio diffugiunt; ipse tamen cum trecentis, qui superérant Equitibus, Rhenum versus contendit: at illis etiam ad sua dilapsis, desertus ab omnibus sumpto cultu Gallico Aquiliam fugit; à latronibus capitur, ducitur ad Camillum hujus regionis Principem, ab eoque jussu Antonii interficitur. Hæc sunt Appiani fere l.3.

3. *Decime Læli.*] Duo summi viri Romæ floruerunt, quibus idem Lælii nomen fuit: alter alterius aut pater, aut avus; aliter enim aliis placet: alter Consul cum Scipione Asiatico, anno V.C. 563. alter anno V.C. 613. cum Q. Servilio Cæpione. Ille bellis, tum in Hispania, tum in Africa sub Scipione Africano majore confectis; ille victoriis de Viriatho relatis clarissimus. Vterque cum Scipionibus arctissimo amicitiæ conjunctus vinculo, ille cum Africano majore, hic cum minore. Vnum est, quod te moneam, ne te decipiat nominũ similitudo: Si quando tibi, cum sermo est de amicitia, Lælii nomen occurrat, ne putes seniorem Lælium, qui cum Africano majore vixit; sed juniorem, qui cum Scipione Æmiliano, appellari.

4. *M. Agrippa.*] M. Vipsontus Agrippa Eques Romanus, qui ab Augusto ad

An.M. 4015. [a] alter virorum, alter Deorum maximum amicum, & certa mente, & se-
Ol. 187. 4. cundis ominibus sortiti: totumque beatæ turbæ gregem, qui vestro ductu
Vrb.C. 724. veneranda sinceræ fidei stipendia, laudibus & præmiis onustus, peregit, in
Ant.Ch. 28. lucem vobiscum protrahite: vestros enim constantes animos, vestra strenua ministeria, vestram inexpugnabilem taciturnitatem, proque dignitate & salute amicorum perpetuam excubationem, testatiorem benevolentiam; & rursus harum rerum uberrimos fructus posterior intuens ætas, [b] in excolendo jure amicitiæ, quam libentius, tam etiam religiosius erit operata.

INTERPRETATIO.

a *Ambo certo judicio & felicibus auspiciis amicum sortiti, Lælius Scipionem hominum præstantissimum, Agrippa Augustum deorum maximum; & vobiscum protrahite in lucem omnem turbam eorum, qui maximis digni laudibus ad conservandam sinceræ fide amicitiam aliquid fortiter vestro præsidio peregerunt.*

b *Quando libentius, tanto religiosius colet sacra amicitia jura.*

NOTÆ.

summos honores evectus, tot ei victorias de Sex. Pompeio, de M. Antonio, de Lusitanis, Germanis, Pannoniis virtute sua peperit; ut merito dubitari possit, plus-ne ipse Augusto, an ipsi Augustus debuerit. De illo plura in gente Iulia.

EXTERNA.

1. Hæret animus in domesticis: sed aliena quoque benefacta re-
An.M. 3666. ferre Romanæ urbis candor hortatur. [1] Damon & Pythias, Pythago-
Ol. 98. 1. ricæ prudentiæ sacris initiati, tam fidelem inter se amicitiam junxe-
Vrb. C. 365. rant, ut cum alterum ex his Dionysius Syracusanus interficere vellet,
Ant. Ch. 387. [a] atque is tempus ab eo, quo priusquam periret, domum profectus res suas ordinaret, impetravisset: alter vadem se pro reditu ejus tyranno dare non dubitavit. Solutus erat periculo mortis, qui modo cervices gladio subjectas habuerat; eidem caput suum subjecerat, cui secure vivere licebat. Igitur omnes, & in primis Dionysius novæ atque ancipitis rei exitum speculabantur. Appropinquante deinde definita die, nec illo redeunte; unusquisque stultitiæ tam temerarium sponsorem damnabat: At is nihil se de amici constantia metuere prædicabat. Eodem autem momento & hora à Dionysio constituta, qui eam acceperat, supervenit: Admiratus amborum animum tyrannus, supplicium fidei

INTERPRETATIO.

a *Atque is impetravisset tempus, ut domum profectus priusquam moreretur, res suas ordinaret.*

NOTÆ.

1. *Damon & Pythias.*] Eandem narrat historiam Lactantius lib. 5. suarum institutionum, cap. 18.

remisit; insuperque eos rogavit, ut se in societatem amicitiæ, tertium sodalitii gradum intima culturum benevolentia reciperent. Hæ sane vires amicitiæ, mortis contemptum ingenerare, vitæ dulcedinem extinguere, crudelitatem mansuefacere, odium in amorem convertere, pœnam beneficio pensare potuerunt: quibus pene tantum venerationis, quantum Deorum immortalium ceremoniis debetur. Illis enim publica salus, his privata continetur: [a] atque ut illarum ædes sacra domicilia, ita harum fida hominum pectora quasi quodam sancto spiritu referta templa sunt.

2. Quod ita esse, Rex Alexander sensit. [1] Darii castris, in quibus omnes necessarii ejus erant, potitus, Ephestione gratissimo sibi latus suum tegente, [2] ad eos alloquendos venit. Cujus adventu mater Darii recreata, humi prostratum caput erexit, Ephestionemque, quia ei, & statura & forma præstabat, more Persarum adulata, tanquam Alexandrum salutavit. Admonita deinde erroris, per summam trepidationem excusationis verba quærebat. Cui Alexander; Nihil est, inquit, quod hoc nomine confundaris, nam & hic Alexander est. Utri prius gratulemur, qui hoc dicere voluit, an cui audire contigit? Maximi enim animi Rex, etiam totum terrarum orbem aut victoriis, aut spe complexus, tam paucis verbis se cum comite suo partitus est. O donum inclytæ vocis, danti pariter atque accipienti speciosum! Quod privatim quoque merito veneror, clarissimi ac disertissimi viri promptissimam erga me benevolentiam expertus. [b] Nec metuo ne parum conveniat mihi [3] Pompeium meum instar esse Alexandri: cum illi Ephestio suus, alter fuerit Alexander. Ego vero gravissimo crimini sim obnoxius, constantis & benignæ amicitiæ exempla sine ulla ejus mentione transgressus; cujus in animo velut in parentum amantissimorum pectore, lætior vitæ

An.M. 3721. Ol. III. 4. Vrb. C.420. Ant.Ch.332.

INTERPRETATIO.

a Atque ut deorum ædes sacra sunt domicilia; ita pectora hominum, qui amicitiæ fidem servant, sunt quasi templa plena sancto quodam spiritu.

b Nec timeo, ne parum deceat, si dixero Pompeium meum mihi esse Alexandrum, cum ipsi Alexandro Ephestio alter Alexander fuerit.

NOTÆ.

1. *Darij castris.*] Post alterum in Persas prælium ad Issum, Darius quidem fuga sibi consuluit; sed castra direpta, captaque illius mater, uxor, duæ filiæ, filiusque parvulus, quem more Persarum in bellum secum duxerat.

2. *Ad eos alloquendos.*] Occisum ab Alexandro Darium falsus rumor sparserat; principesque fœminæ in lacrymas effusæ, nullum fletibus faciebant modum; qua re audita, Alexander sub mediam noctem mittit Leonatum, qui nomine suo & illas soletur, & vanum eis pavorem eximat: tum ipse sub solis ortum honoris causa illas invisit; matremque Darii, matris; uxorem & filias, sororum loco habuit.

3. *Pompeium.*] Vel Pompeius ille Macer fuit, qui Augusti Bibliothecæ præerat, cujus meminit Suetonius; vel

meæ ſtatus viguit, triſtior acquievit. A quo omnium incrementa commodorum ultro oblata cepi: per quem tutior adverſus caſus ſteti: qui ſtudia noſtra ductu & auſpiciis ſuis lucidiora, & alacriora reddidit. [a] Itaque pavi invidiam quorundam, optimi amici jactura, videlicet quia fructu torſeram: non quidem meo merito: gratiam meam, quantacunque fuit, cum his, qui ea uti voluerant, partitus. Verum nulla tam modeſta felicitas eſt, quæ malignitatis dentes vitare poſſit. [b] At quo receſſu quoſdam fugeris, aut quibus inſulis miſericordiæ permulſeris; non cohibebis, ne alienis malis perinde ac bonis ſuis lætentur, ac geſtiant. Divites ſunt aliorum jacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus. [c] Sed illi quatenus alienis incommodis ſuorum adhuc expertis inſultent, optima vindex inſolentiæ varietas humanæ conditionis viderit.

INTERPRETATIO.

a Itaque optimi amici jactura ſatiavi invidiam aliquorum qui commoda in me ab amico profecta ægre ferebant: nulla re tamen illorum invidiam provocavi, cum gratiam qua apud ipſum valebam, quantacunque fuit, partitus ſim cum iis qui ea uti voluerant.

b Quidam ſunt adeo invidi, ut illos nec ullo ſeceſſu fugere, nec ullis miſericordiæ inſignibus mitigare poſſis.

c Sed varietas humanæ conditionis, quæ inſolentiæ optima vindex eſt, aliquando forte illos puniet, qui nullis incommodis afflicti aliorum calamitatibus inſultant.

NOTÆ.

illius filius, de quo Tacitus l. 1. vel potius Sex. ille Pompeius, qui eo anno quo obiit Auguſtus, Conſul erat.

CAP. VIII.

DE LIBERALITATE.

1. *Q. Fabii Max. Verrucoſſi Dict.*
2. *Paullæ Buſæ Canuſinæ.*
3. *Q. Conſidii Equitis Rom.*
4. *Populi Rom. erga Attalum Regem.*
5. *Ejuſdem populi Romani erga Græcos.*

EXTERNORUM.

1. *Hieronis Regis Syracuſanorum erga Romanos.*
2. *Gilliæ Agrigentini erga concives ſuos.*

[a] NOſtrum opus pio egreſſu ad proprium dolorem provectum in ſuum ordinem revocetur, liberalitatiſque commemorationi vacemus. Cujus duo ſunt maxime probabiles fontes; verum judicium &

INTERPRETATIO.

a Sermo noſter, qui à propoſito pia amici memoria digreſſus fuerat ad proprium dolorem, jam revocetur in ſuum ordinem.

honesta benevolentia. Nam cum ab his oritur, tum demum ei ratio constat: [a] dono autem ipsi gratiam magnitudo quidem sua, sed efficaciorem aliquanto opportunitas conciliat.

1. Accedit enim pretio rei inæstimabile monumentum occasionis, quæ Q. Fabium Maximum tot ante secula ob parvam pecuniæ summam erogatam, ad hoc usque tempus laudabilem fecit. [1] Captivos ab Annibale interposita pactione nummorum receperat: qui cum à Senatu non præstarentur, misso in Urbem filio, fundum, quem unicum possidebat, vendidit: ejusque pretium Annibali protinus numeravit. Si ad calculos revocetur, parvum, utpote septem jugeribus, & hæc in Pupinia addictis redactum: si animo erogantis, omni pecunia majus: Se enim patrimonii, quam patriam fidei inopem esse maluit: [b] eo quidem majore cum commendatione, quo proni studii certius indicium est supra vires niti, quam viribus ex facili uti. Alter enim, quod præstat, potest; alter etiam plus quam potest. An. M. 3837. Ol. 140. 4. Vrb. C. 536. Ant. Ch. 216.

2. Itaque ejusdem temporis fœmina Busa nomine, regionis autem Apuliæ ditissima, merito quidem liberalitatis testimonium recepit: sed si excellentes opes suas Fabianis rei familiaris angustiis non comparaverit. Nam etsi circa decem millia civium nostrorum, Cannensis prœlii reliquias, benignissime intra [2] Canusina mœnia [3] alimentis sustentavit; [c] salvo tamen statu fortunarum suarum, munificam se populo Romano præstitit: [d] Fabius in honorem patriæ, paupertatem inopia mutavit. An. M. 3838. Ol. 141. 1. Vrb. C. 537. Ant. Ch. 215.

3. In Q. quoque Considio saluberrimi exempli, nec sine parvo ipsius fructu, liberalitas annotata est: qui Catilinæ furore ita [4] consternata Republica, ut ne à locupletibus quidem debitæ pecuniæ, propter tumultum, pretiis possessionum diminutis, solvi creditoribus possent, An. M. 3991. Ol. 179. 2. Vrb. C. 690. Ant. Ch. 62.

INTERPRETATIO.

a *Doni magnitudo facit quidem, ut gratum sit; multo tamen gratius est, licet parvum, si opportune detur.*

b *Eo quidem majore cum laude, quo niti supra vires certius est signum pronæ voluntatis, quam sine ullo labore uti suis viribus.*

c *Præbuit se munificam, non amissis tamen suis divitiis.*

d *Fabius vero pro gloria patriæ ex paupere inops factus est.*

NOTÆ.

1. *Captivos ab Annibale.*] Iam attigimus hanc historiam l. 2. c. 7. n. 15.

2. *Canusina mœnia.*] Canusium Apuliæ oppidum ad flumen Aufidum. *Canossa.*

3. *Alimentis sustentavit.*] Frumento, veste, & viatico juvit: quare confecto bello summi à Senatu honores illi delati sunt. Ita Plinius.

4. *Consternata Republica.*] Immutata facies urbis erat: ex summa lætitia, atque lascivia, quæ diuturna quies pepererat; repente omnes tristitia invasit: festinare, trepidare; neque loco, neque homini cuiquam satis credere; neque bellum gerere, neque pacem habere; suo quisque metu pericula metiri. Ita Sallustius.

cum centies, atque quinquagies HS. summam in fœnore haberet; [a] neque [1] de sorte quemquam debitorum suorum, neque de usura à suis appellari passus est: quantumque in ipso fuit, amaritudinem publicæ confusionis privata tranquillitate mitigavit: Opportune, mirificeque testatus, nummorum suorum, non civilis sanguinis se esse fœneratorem. Iam qui hac præcipue negotiatione delectantur, [b] cum pecuniam cruentam domum retulerint, quam improbando gaudio exultent, recognoscent, si diligenter Senatusconsultum, quo Considio gratiæ actæ sunt, legere non fastidierint.

4. Queri mecum jamdudum populus Romanus videtur, quod cum singulorum munificentiam consecter, de sua taceam: Ad summam enim ejus laudem pertinet, quem animum Regibus, & urbibus, &
An M. 3865. Ol. 147. 4. Vrb.C. 564. Ant.Ch.188. gentibus præstiterit, recognosci: [c] quia omne præclari facti decus crebra memoria in se ipso revirescit. Asiam bello captam [2] Attalo Regi muneris loco possidendam tradidit; eo excelsius, & speciosius Urbis nostræ futurum imperium credens, si ditissimam atque amœnissimam partem terrarum orbis, in beneficio, quam in fructu suo reponere maluisset. [d] Ipsa victoria donum felicius: quia multum occupasse, habere invidiam potuit: tantum tribuisse, gloria carere non potuit.

An.M. 3858. Ol. 146. 1. Vrb.C. 557. Ant.Ch. 195. 5. Illius vero Romanæ liberalitatis cœlestem spiritum nullæ literæ satis dignis laudibus prosequentur; [3] Philippo enim Macedonum Rege

Interpretatio.

a *Neque passus est quemquam debitorum suorum à suis exactoribus in jus appellari, neque de principali pecunia, neque de fœnore.*

b *Cum domum retulerint pecuniam nimia severitate exactam.*

c *Quia omne praclare factum, si sæpius in memoriam revocatur, novo quodam decore florescere videtur.*

d Asiam bello partam *dedisse gloriosius fuit, quam* illam *vincere.*

Notæ.

1. *De sorte.*] Hoc est de ea summa, quam in fœnus dederat, *capitale* vulgo vocant.

2. *Attalo Regi.*] Fallitur Valerius; nec enim Attalo, sed Eumeni illius filio pars Asiæ concessa. Vterque Romanos in maximis bellis juvit; Attalus contra Philippum, contra Antiochum Eumenes: ille ultra Taurum regnare jussus est; Lycia & Caria Rhodiis; urbes omnes, quæ cis Taurum Antiochi ditionis fuerant, Eumeni datæ. Hæc Polyb. in legat.

3. *Philippo enim, &c.*] Bis vicit Philippum Flamininus; semel ad Apsum amnem, ubi superatis duce pastore montium jugis, à tergo Regem aggressus, in fugam vertit, castraque diripuit: iterum ad Pelasgicum sinum in Thessalia propter Cynocephalas, ubi copiis omnibus pugnatum est: utrimque cornu dextrum vicit, sinistrum vero victum est. At dum Philippus fugientes persequitur incautus, Tribunus militum cum viginti signis in terga victorum sævire cum suis infestus cœpit; Philippoque eripuit victoriam. Cæsa dicuntur Macedonum octo millia, capta quinque. Ita Polyb. Plut. Zonaras, & alii.

ſuperato, cum [1] ad Iſthmicum ſpectaculum tota Græcia conveniſſet, T. Quinctius Flamininus tubæ ſigno ſilentio facto, per Præconem hæc verba recitari juſſit, S. P. Q. R. & T. Quinctius Flamininus Imperator omnes Græciæ urbes, quæ ſub ditione Philippi Regis fuerunt, liberas atque immunes eſſe jubet. Quibus auditis maximo & inopinato gaudio omnes perculſi: primo veluti non audiſſe ſe, quæ audierant credentes, obticuerunt. Iterata deinde pronunciatione Præconis, tanta cœlum clamoris alacritate compleverunt; ut certo conſtet, aves quæ ſupervolabant, attonitas, paventeſque decidiſſe. Magni animi fuiſſet, à tot captivorum capitibus ſervitutem detraxiſſe, quot tunc nobiliſſimis & opulentiſſimis urbibus populus Romanus libertatem largitus eſt. Ad cujus majeſtatem pertinet, non ſolum, quæ ipſe benigne tribuit, ſed etiam quæ alius ipſo tribuente ſenſit commemorari. Ut enim illic collatæ, ita hic repetitæ laudis commendatio eſt.

NOTÆ.

1. *Ad Iſthmicum ſpectaculum.*] Iſthmus ſunt anguſtæ terræ fauces inter duo maria. Quod ſic expreſſit Ovidius:

Æquora bina ſuis oppugnant fluctibus Iſthmon,
Et tenuis tellus audit utrimque mare.

Loquitur hic Valerius de Iſthmo Corinthiaco, ubi ludi ſolemnes à Theſeo quondam in Neptuni honorem inſtituti ingenti totius Græciæ concurſu quinto quoque anno celebrari ſolebant. Idem plane de Flaminino refert Plut.

EXTERNA.

1. [1] Hiero Syracuſanorum Rex, audita clade, qua Romani apud Thraſymenum lacum erant afflicti, [2] trecenta millia modiûm tritici, & ducenta millia horde, aurique ducenta & quadraginta pondo Urbi noſtræ muneri miſit. Neque ignarus verecundiæ majorum noſtrorum quod nollent accipere, [a] in habitum id Victoriæ formavit, ut eos religione motos, munificentia ſua uti cogeret: voluntate mittendi prius, item providentia cavendi, ne remitteretur, liberalis. An. M. 3838. Ol. 141. 1. Urb C. 537. Ant. Ch. 215.

2. Subnectam huic Agrigentinum [3] Gilliam, quem propemodum ipſius liberalitatis præcordia conſtat habuiſſe: Erat opibus excellens, ſed multo etiam animo, quam divitiis locupletior: ſemperque in ero-

INTERPRETATIO.

a Ex auro illo *conflavit ſtatuam Victoriæ.*

NOTÆ.

1. *Hiero.*] De Hierone jam ſæpius; & de Romanorum clade apud Thraſimenum.

2. *Trecenta millia.*] Miſit etiam mille ſagittarios & funditores, aptam manum adverſus Baleares & Mauros; conſiliumque addidit, ut Prætor, cui Sicilia obveniſſet, trajiceret in Africam.

3. *Gilliam.*] Athenæo Gellia, aliis & Callia & Gallia dicitur.

ganda potius, quam in contrahenda pecunia occupatus: adeo ut domus ejus quasi quædam munificentiæ officina crederetur. Illinc enim publicis usibus apta monimenta extruebantur, illinc grata populi oculis spectacula edebantur, illinc epularum magnifici apparatus, [a] labentique annonæ subsidia oriebantur: Et cum hæc universis, privatim alimenta inopia laborantibus, dotes virginibus paupertate pressis, detrimentorum incursu quassatis solatia erogabantur; Hospites quoque tum urbanis penatibus, tum etiam rusticis tectis benignissime excepti, variis muneribus ornati, dimittebantur. Quodam vero tempore quingentos simul [1] Gelensium Equites vi tempestatis in possessiones suas compulsos, aluit ac vestivit. Quid multa? non mortalem aliquem, sed propitiæ fortunæ benignum esse diceres sinum. Ergo quod Gillias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat: pro cujus salute & incrementis, tum Agrigentina civitas, tum etiam vicinæ regiones votis excubabant. Colloca ex contraria parte [b] arcas inexorabilibus claustris obseratas; nonne præstantiorem aliquanto existimes illam impensam, quam hanc custodiam?

INTERPRETATIO.

[a] *Cum annona deficeret, hinc subsidia oriebantur.*

[b] *Arcas clausas seris, ob nullius vel preces, vel miserias aperiendis.*

NOTÆ.

1. *Gelensium.*] Gela Siciliæ oppidum; à fluvio cognomine nomen habuit, *Terra-nova*. De quo Virgil. lib. 3. Æneid.

Apparet Camerina procul, campique Geloni,
Immanisque Gela fluvii de nomine dicta.

VALERII MAXIMI
LIBER QUINTUS.

CAP. I.

DE HUMANITATE ET CLEMENTIA.

1. *Senatus Romani.*
2. *L. Cornelii Scipionis Cos.*
3. *T. Q. Crispini.*
4. *M. Claudii Marcelli Procos.*
5. *Q. Metelli Macedonici Procos.*
6. *P. Scipionis Æmiliani Procos.*
7. *P. Africani majoris Procos.*
8. *L. Æmilii Pauli Cos. II.*
9. *Cn. Pompeij Magni Procos.*
10. *C. Iulij Cæsaris Cos. II.*
11. *M. Antonij Triumviri.*

EXTERNORUM.

1. *Alexandri Magni.*
2. *Pisistrati Atheniensis.*
3. *Pyrrhi Epirotarum Regis.*
4. *Antigoni Macedonum Regis.*
5. *Campanorum.*
6. *Annibalis Pœni.*

LIBERALITATI quas aptiores comites, quam humanitatem & clementiam dederim, quoniam idem genus laudis expetunt: [a] quarum prima inopia, proxima occupatione, tertia ancipiti fortuna præstatur. Cumque nescias quam maxime probes, [b] ejus tamen commendatio præcurrere videtur, cui nomen ex ipso numine quæsitum est.

1. Ante omnia autem humanissima & clementissima Senatus acta referam. Qui cum Carthaginiensium legati [1] ad captivos redimendos in Urbem venissent, protinus his nulla pecunia accepta, reddidit juvenes, numerum duûm millium & septingentorum quadraginta trium explentes. Verum tantum hostium exercitum dimissum, tantam pecuniam contemptam, tot Punicis injuriis veniam datam, ipsos legatos obstupuisse arbitror, ac secum dixisse: O munificentiam gentis Romanæ, Deo-

INTERPRETATIO.

a *Quarum prima* quæ liberalitas, *exhibetur erga inopes; secunda* quæ humanitas, *erga oppressos; tertia*, quæ clementia, *erga eos qui in dubia sunt & periculosa fortuna.*

b Liberalitas *tamen magis commendanda videtur, qua nomen ab ipso deo* Libero patre *invenit.*

NOTÆ.

1. *Ad captivos redimendos.*] Sub finem belli Punici secundi id contigit; cum victo Annibale pax Carthaginiensibus concessa est.

rum benignitati æquandam ! O etiam nostram legationem supra vota
felicem ! nam quod beneficium nunquam dedissemus, accepimus. Illud
An.M. 3853. quoque non parvum humanitatis Senatus indicium est. [1] Syphacem
Ol. 144. 4. enim quondam opulentissimum Numidiæ Regem captivum, in custodia
Vrb.C. 552. [2] Tiburi mortuum, publico funere censuit efferendum, ut vitæ dono
Ant.Ch.200. honorem sepulturæ adjiceret. Consimilique clementia in Perse usus est:
nam cum Albæ, in qua custodiæ causa relegatus erat, [3] decessisset;
An.M. 3889. Quæstorem misit qui eum publico funere efferret : ne reliquias regias
Ol. 153. 4. jacere inhonoratas pateretur Hostibus illa, & miseris, & fato functis
Vrb. C. 588. officia Regibus erogata : hæc amicis & felicibus, & vivis tributa sunt.
Ant.Ch.164. Confecto Macedonico bello, [4] Musicanes Massanissæ filius, cum equi-
tibus, quos in præsidium Romanorum adduxerat, ab Imperatore Pau-
An.M. 3887. lo ad patrem remissus, tempest te classe dispersa Brundusium æger
Ol. 153. 2. delatus est : Quod ubi Senatus cognovit, continuo illo Quæstorem ire
Vrb.C. 586. jussit, cujus cura & hospitium adolescenti expediretur, & omnia quæ
Ant.Ch.166. ad valetudinem opus essent, præberentur : impensæque liberaliter cum
ipsi, tum toti comitatui præstarentur. Naves etiam ut prospicerentur,
quibus se bene ac tuto cum suis in Africam trajiceret : quitibus sin-
gulas libras argenti, & quingenos sestertios dari imperavit. Quæ tam
prompta & exquisita patrum Conscriptorum humanitas efficere potuit,
ut etiam si expirasset adolescens, æquiore animo desiderium ejus pater
An.M. 3888. toleraret. Idem Senatus, cum ad gratulandum sibi [5] Prusiam Bithyniæ
Ol. 153. 3. Regem Perse devicto venire audisset, obviam illi P. Cornelium Sci-
Vrb C. 587. pionem Quæstorem Capuam misit : censuitque ut domus ei Romæ
Ant.Ch.165. quam optima conduceretur, & copiæ non solum ipsi sed etiam comi-
tibus ejus publice præberentur. [a] In eoque excipiendo [6] tota urbs unius

INTERPRETATIO.

a *Totaque civitas tanta be evolentia il-lum excepit*, quanta eum excepisset homo illi Regi *amicissimus*.

NOTÆ.

1. *Syphacem.*] Qui victus amore Sophonisbæ, fœdus cum Romanis initum magno suo damno rupit ; uno enim & altero prælio à Scipione & Lælio superatus, & regnum amisit, & libertatem : idque unum tulit suæ aut levitatis, aut perfidiæ præmium.

2. *Tiburi mortuum.*] Non Tiburi mortuus est, ex Polybio, sed Albæ, quo Principes & Reges bello capti in custodiam mitti moris erat ; an ante Scipionis triumphum obierit, incertum est : negant Polybius & Livius ; affirmant alii.

3. *Decessisset.*] Perseus in libera custodia habitus ; vel duobus annis ex Diodoro ; vel quatuor, ex Velleio, post Æmilii triumphum decessit : sive custodum improbitate consumptus vigiliis, ut volunt Plutarchus & Diodorus ; sive, ut alii, mortem sibi inedia consciverit. Illius filius Alexander in cælando auro & argento egregius artifex fuit : inde Romanis instructus literis Scribæ operam præbuit Magistratibus. Ita Plut. in Æmilio.

4. *Musicanes.*] Aliis & Musocanes, & Musophanes ; Livio Mitagenes dicitur.

5. *Prusiam.*] Qui per Scipionem Africanum amicus pop. Rom. factus, illos cōtra Perseum, cujus sororem duxerat, ægre quidem, sed tandem juverat.

6. *Tua rbi.*] Renovari societatem, agrumque de Antiocho captum sibi do-

humani amici vultum habuit. Ita qui amantissimus nostri venerat, duplicata erga nos benevolentia in regnum suum reversus est. Nec Ægyptus quidem Romanæ humanitatis expers fuit. Rex enim [1] Ptolemæus à minore fratre regno spoliatus, petendi auxilii gratia, cum paucis admodum servis, squalore obsitus, Romam venerat, ac se in hospitium Alexandrini pictoris contulerat. Id postquam Senatui relatum est, accersito juvene, quam potuit accurata excusatione usus est, quod nec Quæstorem illi more majorum obviam misisset, nec publico eum hospitio excepisset: eaque non sua negligentia, sed ipsius subito & clandestino adventu facta dixit: Et illum è Curia protinus ad publicos penates deduxit, hortatusque est, ut depositis sordibus, adeundi ipsius diem peteret. Quin etiam curæ habuit, uti munera ei quotidie per Quæstorem darentur. His gradibus officiorum jacentem ad regium fastigium erexit: effecitque, ut plus spei in auxilio populi Rom. quam metus in sua fortuna reponeret.

2. Atque ut ab universis Patribus Conscriptis ad singulos veniam, L. Cornelius Consul primo Punico bello, cum [2] Olbiam [3] oppidum cepisset, pro quo fortissime dimicans, Hanno dux Carthaginiensium occiderat, corpus ejus è tabernaculo suo amplo funere extulit: Nec dubitavit hostis exequias ipse celebrare: tum demum victoriam & apud Deos & apud homines minimum invidiæ habituram credens, cum plurimum humanitatis habuisset.

An. M. 3795. Ol. 180. 2. Vrb. C. 494. Ant. Ch. 258.

3. Quid de [4] Quinctio Crispino loquar, cujus mansuetudinem poten-

An. M. 3843. Ol. 142. 2. Vrb. C. 542. Ant. Ch. 210.

NOTÆ.

nari petiit: quod ubi obtinuit, cum muneribus dimissus, & ad naves usque sumptu publico deductus est. Hæc Livius. Cum multa, quæ majestatem regiam minime decerent, fecisse Prusiam memorat Polybius, tum illud maxime: quod pileatus, togatus, Romano more calceatus, eoque plane habitu, quo recens manumissi esse solent, legatis prodierit obviam, iisque salutatis: *Adsum*, inquit, *libertus vester, vestra instituta imitari paratus.* Et paulo post frequenti Senatu orationem suam his verbis exorsus sit. *Salvete Dij servatores mei, &c.*

1. *Ptolemæus à minore fratre.*] Errasse hoc in loco Valerium necesse est, cum duo tantum Ptolemæi Romam venerint, Alexander & Auletes; ille An. M. 3891. hic 3997. at neuter à fratre minore pulsus. Vterque enim ab Alexandrinis civibus ejectus est: Alexander ob necem illatam matri; Auletes ob graviora tributa; à Romanis ille, in insula Cypro regnare jussus; hic à Gabinio Syriæ tum Proconsule armis restitutus est.

2. *Olbiam.*] Multiplex hoc nomine civitas, in Cilicia, Iberia, Gallia, Liguria; hæc in Sardinia fuit, cujus ruinæ nunc dicuntur *Olbia Rovinata.*

3. *Oppidum cepisset.*] Aliter Zonaræ, aliter Frontino placet. Zonaras enim nec captam urbem, nec Hannonem occisum commemorat; sed Scipionem hostili clade territum domum rediisse. Addit Frontinus id à Scipione, quo tutius hostes falleret, dedita opera factum esse: dum enim fugientis speciem præbet, & oppidani fugientem temere insequuntur, cohortes, quas proxime occultaverat, vacuum defensoribus oppidum occupant, ibique Hanno fortiter dimicans cecidit.

4. *Quinctio Crispino.*] Qui aliquanto post cum M. Marcello Consul ex vulneribus mortuus est, ut jam diximus.

tissimi affectus ira atque gloria quatere non potuerunt? Badium Campanum & hospitio benignissime domi suæ exceperat, & adversa valetudine correptum attentissima cura recreaverat: A quo post illam nefariam Campanorum defectionem in acie ad pugnam provocatus, cum & viribus corporis & animi virtute aliquanto esset superior, monere ingratum, quam vincere maluit. Nam quid agis, inquit, demens aut quo te prava cupiditas transversum rapit? parum habes, publica impietate furere, nisi etiam privata lapsus fueris: unus tibi Romanorum videlicet Quinctius placet, in quo scelestè exerceas arma, cujus penatibus, [a] & honoris vicissitudinem, & salutem tuam debes? At me fœdus amicitiæ, Diique hospitales, sancta nostro sanguini, vestris pectoribus vilia pignora, hostili certamine congredi tecum vetant; Quin etiam si in concursu exercituum fortuito umbonis mei impulsu prostratum agnovissem, applicatum jam cervicibus tuis mucronem revocassem. Tuum ergo crimen erit hospitem occidere voluisse: meum non erit, hospes occisus. Proinde aliam, qua occidas, dextram quære, quoniam mea te servare didicit. Dedit utrique cœleste Numen debitum exitum: siquidem in eo prælio [1] Badius obtruncatus est, Quinctius insigni pugna clarus evasit.

An.M.3842. Ol. 142. 1. Vrb.C. 541. Ant.Ch. 211.

4. Age, M. Marcelli clementia, quam clarum, quamque memorabile exemplum haberi debet? qui [2] captis à se Syracusis in arce earum constitit; ut urbis, modo opulentissimæ, tunc afflictæ fortunam ex alto cerneret. Cæterum casum ejus lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit; quem si quis ignarus vir aspexisset, alterius victoriam esse credidisset. Itaque Syracusana civitas in maxima clade tua [b] aliquid admistum gratulationis habuisti: quia si tibi incolumem stare fas non erat, leniter sub tam mansueto victore cecidisti.

An.M.3912. Ol. 159. 3. Vib. C. 611. Ant.Ch. 141.

5. [3] Q. vero Metellus Celtibericum in Hispania gerens bellum, cum urbem Centobricam obsideret, & jam admota machina, partem muri, quæ sola convelli poterat, disjecturus videretur; humanitatem propin-

INTERPRETATIO.

a *Et vicissitudinem quamdam honoris*, quo & tu me, & ego te excipiebam.

b *Habuisti aliquid, quo tibi gratulari possis.*

NOTÆ.

1. *Badius obtruncatus est.*] Non ita Livius. Badii quidem sinistrum humerum Crispinus hasta transfixit; at dum desilit equo, ut pedes jacentem conficeret, Badius parma, equoque relicto ad suos aufugit: Crispinus equum, arma, & cruentam cuspidem ostentans ad Consules deductus est.

2. *Captis à se Syracusis.*] Vbi enim Syracusanos somno & vino jacentes oppressit Marcellus, urbem è superiori loco contemplatus, illacrymasse fertur, dum cerneret urbem nobilissimam tristissimo paulo post arsuram incendio.

3. *Q. Metellus.*] Macedonicus, de quo sæpe antea. Centobrica & Contrebia eadem est Celtiberorum civitas.

quæ victoriæ prætulit. Nam cum Rhetogenis filios, qui ad eum transierant, Centobricenses machinæ ictibus objecissent; ne pueri in conspectu patris crudeli genere mortis consumerentur (quamquam ipse Rhetogenes negabat esse impedimento, quo minus etiam per exitium sanguinis sui expugnationem perageret;) ab obsidione discessit. Quo quidem tam clementi facto, etsi non unius civitatis mœnia, omnium tamen Celtiberarum urbium animos cepit: effecitque ut ad redigendas eas in ditionem populi Romani non multis sibi obsidionibus opus esset.

6. Africani quoque posterioris humanitas speciose lateque patuit. An.M. 390[illegible].
Expugnata enim Carthagine, circa Siciliæ civitates literas misit, ut or- Ol. 158. 3.
namenta templorum suorum à Pœnis rapta, per legatos recuperarent, Vrb.C. 607.
inque pristinis sedibus reponenda curarent. Beneficium Diis pariter at- Ant.Ch.145.
que hominibus acceptum.

7. Huic facto par [1] ejusdem avi humanitas. A Quæstore suo hastæ An.M. 3845.
subjectos captivos vendente puer eximiæ formæ & liberalis habitus Ol. 142. 4.
missus est. De quo cum explorasset Numidam esse, orbum relictum à Vrb.C. 544.
patre, educatum apud avunculum Massanisam, eo ignorante imma- Ant.Ch. 208.
turam adversus Romanos ingressum militiam; & errori illius veniam dandam, & amicitiæ [2] Regis fidissimi populo Romano debitam venerationem tribuendam existimavit. Itaque puerum annulo, fibulaque aurea & tunica laticlavia, Hispanoque sagulo, & ornato equo donatum, datis qui eum prosequerentur equitibus, ad Massanisam remisit. Eos igitur victoriæ maximos fructus rati Romani, Diis templorum ornamenta, Regibus sanguinem suum restituere.

8. L. etiam Pauli in tali genere laudis memoria apprehendenda est. An.M.3880.
Qui cum Persen, parvi temporis momento [3] captivum ex Rege, ad se Ol.153. 1. Vrb. C. 585. Ant.Ch.167.

NOTÆ.

1. *Ejusdem avi humanitas.*] Hunc in locum seu Librariorum, seu Valerii ipsius vitio error irrepserat: scriptum enim erat, *Ejusdem viri humanitas*; quæ scriptura quin corrupta sit, dubitabit nemo, qui noverit necdum Scipionem Æmilianum natum esse, cum Massinissæ nepos captus est: quare optime, ut solet, emendavit Pighius, *Ejusdem avi humanitas*. Sic se res habuit. Africanus major, victo ad Bætulam Asdrubale, illius castris potitus est: capta millia decem peditum, duo equitum; Hispani sine pretio dimissi, Afri venditi: inter eos inventus est puer nomine Massina Massinissæ nepos; is ad avunculum cum muneribus remissus est.

2. *Regis fidissimi.*] Mirum sane Valerium tam turpiter lapsum esse in re adeo facili: quis enim vel leviter eruditus nesciat Massinissam id temporis Romanorum hostem fuisse infensissimum. Qua ratione is error dissimulari possit, non video; uel de Africano, vel majore, vel minore loquitur: si de majore, hostis tum erat Massinissa; si de minore, non congruunt tempora: nec enim tum Tribunus erat Scipio; cujus non fuisset, sed Imperatoris captivum dimittere Principem: nec Imperator, jam enim mortuus erat Massinissa, cujus extremum spiritum ipse Tribunus militum exceperat.

3. *Captivum ex Rege.*] Victus Perseus

adduci audisset; occurrit ei Romani Imperii decoratus ornamentis: Conatumque ad genua procumbere, dextera manu allevavit, & Græco sermone ad spem exhortatus est. Introductum etiam in tabernaculum lateri suo proximum in consilio sedere jussit: nec honore mensæ indignum judicavit. [a] Proponatur in conspicuo acies, qua prostratus est Perses, & harum rerum, quas retuli, contextus; utro magis spectaculo delectentur, homines dubitabunt; Nam si egregium est, hostem abjicere, non minus tamen laudabile, infelicis scire misereri.

An. M. 3988. Ol. 178. 3. Vrb C. 687. Ant.Ch. 65.

9. Hæc L. Pauli humanitas admonet me, ne de Cn. Pompeij clementia taceam. Regem Armeniæ Tigranem, [1] qui & per se magna cum populo Romano bella gesserat, & infestissimum Urbi nostræ Mithridatem Ponto pulsum, viribus suis protexerat, in conspectu suo diutius [2] jacere supplicem passus non est; sed benignis verbis recreatum, diadema quod abjecerat, capiti reponere jussit. [3] Certisque rebus imperatis, in pristinum fortunæ habitum restituit: æque pulchrum esse judicans & vincere Reges & facere.

An.M. 4006. Ol. 183. 1. Vrb. C. 705. Ant.Ch. 47.

10. [b] Quam præclarum tributæ humanitatis specimen Cn. Pompeius, quam miserabile desideratæ idem evasit exemplum! Nam qui Tigranis tempora insigni regio texerat, ejus caput [4] tribus coronis triumphalibus spoliatum, in suo modo terrarum orbe nusquam sepulturæ locum habuit: Sed abscissum à corpore, inops rogi, nefarium Ægyptiæ perfidiæ munus portatum est, etiam ipsi victori miserabile. Ut enim id Cæsar aspexit, oblitus hostis, soceri vultum induit, ac Pompeio tum proprias, tum etiam filiæ suæ [5] lacrymas reddidit: caput autem pluri-

INTERPRETATIO.

a *Si qui sibi proponant ob oculos mentis & pugnam qua victus est Perses, & clementiam* Pauli, *quam modo retuli.*

b *Idem Pompeius, qui præclarum humanitatis exemplum* in Tigrane *ediderat, indiguit ipse post mortem exemplo alique humanitatis, ut sepeliretur.*

NOTÆ.

primum Pellam fugit, deinde Amphipolim, denique Samothraciam: ubi, dum fugam apparat, ab Octavio classis Præfecto captus est, & ad Æmilium in castra missus.

1. *Qui & per se magna, &c.*] Nullum tamen bellum in Romanos nomine suo Tigranes gessit, sed Mithridatis causa; quem cum recepisset, eumque repeteret Lucullus, inde bellum ortum est, victusque Tigranes magna suorum strage.

2. *Iacere supplicem.*] Tigranis filius à patre diffidens ad Pompeium supplex fugerat; veritus Tigranes, ne quid in se moliretur, & ipse supplex ad Pompeium venit; jussusque à lictoribus equo descendere, paruit. Ita Plut. Dio & Appian.

3. *Certis rebus imperatis.*] Provinciis bello quæsitis, Phœnicia, Syria, & Ciliciæ parte Tigranem jussit decedere: easque gentes Romano adjecit Imperio.

4. *Tribus coronis.*] Præ cæteris Romanorum ducibus illud fuit præcipuum Pompeii decus, de tribus orbis partibus triumphasse; victo Hiera, de Africa; occiso Sertorio, de Europa; de Asia, domito Mithridate.

5. *Lacrymas reddidit.*] Vbi Cæsar in

mis & pretiosissimis odoribus cremandum curavit. Quod si non tam mansuetus animus divini Principis extitisset, paulo ante Romani Imperii columen habitum (sicut mortalium negotia fortuna versat) inhumatum jacuisset. Catonis quoque morte Cæsar audita, & se illius gloriæ invidere, & illum suæ invidisse dixit: patrimoniumque ejus liberis ipsius incolume servavit. Et hercle divinorum Cæsaris operum non parva pars Catonis salus fuisset. An.M.4008. Ol. 183. 3. Vrb.C 707. Ant.Ch. 45.

11. M. etiam Antonii animus talis humanitatis intellectu non caruit. M. enim Bruti corpus liberto suo sepeliendum tradidit: quoque honoratius crematetur, injici ei suum paludamentum jussit: jacentem non hostem, sed civem deposito æstimans odio. Cumque interceptum à liberto paludamentum comperisset, ira percitus, protinus in eum animadvertit, hac ante præfatione usus: Quid tu ignorasti cujus tibi sepulturam commiserim? Fortem, piamque ejus victoriam Philippicam libenter Dii viderunt: sed ne ista quidem generosissimæ indignationis verba inviti audierunt. An.M.4012. Ol 184. 3. Vrb.C. 711. Ant.Ch. 41.

N O T Æ.

Ægyptum appulit, Ptolemæi jussu Pompeij caput affertur ad Cæsarem; at ille terum spectaculum aversatus, facinus improbavit, ut scribunt Plut. & Dio: amicosque Pompeij, qui ea in regione palantes capti à Rege fuerant, benigne excepit; & ad amicos Romam scripsisse fertur eum se fructum ex victoria capere maximum, quod quotidie cives aliquot servaret.

1. *Catonis morte.*] De qua l.3.c.2.n.14. De morte Bruti l.1.c.24. n.6.

EXTERNA.

1. Commemoratione Romani exempli in Macedoniam deductus, morum Alexandri præconium facere cogor: cujus ut infinitam gloriam bellica virtus, ita præcipuum amorem clementia meruit. Is, dum omnes gentes infatigabili cursu lustrat, quodam loco tempestate nivali oppressus, senio jam confectum militem Macedonem, nimio frigore obstupefactum, ipse sublimi & propinqua igni sede sedens, anima vertit. Factaque non fortunæ, sed ætatis utriusque æstimatione, descendit, & illis manibus quibus opes Darii afflixerat, corpus frigore complicatum in suam sedem imposuit: Id ei salutare futurum dicens, quod [1] apud Persas capitale extitisset, solium regium occupasse. Quid ergo mirum est, si sub eo duce tot annis militare jucundum ducebant, cui gregarii militis incolumitas proprio fastigio charior erat? Idem non hominum ulli, sed naturæ, fortunæque cedens, quanquam violentia morbi dilabebatur, in An.M. 3716. Ol 113. 1. Vrb.C. 425. Ant.Ch 327. An.M. 3730. Ol. 114. 1. Vrb.C. 429. Ant.Ch. 323.

N O T Æ.

1. *Apud Persas capitale.*] Apud quos lex erat: *Si quis in solio regio consederit, capital esto.* Frontinus l.4. De morte Alexandri lib. 1. cap 7. num. 2. De Pisistrati tyrannide lib. 1. cap. 2. num. 2.

cubitum tamen erectus, dextram omnibus, qui eam contingere vellent, porrexit. [a] Quis autem illam osculari non curreret, quæ jam fato oppressa, maximi exercitus complexui, humanitate, quam spiritu vividiore suffecit?

An.M. 3514. Ol. 60. 1. Vrb. C. 213. Ant. Ch. 539.

2 Non tam robusti generis humanitas, sed & ipsa tamen memoria prosequenda Pisistrati Atheniensium tyranni narrabitur. Qui, cum adolescens quidam amore filiæ ejus virginis accensus, in publico obviam sibi factam osculatus esset: hortante uxore ut ab eo capitale supplicium sumeret, respondit: Si eos, qui nos amant, interficimus; quid his faciemus, quibus odio sumus? Minime digna vox, cui adjiciatur, eam ex tyranni ore manasse.

An.M. 3516. Ol. 60. 3. Vrb. C. 215. Ant. Ch. 537.

In hunc modum filiæ injuriam tulit, suam multo laudabilius. A Thrasippo namque amico inter cœnam sine fine convicio laceratus, ita & animum & vocem ab ira cohibuit, ut putares satellitem à tyranno male audire. Abeuntem quoque veritus, ne propter metum maturius se convivio subtraheret, invitatione familiari cœpit retinere. Thrasippus concitatæ temulentiæ impetu evectus, os ejus sputo respersit: nec tamen in vindictam sui accendere potuit. Ille vero etiam filios suos violatæ patris majestati subvenire cupientes retraxit. Postero quoque die Thrasippo supplicium à se voluntaria morte exigere volente, venit ad eum, dataque fide in eodem gradu amicitiæ mansurum, ab incepto revocavit. Si nihil aliud dignum honore vel memoria gessisset, his tamen factis abunde se posteritati commendasset.

An.M. 3774. Ol. 125. 1. Vrb.C. 473. Ant.Ch. 279.

3. Æque mitis animus Pyrrhi Regis. Audierat quosdam Tarentinorum in convivio [1] parum honoratum de se sermonem habuisse, accersitosque qui ei interfuerant, percontabatur, an ea quæ ad aures ejus pervenerant, dixissent. Tum ex his unus: nisi, inquit, vinum nobis defecisset, ista quæ tibi relata sunt, præ iis quæ de te locuti eramus, lusus ac jocus fuissent. Tam urbana crapulæ excusatio, tamque simplex veritatis confessio, iram Regis convertit in risum. Qua quidem clementia & moderatione assecutus est, ut sobrii sibi Tarentini gratias agerent, & ebrii bene precarentur. Ab eadem altitudine humanitatis, legatis Ro-

An.M. 3774. Ol. 125. 1. Vrb.C. 473. Ant.Ch. 279.

INTERPRETATIO.

a *Quis autem non curreret osculari illam dexteram, cui jam languida morte vicina humanitas potius quam vitalis spiritus vires dedit, ut maximus illam exercitus deoscularetur.*

NOTÆ.

1. *Parum honoratum.*] Cum Pyrrhus Tarentinos idcirco bello ineptos cerneret, quod diffluerent mollitie, balneisque & conviviis nimio plus indulgerent, claudi jussit Gymnasia, ludis, comessationibus & compotationibus interdixit; quod illis tam ægre fuit, ut Pyrrhum probris omnibus identidem lacerarent: quare veritus ille, ne deficerent ad Romanos, alios alia de causa in Epirum misit.

manorum

manorum ad redimendos captivos castra sua petentibus, quo tutius venirent, Lyconem Molossum obviam misit: quoque honoratius exciperentur, ipse cum ornato equitatu extra portam occurrit. [a] Secundarum rerum proventu non adeo corruptus, ut officii prospectum in iis deponeret, qui tum maxime armis cum eo diffidebant.

4. Cujus tam mitis ingenii debitum fructum ultimo fati sui tempore recepit. Nam cum diris auspiciis [1] Argivorum invasisset urbem, abscissumque caput ejus Alcyoneus Antigoni Regis filius ad patrem propugnatione laborantem lætus velut aliquod felicissimum victoriæ opus attulisset: Antigonus correpto juvene, quod tanti viri subitæ ruinæ, immemor humanorum casuum, effuso gaudio insultaret: humo caput sublatum, causea, qua velatum caput suum more Macedonum habebat, texit: corporique Pyrrhi redditum, honoratissime cremandum curavit. Quin etiam filium ejus [2] Helenum captivum ad se pertractum, & cultum & animum gerere regium jussit, [3] ossaque Pyrrhi ei aurea urna inclusa, Epirum in patriam [4] ad Alexandrum fratrem portanda dedit. An.M.3782. O'. 427. 1. Vrb. C. 181. Ant.Ch. 271.

5. Campani autem exercitum nostrum [5] cum Consulibus apud [6] Caudinas An.M. 3735. Ol. 114. 4. Vrb. C. 432. Ant.Ch. 320.

INTERPRETATIO.

a *Non adeo elatus fuit felici rerum suarum fortuna, ut non prospiceret quid officij præstandum esset iis, qui tum maximum cum ipso bellum gerebant.*

NOTÆ.

1. *Argivorum invasisset urbem.*] Sic Pyrrhus cecidit ducum omnium post Alexandrum præstantissimus. Ad Argos hinc Pyrrhus, inde Antigonus castra habebant: cumque etiam civium principes Aristias & Aristippus inter se dissiderent, ille Pyrrhum, hic Antigonum filium ex altera parte in urbem de nocte inducit: quare magna confusione diu certatum est; sed ubi diluxit, territus est Pyrrhus, & hostium multitudine, & figura tauri cum lupo pugnantis: fuerat enim prædictum illi mortem instare, cum eam speciem cerneret. Paulo post ex urbe tentat egredi; at in suos, qui opem illi ferre properabant, incurrit: dumque alii egredi, ingredi alii nituntur, Pyrrhus in hostes irruentes se convertit, & cum Argivo quodam pugnabat, cum mota periculo filii mater, ingentem tegulam è fenestra in illius caput dejicit: tum à Zopyro Antigoni duce cognitus, capite truncatus est. Quæ multis Plut. persequitur in Pyrrho. Argos inclyta fuit Peloponnesi civitas: unde & Argolicus sinus, & Græci Argivi dicti sunt.

2. *Helenum captivum.*] In Helenum obsoleta opertum chlamydula forte incidit Alcyoneus; tum eum benigne appellat, & ad patrem adducit. Cui Antigonus. *Melius*, inquit, *sic, quam ante, fili; sed tamen ne nunc quidem recte, quod vestem hanc, qua nos victores dedecet, non detraxeris.* Hoc Plut.

3. *Ossa Pyrrhi.*] Scribit Iustinus Heleno insepulti patris ossa in patriam referenda dedisse.

4. *Ad Alexandrum fratrem.*] Is Pyrrhi filius fuit, & Heleni frater.

5. *Cum Consulibus.*] T. Veturio Calvino & Sp. Posthumio Albino.

6. *Caudinas furcas.*] Non procul à Benevento, ita natus locus est: saltus duo alti, angusti, silvosique sunt; montibus circa se perpetuis inter se juncti: jacet inter eos satis patens, clausus in medio campus, per quem medium iter est. Ita Livius l. 9.

furcas, [1] sub jugum à Samnitibus missum; nec inermem tantum; sed etiam nudum urbem suam intrantem; perinde ac victorem, & spolia hostium præ se ferentem venerabiliter exceperunt: Protinusque Consulibus insignia honoris, militibus vestem, arma, equos, commeatum benignissime præstando, & inopiam & deformitatem Romanæ cladis mutarunt: Quo animo si pro imperio nostro adversus Annibalem quoque usi fuissent, [2] truculentis securibus materiam sæviendi non præbuissent.

An.M. 3838. Ol. 141. 1. Vrb.C. 537. Ant.Ch. 215.

6. Facta mentione acerrimi hostis, mansuetudinis ejus operibus, quam Romano nomine præstitit, [a] locum qui inter manus est, finiam. Annibal enim Æmilii Pauli [3] apud Cannas trucidati quæsitum corpus, quantum in ipso fuit, inhumatum jacere passus non est. Annibal Ti. Gracchum, Lucanorum circumventum insidiis, [4] cum summo honore sepulturæ mandavit; & ossa ejus in patriam portanda militibus nostris tradidit. Annibal M. Marcellum in agro Brutio, dum conatus Pœnorum cupidius quam consideratius speculatur, interemptum, legitimo jure extulit: Punicoque [5] sagulo, & corona donatum laurea, rogo imposuit. Ergo humanitatis dulcedo etiam in efferata barbarorum ingenia

An.M. 3842. Ol. 142. 1. Vrb C. 541. Ant.Ch. 211.

Interpretatio.

a *Hoc caput de humanitate finiam.*

Notæ.

1. *Sub jugum à Samnitibus.*] C. Pontius Samnitium dux circa Caudium castra quam potest occultissime locat: tum rumorem spargi jubet Lucenam Samnites circumsidere, nec procul abesse, quam vi capiant; Consules viam, quæ brevior erat, per furculas Caudinas sequuntur: at ubi ingressi, alterum exitum arboribus, alterum Samnitium armis clausum inveniunt. Herennius Pontii pater vir longe prudentissimus censuit Romanos, vel inde quamprimum inviolatos dimittendos, vel ad unum interficiendos: neutra sententia accepta, sub jugum omnes mitti placuit; primum Consules prope seminudi sub jugum missi, tum ut quisque gradu proximus erat, ita ignominiæ objectus: deinceps singulæ legiones.

2. *Truculentis securibus.*] Quia Capua à Fulvio Flacco capta, Campanorum nobilissimi quique, quod ad Annibalem defecissent, securi percussi sunt.

3. *Apud Cannas trucidati.*] Paulus licet primo statim prælio funda graviter ictus fuisset; tamen sæpe occurrit hostibus, & prælium aliquot in locis restituit: cumque certa Annibalis victoria fuit, sedit in saxo cruore oppletus, & equum sibi à Cn. Cornelio oblatum repudiavit. *Abi*, inquit, *nuncia publice Patribus, Vrbem muniant, ac priusquam hostis victor adveniat, præsidiis firment; privatimque Fabio L. Æmilium præceptorum ejus memorem extitisse, & vixisse, & adhuc mori.* Illum deinde hostes ignorantes, quis esset, obruerunt telis. Hæc Livius l. 22.

4. *Cum summo honore.*] Alii in castris Romanis, alii in Punicis sepultum volunt ipso Annibale exequias celebrante; alii solum Gracchi caput delatum ad Annibalem, & ab eo missum ad Cn. Cornelium Quæstorem. Quomodo occisus sit Gracchus, diximus l. 1. c. 6. n. 8.

5. *Sagulo & corona.*] Vbi in tumulum venit, corpus intuens nullam vultu lætitiam præ se tulit, nullumque verbum emisit arrogantius; annuloque ablato, corpus magnifice ornatum cremari jussit. De Marcelli cæde vide lib. 1. c. 6. n. 9.

penetrat, torvosque & truces hostium mollit oculos, ac victoriæ insolentissimos spiritus flectit. Nec illi difficile & arduum est, inter arma contraria, inter districtos cominus mucrones placidum iter reperire. Vincit iram, prosternit odium, hostilemque sanguinem hostilibus lacrymis miscet. [a] Quæ etiam admirabilem Annibalis vocem pro funeribus Romanorum Ducum arbitria statuentis expressit. Quare aliquanto ei plus gloriæ Paulus, Gracchus & Marcellus sepulti, quam oppressi attulerunt: Siquidem illos Pœnico astu decepit, Romana mansuetudine honoravit. Vos quoque fortes, ac piæ umbræ, non pœnitendas sortitæ estis exequias: nam ut [b] optabilius in patria, ita speciosius pro patria collapsæ, supremi officii decus infelicitate amissum, virtute recuperastis.

INTERPRETATIO.

[a] *Quæ etiam expressit vocem admiratione dignam ex Annibale, qui pro arbitrio statuere poterat de sepulturis ducum Romanorum.*

[b] *Optabilius quidem fuisset in patria mori, gloriosius tamen pro patria necati virtute recuperastis supremum exequiarum honorem infelicitate amissum.*

CAP. II.

DE GRATITUDINE.

ROMANORUM.

1. *Senatus Romani.*
2. *Iuventutis Romanæ.*
3. *Plebis Romanæ.*
4. *M. Minucii Rufi Mag. Equit.*
5. *Q. Terentii Culeonis.*
6. *Civium è Græcia liberatorum.*
7. *Q. Metelli Pii Cos.*
8. *C. Marii Cos. IV.*
9. *L. Syllæ Dictatoris.*
10. *Libitinariorum.*

EXTERNORUM REGUM.

1. *Darii Persarum.*
2. *Mithridatis Ponti.*
3. *Attali Asiæ.*
4. *Massanissæ Numidiæ.*

GRatas vero ingratasque animi significationes, & facta libuit ocu- An.M. 3567.
lis subjicere; ut virtuti ac vitio justa merces æstimationis ipsa Ol. 73. 2.
comparatione accederet. Sed quoniam contrario proposito sese distin- Vrb.C. 266.
xerunt, nostro quoque stylo separentur: prioremque locum obtineant, Ant.Ch.486.
quæ laudem, quam quæ reprehensionem merentur.

1. Atque ut à publicis actis ordiar, Marcum Coriolanum [1] patriam oppugnare conantem, admotoque portis Urbis ingenti Volscorum

NOTÆ.

1. *Patriam oppugnare conantem.*] De Marco Coriolano jam alibi dictum est à nobis. De æde Fortunæ muliebris lib. 1. cap. 8. num. 4.

exercitu, funus ac tenebras Romano Imperio minitantem; Veturia mater & Volumnia uxor nefarium opus exequi precibus suis passæ non sunt. In quarum honorem Senatus matronarum ordinem benignissimis decretis adornavit. Sanxit namque uti fœminis semita viri cederent, confessus plus salutis Reipub. in stola quam in armis fuisse: [1] vetustisque aurium insignibus novum vittæ discrimen adjecit: Permisit quoque his purpurea veste & aureis uti [2] segmentis. Super hæc ædem & aram Fortunæ Muliebri eo loco, quo Coriolanus exoratus fuerat, faciundum curavit, memorem beneficii animum suum exquisito religionis cultu testando.

Quem secundi etiam belli Punici tempore exhibuit. Cum enim à Fulvio Capua obsideretur, ac duæ Campanæ mulieres benevolentiam erga Romanos dimittere ex animis noluissent, Vestia Opidia materfa-
An. M. 3843. milias, & Cluvia Facula meretrix; quarum altera quotidie pro salute
Ol. 142. 2. nostri exercitus sacrificavit, altera captis militibus Romanorum ali-
Vrb. C. 542. menta subministrare non destitit. Urbe illa oppressa, Senatus his & li-
Ant. Ch. 210. bertatem & bona restituit: & si quid amplius præmii petiissent, libenter se daturum asseveravit. [a] Vacasse in tanto gaudio Patribus Conscriptis duabus humilibus fœminis referre gratiam, nedum tam præ se tulisse, mirandum.

An. M. 3600.
Ol. 81. 3. 2. Quid illa quoque juventute Romana gratius? quæ [3] C. Naucio &
Vrb. C. 299. Minucio Coss. ultro nomina sua militari sacramento obtulit, ut Tus-
Ant. Ch. 453. culanis, quorum fines Æqui occupaverant, præsidium ferrent; quia paucis ante mensibus constantissime & fortissime Imperium Romani populi defenderant. Ergo quod auditu novum est, ne patriæ grata voluntas cessasse videretur, exercitus se ipse conscripsit.

An. M. 3851.
Ol. 144. 2. 3. Magnum grati populi specimen in [4] Q. Fabio Maximo enituit:
Vrb. C. 550. Nam cum quinque Consulatibus salutariter Reipub. administratis de-
Ant. Ch. 202.

INTERPRETATIO.

a *Mirandum est Patres Conscriptos non solum præ se tulisse, sed etiam retulisse gratiam duabus humilibus fœminis in tanta lætitia.*

NOTÆ.

1. *Vetustis aurium insignibus.*] Inaures Colerus intelligit, quorum usus perantiquus: elenchos etiam appellabant

2. *Segmentis.*] Segmenta dicuntur & redimicula, quibus mulieres utuntur ad capitis ornamentum; & fasciæ quibus caput circumdatur.

3. *C. Naucio & Minucio Coss.*] Quorum ille Sabinos ad Eretum vicit; hic ab Æquis obsessus in castris est, & à Quintio Cincinnato liberatus. Non his Consulibus, sed triennio post T. Romilio & C. Veturio Consulibus, auxilium datum Tusculanis scribit Livius: tum enim Romani memores Tusculanos contra Herdonium sibi adfuisse, ultro nomina dederunt, victique Æqui ad Algidum, eorumque castra direpta L. Licinio Dentato duce, ut diximus.

4. *Q. Fabio Maximo.*] Cunctatore, qui sub id tempus, quo reliquit Italiam Annibal, ex morbo decessit.

cessisset, certatim æs contulit; quo major ac speciosior ejus funeris pompa duceretur. Elevet aliquis præmia virtutis, cum animadvertat fortes viros felicius sepeliri, quam vivere ignavos.

4. [1] Fabio alteri etiam incolumi summa cum gloria gratia relata est: Dictatori ei Magister Equitum Minucius [2] scito plebis, quod nunquam antea factum fuerat, æquatus; partito exercitu separatim in Samnio cum Annibale conflixerat: Ubi temere inito certamine pestiferum habiturus exitum, [3] subsidio Fabii conservatus, & ipse eum [4] patrem appellavit, & à legionibus suis patronum salutari voluit: Ac deposito æqualis Imperii jugo, Magisterium Equitum, sicut par erat, Dictaturæ subjecit: imprudentisque vulgi errorem gratæ mentis significatione correxit.

An.M. 3837.
Ol. 140. 4.
Vrb. C. 536.
Ant.Ch. 216.

5. Tam hercle probabiliter, quam Q. Terentius Culeo Prætoria familia natus, & inter paucos Senatorii Ordinis splendidus, optimo exemplo Africani superioris currum triumphantis, quia captus à Carthaginiensibus ab eo fuerat recuperatus, [5] pileum capite gerens, secutus est. Auctori enim libertatis suæ, tanquam patrono accepti beneficii, confessionem, spectante populo Rom. merito reddidit.

An.M. 3852.
Ol. 144. 2.
Vrb. C. 551.
Ant.Ch. 201.

6. At Flaminini, de Philippo Rege triumphantis currum, non unus, sed duo millia civium Romanorum pileata comitata sunt: quæ Punicis bellis intercepta, & in Græcia servientia, [6] cura sua collecta, in pristinum gradum restituerat. Geminatum ea die decus Imperatoris, à quo simul & devicti hostes, & conservati cives spectaculum patriæ præbue-

An.M 3860.
Ol 146. 3.
Vrb. C. 559.
Ant.Ch. 193.

NOTÆ.

1. *Fabio alteri.*] Falsus est Valerius; nec enim alter Fabius est, sed idem Cunctator.

2. *Scito plebis.*] Cur Dictatori Fabio adæquatus Minucius diximus supra.

3. *Subsidio Fabii.*] Vbi Minucium ab Annibale circumventum vidit Fabius, exclamasse fertur: *O dii immortales, quanto celerius quam timui, serius tamen quam cupivit, perdidit se Minucius. Nunc milites, si quis meminit M. Minucii properet: Vir enim est egregius, & amans patriæ: aliud jurgandi succensendique tempus erit. Nunc signa extra vallum proferte; victoriam hosti extorqueamus, confessionem erroris civibus.* Antequam cum hoste manum consereret, Pœnus receptui cecinit, palam ferente Annibale ab se Minucium, seà Fabio victum: eumque ex acie redeuntem dixisse ferunt, tandem eam nubem quæ sederet in jugis montium sollicitatam procella imbrem dedisse.

4. *Patrem appellans.*] Liberatus enim Minucius ad castra Dictatoris cum suis properat; utque constituta sunt ante tribunal signa: *Parentibus*, inquit, *meis, Dictator, quibus te modo nomine, quo fando possum, æquavi, vitam tantum debeo; tibi, tum meam salutem, tum omnium horum. Duplicem victoriam obtinuisti, virtute de hostibus, consilio & humanitate de Collega: Itaque plebiscitum, quo oneratus sum magis, quam honoratus, primus antiquo abrogoque, &c.* Ita Livius l. 22. & Plut. in Fabio.

5. *Pileum capite gerens.*] Vt ostenderet se virtute Scipionis libertate donatum esse.

6. *Cura sua collecta.*] Id etiam factum à Flaminino tradit Livius; Polybius tamen & Plutarchus volunt Romanos captivos ab Achæis ultro quæsitos: quod centum talentis illis stetit, ex Polybio.

runt. Illorum quoque salus dupliciter omnibus accepta fuit : & quia tam multi, & quia tam grati exoptatum libertatis statum recuperaverunt.

An.M. 3974. Ol.175. 1. Vrb.C. 673. Ant.Ch. 75.

7. Metellus vero Pius [1] pertinaci erga exulem patrem amore, tam clarum lacrymis, quam alii victoriis, cognomen assecutus, non dubitavit Consul pro [2] Q. Calidio Præturæ Candidato supplicare populo, quod Tribunus plebis legem, qua pater ejus in civitatem restitueretur, tulerat. Quin etiam patronum eum domus & familiæ suæ semper dictitavit. Nec hac re de principatu, quem procul dubio obtinebat, quicquam decerpsit ; quia non humili, sed grato animo, longe inferioris hominis merito eximiam summittebat dignitatem.

An M.3953. Ol. 169. 4. Vrb. C. 6·2. Vrb. C. 100.

8. Nam C. quidem Marii non solum præcipuus, sed etiam præpotens gratæ mentis fuit impetus : Duas etiam [3] Camertium cohortes, mira virtute vim Cimbrorum sustinentes, in ipsa acie, adversus conditionem fœderis civitate donavit : Quod quidem factum & vere & egregie excusavit, dicendo, inter armorum strepitum, verba se juris civilis exaudire non potuisse. Et sane id tempus erat, quo magis defendere, quam audire leges oportebat.

An.M. 3975. Ol. 175. 2. Vrb.C. 674. Ant.Ch.78.

9. C. Marii vestigia ubique L. Sylla certamine laudis subsequitur: Dictator enim Pompeio etiam privato caput adaperuit, & sella assurrexit, & equo descendit. Eaque se libenter facere in concione prædicavit, memor ab eo duodeviginti annis nato partes suas [4] exercitu paterno adjutas. Multa insignia Pompeio ; sed nescio an hoc quicquam admirabilius contigerit, quod magnitudine beneficii Syllam sui oblivisci coëgit.

An.M.4011. Ol. 184. 2. Vrb.C.710. Ant.Ch. 42.

10. Sit aliquis in summo splendore etiam sordidis gratis locus, [5] M. Cornuto Prætore funus [6] Hirtii & Pansæ jussu Senatus locante,

NOTÆ.

1. *Pertinaci erga exulem patrem.*] Cum Furius Tribunus plebis, ne rediret Metellus Numidicus, obsisteret, illius filius in conspectu populi ad Furii pedes supplex diu jacuit: quem cum Furius repulisset, à furente populo ipse discerptus ; Metellus vero Pii cognomen adeptus est.

2. *Q. Calidio.*] Qui ex Prætura sortitus Hispaniam, post reditum à Q. Gallio damnatus est.

3. *Camertium cohortes.*] Fœdus erat, ne Camertini civitate donarentur. Camerte fuit Vmbriæ oppidum in Picentinis montibus.

4. *Exercitu paterno.*] Postquam enim Cn. Pompeius Strabo illius pater de cœlo tactus periit, ipse etiam tum admodum juvenis cum tribus legionibus Syllæ partes secutus est. De illius victoriis consule lib.1. c.6. n.12.

5. *M. Cornuto.*] Ex qua familia Cornutus ille fuerit, incertum est : Cæciliis enim & Aureliis id cognomen tribuitur. Ipse Prætor pro Senatu contra Antonium munus Consulare gessit ; & suis militibus ad Octavium dilapsis, sibi manus intulit.

6. *Funus Hirtii & Pansæ.*] Ad Mutinam uterque cecidit. Ad Hirtium & Octavium Pansa veniebat, cum Prætoriani Antonii milites illum aggrediuntur ; ingens utrimque oritur pugna, in qua Pansa veruto per ilia transfixus Bononiæ paulo post obiit. Paucis interjectis diebus

qui tunc [a] [1] Libitinam exercebant, cum rerum ſuarum uſum, tum miniſterium ſuum gratuitum polliciti ſunt; quia hi pro Republica dimicantes occiderant. Perſeverantique poſtulatione extuderunt, ut exequiarum apparatus ſeſtertio nummo ipſis præbentibus addiceretur; Quorum laudem adjecta lege conditio auget magis, quam extenuat: quoniam quidem quæſtum contempſerunt, nulli alii rei quam quæſtui viventes.

INTERPRETATIO.

a Vilis conditio Libitinariorum illorum laudem magis auget quam minuit, præcipue cum lex eſſet, ne funus gratis fieret.

NOTÆ.

Hirtius Antonium ad pugnam allicit; jamque victor in illius caſtra irruperat, cum circa Prætorium fortiter dimicans occubuit.

1. *Libitinam.*] Quod in templo Veneris Libitinæ venderentur ea quæ ad funera pertinent: ideo ii qui curabant funera, Libitinarii dicti ſunt.

EXTERNA.

[a] Pace cinerum ſuorum Reges gentium externarum ſecundum hunc tam contemptum gregem referri ſe patientur: qui aut non attingendus, aut non niſi in ultima parte domeſticorum exemplorum collocandus fuit. Sed dum honeſti actus etiam ab infimis editi, memoria non intercidant, [b] licet ſeparatum locum obtineant: ut nec his adjecti, nec illis prælati videantur.

1. [1] Darius privatæ adhuc fortunæ, amiculo [2] Syloſontis Samii delectatus, curioſiore contemplatione fecit, ut ultro ſibi, & quidem à cupido daretur. Cujus muneris quam grata æſtimatio animo ejus eſſet allapſa, [3] regno potitus oſtendit: totam namque urbem & inſulam Samiorum, Syloſonti fruendam tradidit. Non enim pretium rei æſtimatum, ſed occaſio liberalitatis eſt honorata; magiſque à quo donum proficiſ-

An.M. 3716.
Ol 110. 3.
Vrb.C. 415.
Ant.Ch 357.

INTERPRETATIO.

a Reges gentium exterarum bona ipſorum venia non ægre ferent commemorari ſua facta poſt Libitinarios homines contemptos.

b Licitum eſt ut ſeparatim illorum geſta narrentur.

NOTÆ.

1. *Darius privatæ adhuc, &c.*] Filium Arſami facit Euſebius; Arſanis, qui Occhi frater erat, Diodorus; incertæ originis Iuſtinus.

2. *Syloſontis.*] Polycratis Samiorum tyranni is frater erat, qui Samiorum urbem cædibus vacuam fecit: unde illud, ἕκητι Συλοσῶντος εὐρυχωρίη, hoc eſt, *Syloſontis opera locus amplus eſt.* Ita Strabo l.14.

3. *Regno potitus.*] Poſtquam Arſes cum filiis omnibus ab Eunucho Bagoa ſublatus eſt, Codomanus, id enim nominis Dario tum erat; ſive ob præclare geſta in Armenios, ut vult Iuſtinus; ſive, ut pla-

ceretur, quam ad quem perveniret, provisum.

An. M. 3966 Ol. 173. 1. Vrb. C. 665. Ant. Ch. 87.

2. Mithridates quoque Rex magnifice gratus apparuit, quoniam pro Leonico acerrimo salutis suæ defensore [1] à Rhodiis navali pugna excepto, omnes hostium captivos permutavit; satius esse existimans ab invisissimis circumveniri, quam benemerito gratiam non referre.

An. M. 3920. Ol. 161. 3. Vrb. C. 619. Ant. Ch. 133.

3. Liberalis populus Romanus magnitudine muneris, quod [2] Attalo Regi Asiam dedit dono. Sed Attalus etiam testamenti æquitate gratus, qui eandem Asiam populo Romano legavit. Itaque nec hujus munificentia, nec illius tam memor beneficii animus tot verbis laudari potest, quot amplissimæ civitates vel amice datæ, vel pie redditæ sunt.

An. M. 3853. Ol. 144. 4. Vrb. C. 552. Ant. Ch. 200.

4. Cæterum nescio an præcipue Massanisæ Regis pectus grati animi pignoribus fuerit refertum: [3] Beneficio enim Scipionis & Romanorum amicitiæ, & perampli regni modo liberaliter auctus; memoriam inclyti muneris ad ultimum vitæ finem, longa etiam à Diis immortalibus senectute donatus, constantissima fide perduxit. Adeo ut eum non solum Africa, sed etiam cunctæ gentes scirent amiciorem Corneliæ familiæ, atque urbi Rom. quam sibimet ipsi semper fuisse. Ille, cum gravi Carthaginiensium bello premeretur, ac vix tutelæ sui regni sufficeret: tamen Scipioni Æmiliano, quia nepos Africani erat, bonam magnamque partem Numidici exercitus, quem ad Lucullum Consulem, à quo ad auxilia petenda missus fuerat, in Hispaniam duceret, promptissima mente tradidit, præsentique periculo respectum pristini beneficii anteposuit. Ille, cum jam ætate deficiente, magnas regni opes, [4] quatuor & quinquaginta filiorum numerum relinquens, in lectulo laberetur, M V. [5] Manlium, qui Proconsul Africam obtinebat, literis obsecravit, ut ad se Scipionem Æmilianum, sub eo tunc militantem, mitteret: feliciorem mortem suam futuram ratus, si in complexu dextræ ejus supremum spiritum ac mandata posuisset. Ille adventum Scipionis [6] fatis suis

An. M. 3903. Ol. 157. 2. Vrb. C. 602. Ant. Ch. 150.

An. M. 3906. Ol. 158. 1. Vrb. C. 605. Ant. Ch. 147.

NOTÆ.

cet Diodoro, à Bagoa productus, Rex creatus est: ita enim Arrianus & Q. Curtius.

1. *A Rhodiis.*] Quibus, victo Aquilio, Mithridates bellum intulit; sed ab iis prælio navali superatus est.

2. *Attalo Regi.*] Errat Valerius; nec enim Attalo, sed Eumeni illius patri pars Asiæ à Romanis concessa est. Attalus ille parum sanæ mentis fuisse dicitur à Iustino.

3. *Beneficio enim Scipionis.*] Vbi Scipio bellum Punicum secundum confecit, Massinissæ, cum paternum Numidiæ regnum, quod Syphax usurpaverat, redditum est: tum pars addita, & regni Syphacis, & agri Carthaginiensis. De legatione Scipionis Æmiliani ad Massinissam diximus l. 1. c. 1. Ext. n. 2.

4. *Quatuor & quinquaginta filios.*] Totidem numerat Eutropius; decem tantum Diodorus & Appian. quos inter tres legitimi, Micipsa, Gulussa & Manastabal: plures quidem habuerat, sed alii alio tempore perierant.

5. *Manlium.*] Melius legeris Manilium, qui bellum Punicum tertium inchoavit, sub quo Scipio quartæ legionis Tribunus erat.

6. *Fatis suis præcurrentibus.*] Ita etiam

præcurrentibus

præcurrentibus, hæc uxori, liberisque præceperat: Unum in terris populum Romanum, & in unam in populo Romano Scipionis domum nosse; integra omnia Æmiliano se servare, eum [1] dividendi regni arbitrum haberent: quod is statuisset, perinde ac testamento cautum, immutabile ac sanctum obtinerent. Tot tamque variis rebus se Massanisa infatigabili pietatis serie [2] ad centesimum extendit annum. His & horum similibus exemplis, beneficentia generis humani nutritur atque augetur. Hæc sunt ejus faces, hi stimuli, propter quos juvandi & emerendi cupiditate flagrat. [a] Et sane amplissimæ & speciosissimæ divitiæ sunt, feliciter erogatis beneficiis, late posse censeri Quorum quoniam religiosum cultum instituimus, nunc neglectum, sugillandi gratia, quo sit gratior, referemus.

INTERPRETATIO.

a *Amplissimæ & gloriosissimæ sunt divitiæ quando possunt judicari collatæ liberaliter viris gratis.*

NOTÆ.

& Appianus, & alii; Cicero tamen vult Scipionem ante Massinissæ obitum advenisse.

1. *Dividendi regni arbitrum.*] Nomen regium legitimis commune esse voluit, regnumque, pro cujusque studio partitus est; Micipsæ pacis amantissimo certa regio assignata; Gulussæ belli studioso, belli pacisque cura commissa; Manastabali, qui literis Græcis eruditus erat, subditis juris dicendi data potestas.

2. *Ad centesimum.*] Eutropius illi tribuit annos 97. Diodorus & Livius 90.

CAP. III.

DE INGRATITUDINE.

1. *Senatus Romani in Romulum.*
2. *Populi Romani in M. Camillum & alios.*
3. *P. Sext. in C. Cæsarem Oratorem.*
4. *Cn. Popilii in M. Ciceronem.*
5. *Cn. Pompeii Magni in Cn. Carbonem.*

EXTERNORUM.

1. *Carthaginiensium in Annibalem.*
2. *Spartanorum in Lycurgum.*
3. *Atheniensium in Thesea, & alios.*

URbis nostræ parentem Senatus in amplissimo dignitatis gradu ab eo collocatus [1] in curia laceravit, nec duxit nefas ei vitam adimere, qui æternum Romano Imperio spiritum ingeneraverat. Rude An.M. 3338. Ol. 16. 1. Vrb C. 37. Ant. Ch. 715.

NOTÆ.

1. *In curia laceravit.*] De Romuli morte multa quidem plane diversa traduntur; in eo tamen plerique conveniunt, quod à Patribus, quibus erat propter im-

nimirum illud & ferox sæculum, conditoris sui cruore fœde maculatum, ne summa quidem posteritatis dissimulare pietas potest.

2. a Hunc ingratum lapsæ mentis errorem, consentanea nostræ civitatis pœnitentia sequitur. Virium Romanarum & incrementum lætissimum, & tutela certissima Furius Camillus in Urbe incolumitatem
An.M.3664. suam tueri non valuit; cujus ipse salutem stabilierat, felicitatem au-
Ol. 97. 3. xerat. Siquidem à L. Apuleio Tribuno plebis tanquam peculator Ve-
Vrb. C. 363. jentanæ prædæ reus factus; duris, atque (ut ita dicam) ferreis senten-
Ant.Ch. 389. tiis [1] in exilium missus est. Et quidem eo tempore, quo optimo juvene filio spoliatus, solatiis magis allevandus, quam cladibus onerandus erat: Sed immemor patria tanti viri maximorum meritorum, exequiis filii, damnationem patris junxit. At, inquit, ærario abesse Tribunus plebis querebatur quindecim millia æris, tanti namque pœna finita est. Indignam summam propter quam populus Romanus tali Principe careret. b Priore adhuc querela vibrante, alia deinceps exurgit. Africanus
An.M. 3867. superior, non solum contusam & confractam belli Punici armis Rem-
Ol. 148 2. publicam, sed pene jam exsanguem, atque morientem, Africæ domi-
Vrb.C. 566. nam reddidit: cujus clarissima opera injuriis pensando cives, vici
Ant.Ch. 186. eum ignobilis, ac desertæ paludis accolam fecerunt: Ejusque voluntarii exilii acerbitatem non tacitus ad inferos tulit, [2] sepulcrho suo inscribi jubendo, [3] INGRATA PATRIA, NE OSSA QUIDEM MEA HABES. Quid ista aut necessitate indignius, aut querela justius, aut ultione moderatius? c Cineres ei suos negavit, quam in cineres collabi passus non fuerat. Igitur hanc unam Scipionis vindictam ingrati animi urbs Roma sensit; majorem me hercle Coriolani violen-

INTERPRETATIO.

a *Facinus haud absimile nostræ civitati pœnitendum sequitur hoc peccatum ingratitudinis.*

b *Priore hac ingratitudine nondum penitus obliterata, alia etiam admittitur.*

c *Negavit cineres suos patriæ, quam non passus est ab Annibale in cineres redigi.*

NOTÆ.

potentiam invisus, discerptus sit; sive in Curia, ut vult Valerius; sive in Æde Vulcani, ut placet nonnullis apud Plutarchum; sive potius, quæ Dionysii & Livii sententia est, ad Capreæ paludem, dum concionem haberet, aut recenseret exercitum.

1. *In exilium missus est.*] Dum abiret ex urbe Superos precatus dicitur, ut si injuria innocenti sibi fieret, primo quoque tempore ingratæ civitati sui desiderium facerent. Vide l. 1. c. 5. n. 2. De Africani majoris exilio pluribus egimus.

2. *Sepulchro suo inscribi.*] Vbi & quando Scipio Africanus major & mortuus, & elatus sit, sicut pleraque alia, parum inter auctores constat: alii Romæ, alii Literni & mortuum & sepultum. Vtrobique monumenta erant, & statuæ, quæ tum Literni, tum Romæ se vidisse testatur Livius. Erant Romæ in Scipionum monumento extra portam Capenam tres statuæ; duæ P. & L. Scipionum, tertia Poëtæ Q. Ennii.

3. *Ingrata patria.*] Non omnis tamen, sed plebs sola: nam gratiæ ingentes ab

tia. Ille enim metu patriam pulsavit, hic verecundia: De qua ne queri quidem tanta veræ pietatis constantia nisi post fata sustinuit. [a] Talia passo (credo) quæ fratri ejus accidere solatio esse potuerunt: cui Rex Antiochus devictus, & Asia Imperio populi Romani adjecta, speciosissimusque triumphus, ut peculatus reus fieret, & in carcerem duci juberetur, causam præbuit.

Nihilo virtute minor fuit posterior Africanus; sed ne exitu quidem felicior: Duabus enim urbibus Numantia atque Carthagine Imperio Romano imminentibus, [b] ex rerum natura depulsis, [1] raptorem spiritus domi invenit, mortis punitorem in foro non reperit. Quis ignorat, tantum laudis Scipionem Nasicam toga, quantum armis utrumque Africanum meruisse? Qui pestifera Ti. Gracchi manu faucibus apprehensam Rempublicam strangulari passus non est. Sed is quoque [2] propter iniquissimam virtutum suarum apud cives æstimationem, sub titulo legationis Pergamum secessit. Et quod vitæ superfuit, ibi sine ullo ingratæ patriæ desiderio peregit.

An. M. 3925. Ol. 162. 4. Vrb. C. 624. Ant. Ch. 128.

An. M. 3924. Ol. 162. 3. Vrb. C. 623. Ant. Ch. 129.

In eodem nomine versor, necdum Corneliæ gentis querelas exhausi. Nam [3] P. Lentulus clarissimus & amantissimus Reipub. civis, cum in Aventino C. Gracchi nefarios conatus & aciem, pia ac forti pugna magnis vulneribus exceptis fugasset: prælii illius, quo leges, pacem, libertatemque in suo statu retinuerat, hanc mercedem tulit, ne in urbe nostra moreretur. Siquidem invidia & obtrectatione compulsus, legatione à Senatu libera impetrata, habitaque concione, qua à diis immortalibus petiit ne unquam ad ingratum populum reverteretur, in Siciliam profectus est, ibique perseveranter morando compotem se voti

An. M. 3933. Ol. 164. 4. Vrb. C. 632. Ant. Ch. 120.

Interpretatio.

a *Ego credo, quod quæ fratri ejus postea acciderunt, solatio esse potuerunt Africano talia passo.*

b *Vrbibus penitus eversis, à parricida domi occisus est.*

Notæ.

universo Senatu Ti. Graccho actæ sunt, quod Scipionum defensionem suscepisset.

1. *Raptorem spiritus.*] Cum Fulvio Flacco & C. Carboni de agris dividendis obsisteret; interrogatus de cæde Ti. Gracchi, jure cæsum videri respondit, si Rempublicam opprimere statuisset; clamoremque cum omnis concio tolleret: *Hostium*, inquit, *armatorum toties clamore non territus, quî possum vestro moveri, quorum noverca est Italia.* Deinde sanus in domum rediit, dormientique nocturna vis illata creditur; postridie enim mortuus in cubiculo inventus est, ut narrat Epit. Liv. Criminis admissi suspicio recidit, tum in Fulvium, tum in Semproniam Scipionis uxorem: quod & Gracchorum soror esset, & ob deformitatem & sterilitatem nec à Scipione amata fuisse, nec Scipionem amasse diceretur. Ita Appian.

2. *Propter iniquissimam.*] Veriti Patres, ne morte Scipionis Nasicæ Ti. Gracchi cædem populus ulcisceretur, liberam illi legationem in Asiam decrevit. Paulo post obiit Pergami, ut habet Plutarchus in Gracchis.

3. *P. Lentulus.*] Id temporis Senatus

fecit. Quinque igitur Cornelii totidem sunt ingratæ patriæ exempla. Atque horum quidem secessus voluntarii. Ahala vero, cum Magister Equitum Sp. Mœlium [1] regnum affectantem occidisset, custoditæ libertatis civium [2] exilio suo pœnas pependit.

An.M.3630. Ol. 89. 1. Vrb.C. 329. Ant.Ch.423.

3. [a] Cæterum ut Senatus populique mens in modum subitæ tempestatis concitata, leni querela prosequenda est; ita singulorum ingrata facta liberiore indignatione proscindenda sunt: Quia potentes consilii, cum utrumque ratione perpendere liceret, scelus pietati prætulerunt. Quo enim nimbo, qua procella verborum impium Sextilii caput obrui meretur? quod [3] C. Cæsarem, à quo cum studiose, tum etiam feliciter gravissimi criminis reus defensus fuerat, Cinnanæ proscriptionis tempore profugum, præsidium suum in fundo Tarquiniensi cladis conditione implorare, beneficii jure repetere coactum, à sacris perfidæ mensæ & altaribus nefandorum Penatium avulsum, truculento victori jugulandum tradere non exhorruit. [b] Finge accusatorem ejus, fortuna publica in supplicis nomen conversum, tam luctuosam illum opem genibus annixum orasse, crudeliter tamen repulsus videretur: quia etiam quos injuriæ invisos faciunt, gratiosos miseriæ reddunt. Verum Sextilius non accusatorem, sed patronum sævissimæ inimici violentiæ suis manibus objecit: si metu mortis, vita indignus: si præmii spe, morte dignissimus.

An.M.3967. Ol. 173. 2. Vrb.C. 666. Ant.Ch.86.

4. Sed ut ad alium consentaneum huic ingrati animi actum transgre-

An.M. 4011. Ol. 184. 2. Vrb. C. 710. Ant.Ch. 42.

INTERPRETATIO.

a Cæterum sicut non gravi querela invehere debemus in Senatum & populum, si quando eorum mens in modum tempestatis subito orta, ad iram concitata sit: ita, &c.

b Etiam si fingeres illius Sextilii accusatorem factum esse supplicem mutata fortuna publica, & ad illius genua provolutum petiisse ab eo tam luctuosam opem, crudeliter tamen egisset, si illum repulisset.

NOTÆ.

princeps, avus Lentuli Suræ, qui ob conjurationem Catilinariam in carcere necatus est.

1. *Regnum affectantem.*] Cum fame laboraret civitas, Sp. Melius ex Equestri Ordine, ut illis temporibus, prædives frumento privata pecunia empto, largitiones facere instituit: cumque & ambire regnum, & in domum arma conferre diceretur, Dictator dicitur L. Quinctius Cincinnatus, Magister Equitum C. Servilius Ahala; qui Sp. Melium, dum ad Dictatorem venire jussus populi fidem implorat, obtruncavit: tum Dictator vocata concione pronunciat Melium jure cæsum; illiusque & diruta domus, & bona publicata. Hæc Livius l. 4.

2. *Exilio suo.*] Duodecim annis post Consul fuit Ahala, depositoque Magistratu in exilium pulsus est. Restitutum tradit Cicero.

3. *C. Cæsarem.*] Tum florebant in Republica L. & C. Cæsares ambo fratres, & viri clarissimi: ille Consularis & Censorius, hic Ædilitius, Poëta & Orator eximius; quem in libris de Oratore loquentem inducit Cicero. Hujus, & fratris caput in rostris Marius exponi jussit: scribit tamen Florus domi suæ fuisse trucidatum; at Cicero & Appian. Valerio consentiunt. De Cinnana proscriptione sæpe antea.

diar, M. Cicero C.[1] Popilium Lænatem, Picenæ regionis, rogatu M. Cœlii, non minore cura qua m eloquentia defendit: eumque[2] causa admodum dubia fluctuantem, salvum ad penates suos remisit. Hic Popilius postea nec re, nec verbo à Cicerone læsus, ultro M. Antonium rogavit, ut ad illum[3] proscriptum persequendum & jugulandum mitteretur: Impetratisque detestabilis ministerii partibus, gaudio exultans[4] Cajetam cucurrit, & virum, omitto quod amplissimæ dignitatis, certe salutis ejus auctorem, studio etiam præstantis officii privatim sibi venerandum, jugulum præbere jussit: Ac protinus caput Romanæ eloquentiæ, & pacis clarissimam dexteram, per summum & securum otium amputavit. Eaque sarcina, tanquam opimis spoliis, alacer in Urbem reversus est. Neque ei scelestum portanti onus succurrit, illud se caput ferre, quod pro capite ejus quondam peroraverat. Invalidæ ad hoc monstrum sugillandum literæ: quoniam qui talem Ciceronis casum satis digne deplorare possit, alius Cicero non extat.

5. Quo te nunc modo, Magne Pompei, attingam, nescio: Nam & amplitudinem fortunæ tuæ, quæ quondam omnes terras, & omnia maria fulgore suo occupaverat, intueor; & ruinam ejus majorem esse, quam ut manu mea attentari debeat, memini. Sed nobis tamen tacentibus Cn. Carbonis, à quo admodum adolescens[5] de paternis bonis in foro dimicans protectus es, [6] jussu tuo interempti mors animis hominum obversabitur, non sine aliqua reprehensione: quia tam ingrato facto plus L. Syllæ viribus, quam propriæ indulsisti verecundiæ.

An.M. 3972.
Ol. 174. 3.
Vrb.C. 671.
Ant.Ch. 81.

NOTÆ.

1. *Popilium.*] Tribunus ille qui Ciceronem occidit: ab Plutarcho & Eusebio *Herennius* dicitur.

2. *Causa admodum dubia.*] Alii parricidii reum; alii in privato judicio defensum volunt.

3. *Proscriptum volunt.*] Cum in multis crudeles se præbuerunt Triumviri, tum in eo maxime, quod Octavius Ciceronem, quem Patrem appellare solebat, Antonio; Antonius Octavio L. Cæsarem avunculum; Lepidus Paulum fratrem ad necem concesserit. De morte Ciceronis vide lib. 1. c. 4. num. 5.

4. *Caietam.*] Vrbem Campaniæ ad littus maris, juxta Bajanum sinum. *Gaiete.*

5. *De paternis bonis.*] Sub mortem patris Pompeius ejus nomine peculatus postulatus est; in quo judicio, cum ingentem animi constantiam præ se tulisset, tum Prætoris Antistii, tum populi totius benevolentiam sibi conciliavit.

6. *Iussu tuo interempti.*] Pompeius multos viros civitatis principes ex Africa, quo fugerant, in Siciliam retraxit: alios ne in conspectum quidem admissos; Carbonem vero ter Consulem pro concione objurgatum interfici jussit. Ipsius Carbonis sæpe meminimus.

EXTERNA.

An.M.3859. Ol.146. 2. Vrb C.558. Ant.Ch. 194.

1. At ne nostra confessis alienigenæ urbes insultent: Carthaginienses Annibalem, qui pro illorum incolumitate & victoria [1] tot Imperatores, totque exercitus nostros trucidaverat; quot gregarios milites hostium si occidisset, magnæ gloriæ foret: [2] è conspectu suo submovere in animum induxerunt.

An.M. 3180. Ant.Ch.873.

2. Neminem Lycurgo aut majorẽ, aut utiliorẽ virum Lacedæmon genuit; ut pote cui Apollo Pythius oraculum petenti respondisse fertur: Nescire se utrum illum hominum, an Deorum numero aggregaret. Huic tamen neque vitæ summa sinceritas, neque constantissimus erga patriam amor, neque leges salutariter excogitatæ auxilio esse potuerunt, quo minus infestos cives experiretur: Sæpe enim lapidibus petitus, aliquando furore publico ejectus, etiam [3] privatus oculo ad ultimum ipsa patria [4] pulsus est. Quid aliæ faciant urbes; ubi etiam illa, quæ constantiæ, & moderationis, & gravitatis eximiam sibi laudem vendicat, tam ingrata adversus tam benemeritum extitit?

An.M. 2833. Ant.Ch.1210.

3. Detrahe Atheniensibus Thesea, nullæ, aut non tam claræ Athenæ erunt: Siquidem ille vicatim dispersos cives suos in unam urbem contraxit; separatimque & agresti more viventi populo, amplissimæ [5] civitatis formam atque imaginem imposuit. Idem sæva potentissimi Regis [6] Minois imperia vixdum ætate pubescente repulit.

NOTÆ.

1. *Tot Imperatores.*] C. Flaminium, L. Æmilium Paulum; M. Marcellum, Ti. Gracchum, &c.

2. *E conspectu suo.*] Cum videret Annibal & Romæ se à suis quasi novis rebus studeret, accusatum, & tres legatos Roma missos Carthaginem, sub vesperam vestitu forensi ad portam cum duobus comitibus egressus est; & inde citatis equis Thapsum pervenit, unde parata navi Tyrum ad Antiochum navigat.

3. *Privatus oculo.*] Epularum modum præscripsit; quod cum ægre admodum ferrent divites, Lycurgus in foro lapidibus petitus sese proripuit: at fugientis tergo inhærens adolescens nomine Alexander, respicienti baculo excussit oculum. Illum sibi traditum à populo nec facto, nec verbo læsit Lycurgus.

4. *Pulsus est.*] Non vi pulsus est, sed ipse Delphos petiit consulturus Apollinem, juramentoque omnes cives adegit, ne quid de legibus ante ipsius regressum immutarent; cumque respondisset oraculum, & leges sapienter institutas, & urbem, quamdiu his legibus uteretur, permansuram; Lycurgus, ne in patriam redire cogeretur, mortem sibi inedia conscivit.

5. *Civitatis formam.*] Constituto Prytanæo, cives in tres classes tribuit, Patricios, Opifices & Agricolas; Patriciisque curam commisit sacrorum & legum.

6. *Minois imperia.*] Androgeos Minois filius ab Atheniensibus occisus est; Minos Ægæo Thesei patri bellum intulit: pax ea lege sancita est, ut septem juvenes quotannis in servitutem ad Minoa mitterentur: missus anno tertio Theseus, qui beneficio Ariadnes sibi fugæ consuluit. Vnde locus fabulæ de labyrintho datus.

Idem effrænatam [1] Thebanorum insolentiam domuit. Idem [2] opem liberis Herculis tulit, & [3] quicquid ubique monstri aut sceleris fuit virtute animi ac robore dexteræ comminuit. Hujus tamen summoti ab Atheniensibus, [4] Scyros [5] exule minor insula, ossa mortui cepit. Jam Solon, qui tam pręclaras, tamque utiles Atheniensibus leges tulit, ut si his perpetuo uti voluissent, sempiternum habituri fuerint Imperium: qui [6] Salamina velut hostilem arcem ex propinquo saluti eorum imminentem [7] recuperavit; qui Pisistrati tyrannidem primus vidit orientem, & solus armis opprimi debere, palam dictitare ausus est; [8] senectutem Cypri profugus exegit: neque ei patria, de qua optime meruerat, humari contigit. Bene egissent Athenienses cum Miltiade, si eum post [9] trecenta millia Persarum [10] Marathone devicta, in exilium protinus misissent, ac non [11] in carcere & vinculis mori coëgissent. Sed ut puto, hactenus sævire adversus optime meritum abunde non duxerunt. Imo ne corpus quidem ejus, sic expirare coacti, sepulturæ prius mandari passi sunt; quam filius ejus [12] Cimon eisdem vinculis se con-

An.M. 3488. Ol. 53. 3. Vrb.C. 187. Ant.Ch. 565.

An.M. 3563. Ol. 72. 2. Vrb. C. 262. Ant.Ch. 490.

NOTÆ.

1. *Thebanorum insolentiam.*] Cum Rex Thebanorum Creon prohiberet, ne corpora eorum, qui in bello Etheoclis & Polynicis ceciderant, sepelirentur; mortuorum & uxores & liberi confugiunt ad Theseum, qui victis Thebanis corpora suis sepelienda tradidit.

2. *Opem liberis Herculis.*] Qui Athenas ad aram Misericordiæ fugerant; quod multi ab Hercule injuria affecti illos persequerentur.

3. *Quicquid ubique monstri.*] Tauros Marathonium & Cretensem; Tyrannos Periphatem, Sinnim, Scyronem & Procrustem.

4. *Scyros.*] Insula contra Magnesiam in mari Ægæo; una ex Cycladibus. *Scyro.*

5. *Exule minor.*] Cum ipse primus Ostracismi legem statuisset, per signa testarum ejectus est, ex Eusebio: quod etiam indicat Plutarchus. Paulo post Lycomedis jussu, qui hac in insula tum imperabat, de rupe in præceps actus est.

6. *Salamina.*] Insulam Euboici maris in sinu Saronico. *Coluri.*

7. *Recuperavit.*] Iamdiu contra Megarenses de Salami pugnatum erat, cum vetitum est, ne quis de hoc bello renovando legem ferret: tum Solon simulata dementia versibus incompositis bellum suasit: Itaque omnium accendit animos, ut extemplo bellum decerneretur, insulaque devictis hostibus Athenienses potirentur. De Pisistrati tyrannide jam sæpius.

8. *Senectutem Cypri.*] Plutarchum inter & Laërtium non convenit: uterque admittit quidem Solonis, seu exilium, seu potius peregrinationem; sed ille ante, iste post Pisistrati tyrannidem: scribit enim Plutarchus illum à Pisistrato in honore habitum Athenis obiisse; Laërtius vero, ubi rerum potitus est Pisistratus, in Ægyptum, inde ad Crœsum, tum in Cyprum se contulisse, ibique mortuum; quod Plutarchus tanquam meram fabulam rejicit.

9. *Trecenta millia.*] Persarum erant sexcenta millia, ex Iustino & Orosio; Atheniensium decem millia cum Thespiensibus mille. Persarum ceciderunt ducenta millia, ex Iustino; ipseque Datys militiæ princeps, ex Ctesia.

10. *Marathone.*] Vrbs erat Atticæ ab Athenis distans circiter decem passuum millia. *Marason.*

11. *In carcere mori.*] Propter infelicem in Parum insulam expeditionem quinquaginta talentis mulctatus; quibus solvendis cum non esset, in carcerem conjectus est, ubi mœrore & vulnere accepto periit.

12. *Cimon eisdem vinculis.*] Cimoni, ut ipsi patris corpus sepelire liceret, pecuniam suppeditavit Callias homo ditissimus, ut

ſtringendum traderet. Hanc hæreditatem paternam maximi ducis filius, & futurus ipſe ætatis ſuæ dux maximus, ſolam ſe ſortitum, catenas ſcilicet & carcerem, gloriari potuit. [1] Ariſtides etiam, quo totius
An.M. 3571. Græciæ juſtitia cenſetur, [2] continentiæ quoque eximium ſpecimen, pa-
Ol 74. 2. tria excedere juſſus eſt. Felices Athenas, quæ poſt illius exilium inveni-
Vrb.C. 270. re aliquem aut virum bonum, aut amantem ſui civem potuerunt: cum
Ant.Ch.482. quo tunc ipſa ſanctitas migravit! Themiſtocles eorum, qui ingratam
patriam experti ſunt, celeberrimum exemplum; cum illam incolumem,
An.M. 3590. claram, opulentam, principem Græciæ reddidiſſet, eouſque ſenſit ini-
Ol. 79. 1. micam, [3] ut ad Xerxis, quem paulo ante deſtruxerat, [4] non debitam
Vrb.C. 289. ſibi miſericordiam profugere neceſſe haberet. Phocion vero his dotibus,
Ant.Ch.463. quæ ad placandum hominem potentiſſimæ judicantur, eloquentia & in-
An.M. 3736. tegritate inſtructiſſimus, [5] non tantum in equuleo ab Athenienſibus
Ol 115. 3. impoſitus eſt; ſed certe poſt obitum nullam Atticæ regionis, quæ oſſi-
Vrb.C. 435 bus ejus injiceretur, glebulam invenit; juſſus extra fines projici, in-
Ant.Ch. 317. tra quos optimus civis duxerat. Quid obeſt igitur, quin publica dementia ſit exiſtimanda, ſummo conſenſu maximas virtutes, quaſi graviſſima delicta punire, beneficiaque injuriis rependere? Quod cum ubique, tum præcipue Athenis intolerabile videri debet; in qua urbe adverſus ingratos actio conſtituta eſt. Et recte: quia dandi & accipiendi beneficii commercium, ſine quo vix vita hominum conſtat, perdit & tollit, quiſquis benemerito parem referre gratiam negligit. Quantam ergo

NOTÆ.

Elpinicem Cimonis ſororem uxorem duceret.

1. *Ariſtides.*] Athenienſis vir prudentia & integritate clariſſimus, cui juſti cognomen amorem quidem populi, ſed Principum invidiam peperit; ac præcipue Themiſtoclis, cujus ſermonibus plebs temere commota Ariſtidem, quaſi tyrannidem affectaret, urbe expulit. Dum abiret, precatus eſſe dicitur, ne Athenienſibus contingerent ea tempora, quibus Ariſtidis meminiſſe cogerentur. Ita Plutarchus. Paulo poſt revocatus eſt, ne ſe Xerxi jungeret.

2. *Continentiæ ſpecimen.*] Oblatam ſibi à Callia magnam vim auri cum repudiaſſet, dixiſſe fertur: *Calliæ vita Ariſtidis paupertate indiget; at paupertas Ariſtidis Calliæ opes contemnit* Paulo aliter Plut.

3. *Vt ad Xerxis.*] Ob nimiam & gloriam & ſeveritatem; aut potius ob ſuſpicionem proditionis Oſtraciſmo urbe pulſus, Argos ſe recepit; inde in Corcyram, tum in Epirum ad Regem Moloſſorum Admetum; poſt Pydnam ad Alexandrum Macedonem, denique ad Regem Perſarum confugit, non Xerxem, ut volunt Diodorus, Valer. & Plut. ſed illius filium Artaxerxem, ut auctor eſt Thucydides; cui vel uni hac in parte, quam aliis omnibus eo crediderim libentius, quod & Themiſtoclis ætati prope ſuppar fuerit, & temporum ratio aliter vix conſtare poſſit.

4. *Non debitam ſibi.*] Ad Artaxerxem his verbis ſcripſiſſe dicitur: *Themiſtocles ad te venio, qui ex omnibus Græcis unus veſtram familiam multis affeci malis.* Apud Regem gratioſus admodum fuit. Aliquanto poſt epoto, vel taurino ſanguine, ut placet Diodoro; vel ut nonnullis apud Thucydidem, veneno, ne bellum inferre patriæ cogeretur; vel, ut tradit ipſe Thucydides, quod verius putem, morbo deceſſit.

5. *Non tantum in equuleo.*] Aliter Plutarchus & Æmilius Probus. Cum No-

reprehenſionem

reprehensionem merentur, qui cum æquissima jura, sed iniquissima haberent ingenia; moribus suis quam legibus uti maluerunt? Quod si qua providentia Deorum effici posset, ut excellentissimi viri, quorum modo casus retuli, legem ingratorum vindicem retinentes, patriam suam in jus ad aliam civitatem pertraherent: nonne ingeniosum & garrulum populum, mutum atque elinguem hac postulatione reddidissent? [a] Discordes foci tui, & pagis dividua tuguria Græciæ facta sunt columen. Lucet Marathon Persicis trophæis: Salamis & [1] Artemisium Xerxis naufragia numerantur: [b] [2] prævalidis mœnibus exhausta mœnia, pulchrioribus operibus consurgunt: harum rerum auctores ubi vixerint, ubi jacent, responde. Nempe Thesea parvulo in scopulo sepeliri, & Miltiadem in carcere mori, & Cimona paternas induere catenas, & Themistoclem victorem victi hostis genua complecti, Solonemque cum Aristide & Phocione penates suos ingrata fugere coëgisti: cum interim cineribus vestris fœde ac miserabiliter dispersis, [3] Oedipodis ossa, cæde patris, nuptiis matris contaminata, inter ipsum Areopagum, divini atque humani certaminis venerabile domicilium, & excelsis præsidiis Minervæ arcem, honore aræ decorata quasi sacrosancta colis: Adeo tibi aliena mala tuis bonis gratiora sunt. Lege itaque legem, quæ te jurejurando obstrictam tenet: & quia benemeritis debita reddere præmia noluisti, læsis justa piacula exolve. Tacent multæ illorum umbræ fati necessitate constrictæ: at immemores beneficiorum Athenas omnis lingua, sermone licenti in reprehensionem soluta, non tacet.

INTERPRETATIO.

a O patria ingrata, tui foci olim divisi, & viles casæ tuæ per agros dispersæ, summorum illorum virorum gestis facta sunt columen totius Græciæ.

b Civitas mœnibus olim prævalidis dirutis eversa, nunc Themistoclis industria pulchrioribus operibus consurgit.

NOTÆ.

bilitas Cassandro, populus Polysperchonti faveret, ut jam diximus, accusatus Phocion, quod Nicanori Pyræum prodidisset. Polysperchontis-ne jussu, an secus, incertum; totius certe populi suffragiis cum aliis damnatus, epota in carcere more patrio cicuta interiit, ossaque illius extra fines Atticæ à servis projecta.

1. *Artemisium.*] Eubœæ promontorium Græcorum in Xerxem victoria nobile.

2. *Prævalidis mœnibus.*] Postquam cives ex responso Apollinis in naves suas refugerunt, Persæ urbem civibus vacuam incenderunt. Urbs tamen paulo post, murique Themistoclis consilio restaurata sunt.

3. *Oedipodis ossa.*] Laii Thebanorum Regis & Iocastæ filius fuit, patris sui parricida, matris maritus, liberorum frater, celebre tragœdiarum argumentum: nota omnibus seu historia, seu fabula. Quid Areopagus explicuimus supra.

CAP. IV.

DE PIETATE IN PARENTES.

CUIUS EXEMPLA ROMANORUM SUNT.

1. *Cn. Marcius Coriolanus.*
2. *P. Scipio Africanus major.*
3. *T. Manlius Torquatus.*
4. *M. Aurelius Cotta.*
5. *C. Flaminius Trib. pleb.*
6. *Claudia virgo Vestalis*
7. *Filia matrem in carcere mamma nutriens.*

EXTERNA.

1. *Pero filia patrem mamma nutriens.*
2. *Cimon Atheniensis.*
3. *Duo fratres Hispani.*
4. *Cleobis & Bithon, Amphinomus & Anapus.*
5. *Scythæ.*
6. *Crœsi Regis filius mutus.*
7. *Pulto Pinnensis juvenis.*

SEd omittamus ingratos, & potius de piis loquamur: aliquanto enim satius est favorabili, quam invisæ rei vacare. Venite igitur in manus nostras prospera parentum vota, felicibus auspiciis propagatæ soboles; quæ efficitis ut & genuisse juvet, & generare libeat.

1. Coriolanus maximi vir animi, & altissimi consilii, optimeque de Republica meritus, iniquissimæ damnationis ruina prostratus, ad Volscos infestos tunc Romanis confugit. Magno ubique pretio virtus æstimatur. Itaque quo latebras quæsitum venerat, ibi brevi summum adeptus est imperium. Evenitque, ut quem pro se salutarem Imperatorem cives habere noluerant, pene pestiferum adversus se ducem experirentur. Frequenter enim fusis exercitibus nostris victoriarum suarum gradibus, aditum juxta mœnia urbis Volsco militi struxit. Quapropter fastidiosus ille in æstimandis bonis populus, qui reo non pepercerat, exuli est coactus supplicare. Missi ad eum deprecandum legati nihil profecerunt: Missi deinde Sacerdotes cum infulis, æque sine effectu redierunt. Stupebat Senatus, trepidabat populus, viri pariter ac mulieres exitium imminens lamentabantur. Tunc Veturia Coriolani mater, Volumniam uxorem ejus, & liberos secum trahens, castra Volscorum petiit. Quam ubi filius aspexit: Expugnasti, inquit, & vicisti iram meam, patria, precibus hujus admotis: cujus utero te, quamvis merito mihi invisam, dono: Continuoque Romanum agrum hostilibus armis liberavit. [a] Ergo pectus dolore acceptæ injuriæ, spe po-

An.M. 3567.
Ol. 73. 2.
Urb C. 266.
Ant.Ch.486.

INTERPRETATIO.

[a] *Ergo pietas Coriolani pectus totum occupavit, licet plenum & dolore injuriæ acceptæ à Romanis, & spe victoriæ obtinendæ de ingratis, & verecundia deferendi belli suscepti, & metu mortis à Volscis forte sibi inferendæ.*

tiundæ victoriæ, verecundia detrectandi ministerii, [1] metu mortis refertum, totum sibi pietas vacuefecit: uniusque parentis aspectus bellum atrox salutari pace mutavit.

2. Eadem pietas viribus suis inflammatum Africanum superiorem, vixdum annos puerilitatis egressum, ad opem patri in acie ferendam virili robore armavit. Consulem enim eum apud Ticinum fluvium adversis auspiciis cum Annibale pugnantem graviter saucium, [2] intercessu suo servavit: neque illum aut ætatis infirmitas, aut militiæ tyrocinium, aut infelicis prælii etiam veterano bellatori pertimescendus exitus interpellare valuit, quo minus duplici gloria conspicuam coronam, Imperatore simul & patre ex ipsa morte rapto, mereretur.

An.M. 3836. Ol. 140. 3. Vrb. C. 535. Ant.Ch. 217.

3. Auribus ista tam præclara exempla Romana civitas accepit, illa vidit oculis. L. Manlio Imperiosso diem ad populum Pomponius Tribunus plebis dixerat, quod [3] occasione bene conficiendi belli ductus legitimum obtinendi Imperii tempus excessisset. Quodque filium optimæ indolis juvenem rustico opere gravatum publicis usibus subtraheret. Id postquam [4] Manlius adolescens cognovit, protinus Urbem petiit, & se in Pomponii domum prima luce direxit: qui existimans in hoc eum venisse, ut patris crimina, à quo plus justo aspere tractabatur, deferret; excedere omnes jussit cubiculo, quo licentius remotis arbitris indicium perageret. Nactus occasionem opportunam proposito suo juvenis, gladium, quem tectum attulerat, distrinxit, Tribunumque minis ac terrore compulsum jurare coëgit, à patris ejus accusatione recessurum: Eoque effectum est, ne Imperiossus causam diceret. Commen-

An.M. 3691. Ol. 104. 3. Vrb. C. 391. Ant.Ch. 361.

NOTÆ.

1. *Metu mortis refertum.*] Ad ea quæ de Coriolano jam diximus, non pigebit hæc addere pauca, quæ ad illius mortem pertinent. Vbi matrem ad pedes provolutam videt, eam complexus, *Vicisti*, inquit, *mater, quod nec tibi, nec mihi bene vertet; patriam quidem servasti, pium vero filium perdidisti.* Vt enim copias ab urbe reduxit, invidia rei oppressum periisse ferunt; sed alii alio leto: lapidibus obrutum Plutarchus, sibi mortem conscivisse Cicero in Lælio, Fabius Pictor apud Livium ad senectutem pervenisse refert; cumque exacta ætate hanc sæpe usurpasse vocem: *Multo miserius seni exilium esse.* Si quis plura avet scire, Livium legat l.2. & Plutarchi Coriolanum.

2. *Intercessu suo servavit.*] Sunt qui non à filio, sed à servo servatum velint; Livius tamen, Florus, Plutarchus & alii Valerio consentiunt, quos inter Polybius rem paulo fusius explicat. Simul ut patrem gravi affectum vulnere, jamque ab hostibus circumventum vidit, illico suos turmales hortatur, ut Consuli opem ferant; cumque illi cunctarentur, in hostes circumfusos equum egit, patremque liberat: tum præsenti ereptus periculo, Consul filium salvatorem suum palam salutavit.

3. *Occasione belli conficiendi.*] Clavi figendi causa Dictator creatus erat; quod tamen bellum Hernicum affectaret, populus, Tribunique querebantur, ipseque seu vi, seu verecundia abiit Dictatura, ex Livio l.7.

4. *Manlius.*] Torquatus, qui tum pius in patrem, in filium postea nimio plus severus.

dabilis est pietas, quæ mansuetis parentibus præstatur: sed Manlius quo horridiorem patrem habuit, hoc laudabilius periculo ejus subvenit; quia ad eum diligendum præter naturalem amorem nullo indulgentiæ blandimento invitatus fuerat.

4. Hanc pietatem æmulatus [1] M. Cotta, eo ipso die, quo togam sumpsit virilem, protinus ut è Capitolio descendit, C. Carbonem, à quo pater ejus damnatus fuerat, postulavit: peractumque reum judicio afflixit, & ingenium & adolescentiam præclaro opere auspicatus.

An.M. 3282. Ol. 137. 1. Vrb. C. 521. Ant.Ch.231.

5. [2] Apud C. quoque Flaminium auctoritas patria æque potens fuit. Nam cum Tribunus plebis legem de Gallico agro viritim dividendo, invito & repugnante Senatu promulgasset, precibus minisque ejus acerrime resistens; ac ne exercitu quidem adversus se conscripto, si in eadem sententia perseveraret, absterritus; postquam pro Rostris ei legem jam referenti pater manum injecit, privato fractus imperio, descendit è Rostris, ne minimo quidem murmure destitutæ concionis reprehensus.

An.M. 3790. Ol. 129. 1. Vrb. C. 489. Ant.Ch. 263.

6. Magna sunt hæc virilis pietatis opera; sed nescio an his omnibus valentius & animosius Claudiæ Vestalis virginis factum? [3] Quæ cum patrem suum triumphantem è curru violenta Tribuni plebis manu detrahi animadvertisset, mira celeritate utrisque se interponendo, amplissimam potestatem inimicitiis accensam depulit. Igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in Ædem Vestæ duxit. Nec discerni potuit, utri plus laudis tribueretur, an cui victoria, an cui Pietas comes aderat.

7. Ignoscite vetustissimi foci, veniamque æterni date ignes, [a] si à vestro sacratissimo templo ad necessarium magis, quam speciosum Urbis locum contextus operis nostri progressus fuerit. Nulla enim acerbitate fortunæ, nullis sordibus pretium charæ pietatis evilescit: Quin

INTERPRETATIO.

a Si à templo vestro sanctissimo oratio mea transeat ad carcerem publicum, qui locus est urbi necessarius magis, quam splendidus.

NOTÆ.

1. *M. Cotta.*] Nullo gesto honore insignis, sed M. C. & L. Cottarum pater, qui Consules fuerunt.

2. *Apud C. Flaminium.*] Qui ad Thrasimenum cecidit: legem tamen eam postea perlatam vel ex eo intelligere licet, quod & Polybius & Cicero causam belli Gallici fuisse testantur: addit Cicero patrem Flaminii majestatis accersitum fuisse, quod privata patris auctoritate Tribunitiam populi potestatem minuisset.

3. *Quæ cum patrem.*] Duo hic incerta sunt: unum, pater, an frater ille Claudiæ Vestalis fuerit? fratrem fuisse affirmat Suetonius in Tiberio; alterum, quis Claudius ille fuerit? Sigonius Ap. Claudium intelligit, qui anno Vrbis 502. Consul privatis sumptibus triumphavit: nonnulli C. Claudium Cœci patrem; plerique Ap. Claudium Caudicem Cœci fratrem; ego Claudium Caudicem significari arbitror.

etiam eo certius, quo miserius experimentum habet. [1] Sanguinis ingenui mulierem Prætor apud tribunal suum capitali crimine damnatam, Triumviro in carcere necandam tradidit. Quo receptam, is qui custodiæ præerat, misericordia motus non protinus strangulavit. Aditum quoque ad eam filiæ, sed diligenter excussæ, ne quid cibi inferret, dedit: existimans futurum, ut inedia consumeretur. Cum autem jam dies plures intercederent, secum ipse quærens, quidnam esset, quod tamdiu sustentaretur; curiosius observata filia, animadvertit, illam exerto ubere famem matris lactis sui subsidio lenientem. Quæ tam admirabilis spectaculi novitas ab ipso [2] ad Triumvirum, à Triumviro ad Prætorem, à Prætore ad concilium Judicum perlata, [3] remissionem pœnæ mulieri impetravit. Quo non penetrat, aut quid non excogitat pietas, quæ in carcere servandæ genitricis novam rationem invenit? Quid enim tam inusitatum, quid tam inauditum, quam matrem natæ uberibus alitam! Putaret aliquis hoc contra rerum naturam factum, nisi diligere parentes prima naturæ lex esset.

NOTÆ.

1. *Sanguinis ingenui*] Ignobilis puerpera, ex Plin. l. 7. patrem aluit, ex Festo, matrem ex omnibus aliis.

2. *Ad Triumvirum.*] Capitalem, cujus erat carceris habere custodiam, de furibus, servis, aliisque hujusmodi infimæ sortis hominibus judicare: alii enim erant Triumviri nocturni, monetales, &c.

3. *Remissionem pœnæ.*] Non vita solum concessa matri, sed data etiam utrique perpetua alimenta, locusque Pietati templo extructo consecratus.

EXTERNA.

1. Idem de pietate Perus existimetur, quæ patrem suum [1] Cimona consimili fortuna affectum, parique custodiæ traditum, jam ultimæ senectutis, velut infantem pectori suo admotum aluit. Hærent ac stupent hominum oculi, cum hujus facti pictam imaginem vident; casusque antiqui conditionem, præsentis spectaculi admiratione renovant; in illis mutis membrorum lineamentis viva ac spirantia corpora intueri credentes. [a] Quodque necesse est animo quoque evenire, aliquanto efficaciore pictura literarum vetera pro recentibus admonito recordari.

2. Ne te quidem [2] Cimon silentio involvam, qui patri tuo sepulturam voluntariis vinculis emere non dubitasti. Nam etsi maximo tibi An. M. 3563. Ol. 72. 2. Vrb. C. 262. Ant. Ch. 490.

INTERPRETATIO.

a *Quodque necesse est quoque evenire, ut animus admonitus pictura literarum ad illum movendum potentissima, ita recordetur vetera, quasi essent recentia.*

NOTÆ.

1. *Cimona.*] Quis ille Cimon, quæve Pero illa, obscurum est.

2. *Cimon.*] Miltiadis filius, de quo paulo ante. Diversus à patre Perus.

postea & civi & duci evadere contigit; plus tamen aliquanto laudis in carcere, quam in Curia assecutus es. Cæteræ enim virtutes admirationis tantummodo multum, pietas vero etiam amoris plurimum meretur.

3. Vos quoque fratres memoria complectar, quorum animus origine fuit nobilior. Siquidem, admodum humiles in Hispania nati, [a] pro parentum alimentis spiritum erogantes specioso exitu vitæ inclaruistis. Duodecim enim millia nummûm, quæ post mortem vestram his darentur, [1] à Paciæcis pacti; ut eorum patris interfectorem Epastum gentis suę tyrannum occideretis: Nec ausi solum insigne facinus estis, sed etiam strenuo ac forti exitu clausistis. Iisdem enim manibus Paciæcis ultionem, Epasto pœnam, genitoribus alimenta, vobis gloriosa fata peperistis. Itaque tumulis etiam nunc vivitis, qui parentum senectutem tueri, quam vestram expectare, satius esse duxistis.

4. Notiora sunt fratrum paria, [2] Cleobis & Biton, [3] Amphinomus & Anapus: illi, quod ad sacra Junonis peragenda matrem vexerunt: hi, quod patrem & matrem humeris per medios ignes Ætnę portarunt: sed neutris pro spiritu parentum exspirare propositum fuit.

5. [b] Nec ergo Argivam detrecto laudem, aut Ætnæi montis gloriam involverim: verum obscuriori propter ignorantiam pietati notitiæ lumen admoveo: sicut [4] Scythis libenter pietatis testimonium

INTERPRETATIO.

a *Vitæ exitu illustri clari facti estis, dum mortem ipsi subiistis, ut parentes vestri alerentur.*

b *Nolim ego minuere laudem Argivorum* Cleobis & Bitonis, *nec obscurare gloriam* Amphinomi *&* Anapi, qui radices *montis Ætnæ* incolebant; *verum pietatem ob ignorantiam minus notam prædico, ut omnes illam laudent.*

NOTÆ.

1. *A Paciæcis pacti.*] Nobilis Paciæcorum apud Hispanos familia jam inde à Cæsaris temporibus, ut patet ex Epistola Ciceronis ad Leptam l.6. famil.

2. *Cleobis & Biton.*] Argivæ Sacerdotis filii, quam cum ad solemne sacrificium curru vehi dea jussisset, morarenturque jumenta; tum juvenes posita veste corpora unxerunt oleo, & ad jugum accesserunt. Ita Sacerdos adducta in fanum à dea precata dicitur, ut illis daret pro pietate, quod maximum hominibus dari possit à deo; post, epulatos cum matre somno se dedisse; mane inventos mortuos. Ita Cicero in Tuscul.

3. *Amphinomus & Anapus.*] In his nominibus variant auctores; sed non magni interest; eorum memoriam adeo venerata est posteritas, teste Solino, ut sepulcri locus vulgo diceretur, *Locus piorum.*

4. *Scythis.*] Scythia duplex fuit, ex Ptolemæo; Europæa, quæ minor dicitur, in quam Darius profectus est; Asiatica, quæ major, in qua Cyrus à Massagetis occisus. Minor Borysthene & Tanai terminatur, ubi nunc Tartari Præcopenses, & Moscovitæ; Major iterum duplex; una à Tanai ad montem Imaum, juxta Caspium mare extenditur; secunda ex una parte Imao, ex altera Sacis & Indiâ definitur, ubi nunc Tartari, & regnum *Mogol.*

reddo. [1] Dario enim totius regni sui viribus in eorum regiones subinde impetum facienti, paulatim cedentes, ad ultimas Asiæ solitudines pervenerant. Interrogati deinde ab eo per legatos, quem fugiendi finem, aut quod initium pugnandi facturi essent; responderunt, Se nec urbes, nec agros cultos, pro quibus dimicarent, habere. Cæterum cum ad parentum suorum monumenta venissent, sciturum quemadmodum Scythæ præliari solerent. Quo quidem uno tam pio dicto, immanis & barbara gens ab omni se feritatis crimine redemit. Prima igitur & optima rerum natura pietatis est magistra, quæ nullo vocis ministerio, nullo usu literarum indigens, propriis ac tacitis viribus, charitatem parentum pectoribus liberorum infundit. Quid ergo doctrina proficit: ut politiora scilicet, non ut meliora fiant ingenia; quoniam quidem solida virtus nascitur magis, quam fingitur.

An. M. 3536.
Ol. 65. 3.
Vrb. C. 235.
Ant Ch. 517.

6. Quis enim plaustris vagos, & silvarum latebris corpora sua tegentes, in modumque ferarum laniatu pecudum viventes, Dario sic respondere docuit? Illa nimirum, [a] quæ etiam Crœsi filium loquendi usu defectum, ad protegendam patris incolumitatem ministerio vocis instruxit. Captis enim [2] à Cyro Sardibus, cum unus è numero Persarum, ignarus viri in cædem ejus concitato ferretur impetu: velut oblitus quid sibi nascenti fortuna denegasset, [3] ne Crœsum Regem occideret, proclamando, pene jam impressum jugulo mucronem revocavit. Ita qui ad id tempus mutus sibi vixerat, saluti parentis vocalis factus est.

An. M. 3506.
Ol. 58. 1.
Vrb. C. 205.
Ant. Ch. 547.

7. Eadem charitas Italico bello [4] Pinnensem juvenem, cui Plutoni erat cognomen, tanto animi corporisque robore armavit: ut cum obsessæ urbis suæ claustris præsideret, & Romanus Imperator patrem ejus

An. M. 3965.
Ol. 172. 4.
Vrb. C. 664.
Ant. Ch. 88.

INTERPRETATIO.

[a] *Quæ etiam filio Crœsi usu loquendi destituto vocem dedit ad defendendam patris salutem.*

NOTÆ.

1. *Dario.*] Hystaspis filio, qui bellum in Scythas temere movit; Istroque transmisso illos diu frustra insecutus, cum nulla pugnandi copia fieret, amissis suorum 90. millibus in Asiam rediit.

2. *A Cyro Sardibus.*] Bis cum Cyro Crœsus pugnaverat, bisque ab eo victus Sardes refugit; sed frustra. nam paulo post urbe capta in Cyri venit potestatem.

3. *Ne Crœsum Regem.*] Quamvis idem quod Valerius de Crœsi filio referant Herodotus, Xenophon, Gellius, & alii; est tamen, cur falsum esse id suspicer: cum Herodotus, à quo sumpserunt cæteri, scribat hunc puerum & mutum fuisse, & surdum: vix enim reperire est quempiam à puero mutum, quin & idem surdus sit; si vero surdus fuit, unde didicit hæc verba, Ω' ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον: adde, quod non omnino auctores illi inter se consentiant. Plinius junior scribit infantem tum semestrem fuisse; Solinus, qui Atym illum vocat, facit haud paulo grandiorem, nec vult militi, qui Crœso necem intentaret, sed ipsi Cyro his verbis locutum esse: *Parce meo patri, Cyre, & te hominem vel nostris casibus disce.*

4. *Pinnensem.*] Pinna Vestinorum op-

captivum, in conspectu ipsius constitutum, districtis militum gladiis circumdedisset, occisurum se minitans, nisi irruptioni suæ iter prębuisset, solus è manibus senem rapuerit, duplici pietate memorandus, quod & patris servator, nec patriæ fuerit proditor.

NOTÆ.

pidum in Italia; nunc *Citta di Penna*. De bello Italico supra.

CAP. V.

DE BENEVOLENTIA FRATERNA.

1. *P. Africani majoris.*
2. *M. Fabii Vibulani Cos.*
3. *Ti. Cæsaris Augusti.*
4. *Militis cujusdam.*

HAnc pietatem proximus fraternæ benevolentiæ gradus excipit. Nam ut merito primum amoris vinculum ducitur, plurima & maxima beneficia accepisse: ita proximum judicari debet simul accepisse. Quam copiosæ enim suavitatis illa recordatio est! In eodem domicilio antequam nascerer, habitavi: in iisdem incunabulis infantiæ tempora peregi: eosdem appellavi parentes: eadem pro me vota excubuerunt: parem ex majorum imaginibus gloriam traxi. Chara est uxor, dulces liberi, jucundi amici, accepti affines: sed postea cognitis nulla benevolentia accedere debet, quæ priorem exhauriat.

An.M.3864. Ol.147. 3. Vrb.C. 563. Ant.Ch. 193. 1. Atque hoc teste Scipione Africano loquor, qui tametsi arctissima familiaritate [1] Lælio junctus erat, attamen Senatum supplex oravit, ne Provinciæ sors fratri suo erepta, ad eum transferretur: legatumque se L. Scipioni in Asiam iturum promisit: & major natu minori, & [2] fortissimus imbelli, & gloria excellens laudis inopi, & quod super omnia est, nondum Asiatico, jam Africanus. Itaque clarissimorum cognominum alterum sumpsit, alterum dedit; [a] triumphique prætextam hujus excepit, illius tradidit: ministerio aliquanto major, quam frater imperio.

INTERPRETATIO.

a *Ipseque induit vestem triumphalem ob victorias in Africa relatas; tradiditque fratri ob victorias in Asia reportandas.*

NOTÆ.

1. *Lælio junctus erat.*] Qui Scipionis legatus, tum in Hispania, tum in Africa multa præclare gesserat, à L. Scipione petierat, ut Provincias Senatus potius arbitrio, quam sorti permitteret.

2. *Fortissimus imbelli.*] Vix ego adduci possum, ut credam L. Scipionem id tẽporis aut imbellẽ, aut rudem artis militaris fuisse: quod tradit etiam App. cum in Hisp. & Asia tot annis una cum fratre militasset.

2. M. vero

2. [1] M. vero Fabius Consul [2] inclyta pugna Etruscis & Vejentibus superatis, delatum sibi summo Senatus populique studio triumphum ducere non sustinuit: quia eo prælio Q. Fabius frater ejus Consularis fortissime dimicans occiderat. Quantam in eo pectore pietatem fraternæ charitatis habitasse existimemus, propter quam amplissimi honoris tantus fulgor extingui potuit? An.M 3575. Ol. 75. 2. Vrb.C.274. Ant.Ch.178

3. Hoc exemplo vetustas, illo seculum nostrum ornatum est, [a] cui contigit [3] fraternum jugum Claudiæ prius, nunc etiam Juliæ gentis intueri decus: Tantum enim amorem princeps parensque noster insitum animo fratris Drusi habuit; ut cum [4] Ticini, quo victor hostium ad complectendos parentes venerat, [5] gravi illum & periculosa valetudine in Germaniam fluctuare cognosset, protinus inde metu attonitus erumperet. Iter quoque quam rapidum & præceps velut uno spiritu corripuerit, eo patet; quod Alpes Rhenumque transgressus, die ac nocte, mutato subinde equo, [b] ducenta millia passuum, per modo devictam Barbariem, Antabagio duce solo comite contentus, evasit. Sed eum tunc maximo labore & periculo implicatum, [c] mortaliumque frequentia defectum, sanctissimum Pietatis numen, & Dii fautores eximiarum virtutum, & fidissimus Romani Imperii custos Jupiter comitatus est. [d] Drusus quoque, quanquam fato jam suo quam ullius officio propior erat, vigore spiritus & corporis collapsus; eo ipso tamen, quo vita & mors distinguitur, momento, legiones cum insignibus suis fratri obviam An.M.4045. Ol. 192. 4. Vrb.C. 744. Ant.Ch.8.

INTERPRETATIO.

a *Cui contigit cernere mutuum amorem duorum fratrum* Tiberii & Drusi, *qui prius Claudiæ, nunc Iuliæ genti decori sunt.*

b *Confecit ducenta millia passuum per regiones barbarorum* à Druso *nuper subactas.*

c *Destitutum multitudine hominum, qui ipsum comitari solent.*

d *Drusus quoque, tum privatus omnibus corporis viribus, licet morti imminenti propior esset, quam ut ullum fratri officium exhibere posset.*

NOTÆ.

1. *M. Fabius.*] Vibulanus & Q. Cæso fratres, septem continuis annis Consules.

2. *Inclyta pugna.*] Majori quidem & animo & numero nondum à Romanis certatum erat; dubia tamen fuisset victoria, nisi Etrusci desertis castris noctu aufugissent. Consulum alter C. Manlius, Q. Fabius Legatus, multique Tribuni ceciderunt; ipseque M. Fabius immani vulnere saucius, Magistratu abdicare se coactus est.

3. *Fraternum jugum Claudiæ gentis.*] Tiberius & Drusus trahebant utrumque genus à Claudia gente; paternum à Ti. Nerone, maternum ab Ap. Pulchro, quorum uterque Ap. Cœci filius fuit. Tiberium vero & Drusum Augustus in gentem Iuliam adoptavit.

4. *Ticini.*] Nomen & fluvii & urbis in Insubria; fluvius in Padum influit, nomenque dedit urbi vicinæ, nunc *Pavie*: quo Tiberius victis Liguribus venerat.

5. *Gravi illum & periculosa, &c.*] Contemptis auguriis Drusus in Germaniam redierat, jamque Cattos, Suevos, aliosque ad Albim usque populos vicerat; cum ecce, dum Albim transire cogitat, mulier humana specie major: *Quo*, inquit, *festinas insatiabilis Druse, non omnia tibi*

procedere jussit, ut Imperator salutaretur. Præcepit etiam dextera in parte prætorium ei statui, & Consulare & Imperatorium nomen obtinere voluit. Eodemque tempore & fraternæ majestati cessit, & vita excessit. His scio equidem nullum aliud quam Castoris & Pollucis specimen consanguineæ charitatis convenienter adjici posse.

4. Sed omnis memoriæ clarissimis Imperatoribus profecto non erit ingratum, si militis summa erga fratrem suum pietas huic voluminis parti adhæserit. Is namque [1] in castris Cn. Pompeij stipendia peragens,
An.M. 3978. cum Sertorianum militem acrius sibi in acie instantem cominus interemisset, jacentemque spoliaret: ut fratrem germanum esse cognovit,
Ol. 176. 1.
Vrb C. 677. multum ac diu convitio Deos ob donum impiæ victoriæ insectatus,
Ant.Ch. 75. propè castra transtulit, & pretiosa veste opertum, rogo imposuit. Ac deinde subjecta face, protinus eodem gladio, quo illum interemerat, pectus suum transverberavit: seque super corpus fratris prostratum, communibus flammis cremandum tradidit. Licebat ignorantiæ beneficio innocenti vivere: sed ut sua potius pietate, quam aliena venia uteretur, comes fraternæ neci non defuit.

NOTÆ.

adire & cernere concessum est: sed cede retro, nam & operum tibi & vitæ finis adest. Exhorruit Drusus, trophæisque positis inde discessit: at paulo post Rhenum inter & Salim anno ætatis trigesimo, vel morbo, ut placet Straboni, Suet. & Dion. vel fractura, equo super crus ejus collapso, ut legitur in Epitome 140. mortuus est.

1. *In castris Cn. Pompeij.*] In castris Cinnæ id contigisse tradit Abbreviator Livii l.79. quare, vel duo fuerunt hujusmodi exempla, vel eorum alter fallitur: uter, si possis, conjice.

CAP. IV.

DE PIETATE ERGA PATRIAM.

1. *L. Iunii Bruti primi Cos.*
2. *M. Curtii Equit. Rom.*
3. *M. Genutii Cipi Prætoris.*
4. *Q. Ælii Peti Prætoris.*
5. *P. Decii Q. F. Cos.*
6. *P. Decii P. F. Cos.*
7. *P. Africani majoris.*
8. *Civium Romanorum.*

EXTERNORUM.

1. *Codri Regis Atheniensium.*
2. *Thrasybuli Atheniensis.*
3. *Themistoclis Atheniensis.*
4. *Philænorum fratrum.*
5. *Aristotelis Stagiritæ.*

ARctissimis sanguinis vinculis pietas satisfecit: restat nunc ut patriæ exhibeatur. Cujus majestati etiam illa quæ Deorum numinibus æquatur, auctoritas parentum, vires suas subjecit: fraterna quoque charitas æquo animo ac libenti cedit, summa quidem cum ratione.

Quia eversa domo, intentatus Reipub. status manere potest: urbis ruina, penates omnes trahat secum necesse est. Verum quid attinet verbis ista complecti, quorum tanta vis est, ut aliqui ea salutis suæ impendio testati sint.

1. Brutus Consul primus cum Arunte Tarquinii Superbi regno ex- An.M.3546.
pulsi filio in acie ita equo concurrit; ut pariter illatis hastis, [1] uterque Ol 68. 1.
mortifico vulnere ictus exanimis prosterneretur. Merito adjecerim, po- Vrb.C. 245.
pulo Romano libertatem suam magno stetisse. Ant.Ch 507.

2. Cum autem in media parte fori vasto ac repentino hiatu terra
subsideret, responsumque esset; re illum tantummodo compleri posse,
qua populus Romanus plurimum valeret: Curtius & animi & generis An.M. 3692.
nobilissimus adolescens, interpretatus, Urbem nostram virtute armis- Ol. 104. 3.
que præcipue excellere; [2] militaribus insignibus ornatus, equum con- Vrb C. 391.
scendit, eumque vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud Ant.Ch. 361.
profundum egit: super quem universi cives honoris gratia certatim fruges injecerunt, continuoque terra pristinum habitum recuperavit. Magna postea decora in foro Romano fulserunt: nullum tamen hodie quod pietate Curtii erga patriam clarius obversatur exemplum: cui principatum gloriæ obtinenti, consimile factum subnectam.

3. [3] Genucio Cipo Prætori paludato portam egredienti, novi & in- An.M. 3816.
auditi generis prodigium incidit. Namque in capite ejus subito [4] veluti Ol. 135. 3.
cornua emerserunt: responsumque est, Regem eum fore, si in Urbem Vrb.C.515.
revertisset. Quod ne accideret, [5] voluntarium sibimet ac perpetuum in- Ant. Ch.237.
dixit exilium. Dignam pietatem, quæ quod ad solidam gloriam attinet, septem Regibus præferatur. Cujus testandæ rei gratia capitis effigies ærea, qua excesserat, portæ inclusa est: dictaque [6] Raudusculana, quod olim *æra raudera* dicebantur.

4. Genucius laudis hujus, qua major excogitari vix potest, successionem Ælio Prætori tradidit. Cui jus dicenti, cum in capite picus con-

NOTÆ.

1. *Vterque moriifico vulnere.*] Mortem Bruti descripsimus l.1. c.4. n 6.

2. *Militaribus insignibus.*] Silentio facto, templa deorum, quæ foro imminebant, Capitoliumque intuens, manusque in cœlum porrigens, se devovit.

3. *Genucio Cipo.*] Non egredienti, sed bello redeunti id contigit: Prætor enim Peregrinus Valerio Consuli auxilio venerat.

4. *Veluti cornua.*] Cornua Genucii haud secus ac Actæonis fabulosa fuisse tradit Plinius l.11. c.37.

5. *Voluntarium sibimet exilium.*] Vocato extra portas Senatu de prodigio retulit; ac ne quid detrimenti fato suo Respublica acciperet, decerni sibi voluit exilium: ager illi honoris causa ex publico datus.

6. *Raudusculana.*] Æs rude dicitur Cincio, *rudusculum*; æs conflatum *rudus*: Varroni vero & Festo æs omne *raudus*, vel *rudus*: nonnulli legunt in Valerio *rauda*; melius tamen *rudera* legeris. Sic enim dicebantur frusta æris, asses & nummi ærei, ut ex Livio patet. Hæc porta appellatur à Varrone *Rauduscula*, à Festo *Raudusculana*.

sedisset, aruspicesque affirmassent, [1] conservato eo fore domus ipsius statum felicissimum, Reipublicæ miserrimum: occiso, in contrarium utrumque cessurum: è vestigio picum morsu suo in conspectu Senatus necavit: Decem & septem milites suæ familiæ, eximiæ fortitudinis viros, Cannensi prælio amisit: Respub. procedente tempore ad summum imperii fastigium excessit. Hæc nimirum exempla Sylla, & Marius, & Cinna tanquam stulta riserunt.

An.M. 3714. Ol. 110. 1. Vrb.C. 413. Ant.Ch. 339.

5. [2] Decius, qui Consulatum in familiam suam primus intulit, cum Latino bello Romanam aciem inclinatam & pene jam prostratam videret, caput suum pro salute Reipublicæ devovit: Ac protinus concitato equo, in medium hostium agmen, patriæ salutem, sibi mortem petens, irrupit: factaque ingenti strage, plurimis telis obrutus, super corruit. Ex cujus vulneribus & sanguine insperata victoria emersit.

An.M. 3759. Ol. 121. 2. Vrb.C. 458. Ant.Ch. 294.

6. [a] Unicum talis Imperatoris specimen esset, nisi animo suo respondentem filium genuisset. is namque in quarto Consulatu patris exemplum secutus, [3] devotione simili, æque strenua pugna, consentaneo exitu lab: ntes perditasque vires Urbis nostræ correxit. Itaque dignosci arduum est, utrum Romana civitas utilius habuerit Decios duces, an amiserit: quoniam vita eorum ne vinceretur, obstitit, mors fecit ut vinceret.

An.M. 3838. Ol. 141. 1. Vrb C. 537. Ant.Ch. 215.

7. Non est extinctus pro Republica superior Scipio Africanus: sed admirabili virtute ne Respublica extingueretur, providit. Siquidem cum afflicta Cannensi clade Urbs nostra, nihil aliud quam præda victoris esse Annibalis videretur: ideoque [4] reliquiæ prostrati exercitus, deserendæ Italiæ, auctore L. Metello, consilium agitarent: Tribunus militum admodum juvenis, stricto gladio mortem unicuique minitan-

INTERPRETATIO.

a *Exemplum amoris in patriam unicum esset ab illo Imperatore editum, nisi, &c.*

NOTÆ.

1. *Conservato eo fore.*] Aliter Plinius. Vates enim responderunt, si ipsi credimus, exitium Imperio portendi, si dimitteretur; si necaretur, Prætori: & illico avem ille discerpsit. Nonnulli Lælium hunc Prætorem vocant.

2. *Decius, qui Consulatum.*] Tres Decii se pro salute Reipublicæ devoverunt: cum Latinis pater decertans, cum Etruscis filius, cum Pyrrho nepos hostium telis se objecit. Ita Cicero l.1. Tuscul. Duorum tantum meminit Valerius. Mortem patris narravimus l.1. c.7. n.3.

3. *Devotione simili.*] Q. Fabius Rullianus & Decius Consules contra Gallos & Samnites ad Clusium prelium inierant; jamque Gallicum equitatum Decius bis averterat, cum è curribus Galli pugnantes Romanos terrent equites: tum Decius se, hostesque diis Manibus, præeunte M. Livio Pontifice, devovet; sicque in confertam Gallorum se conjicit aciem, ubi hostium telis confectus est. Deinde Fabius, qui cunctando diem extraxerat, acrius instare cœpit, retulitque victoriam: cæsa hostium viginti quinque millia, octo capta.

4. *Reliquiæ.*] Decem hominum millia Canusium fugerant, à quibus imperium Ap. Pulchro Ædilitio, & Scipioni ad-

do, jurare omnes nunquam ſe relicturos patriam coëgit : pietatemque non ſolum ipſe pleniſſimam exhibuit ; ſed etiam ex pectoribus aliorum abeuntem revocavit.

8. Age, ut à ſingulis ad univerſos tranſgrediar ; quanto & quam æquali amore patriæ tota civitas flagravit ! cum ſecundo Punico bello exhauſtum ærarium, ne Deorum quidem cultui ſufficeret, & publicani ultro aditos Cenſores hortati ſunt, ut omnia ſic locarent, tanquam Reſpublica pecunia abundaret ; ſeque præſtituros cuncta ; nec ullum aſſem, niſi bello confecto, petituros polliciti ſunt. Domini quoque ſervorum, quos Sempronius Gracchus [1] ob inſignem pugnam Beneventi manumiſerat, pretia ab Imperatore exigere ſuperſederunt : in caſtris etiam non Eques, non Centurio ſtipendium dari ſibi deſideravit. Viri atque fœminæ, quicquid auri argentive habuerunt : item pueri inſignia ingenuitatis ad ſuſtentandam temporis difficultatem contulerunt : Ac ne beneficio Senatus, (qui muneribus functos, tributi onere liberaverat) quiſquam uti voluit ; ſed inſuper id omnes promptiſſimis animis præſtiterunt. Non ignorabant enim, captis Vejis, cum decimarum nomine, quas Camillus voverat, aurum Apollini Delphico mitti oporteret ; neque emendi ejus facultas eſſet ; matronas ornamenta ſua in ærarium retuliſſe. Similiterque audierant, mille pondo auri, quæ Gallis obſidione Capitolii promiſſa debebantur, earum cultu expleta. Itaque & proprio ingenio, & exemplo vetuſtatis admoniti, nulla ſibi in re ceſſandum exiſtimaverunt.

An.M.3840. Ol.141. 3. Vrb.C. 539. Ant.Ch. 213.

Notæ.

modum juveni delatum eſt.

1. *Ob inſignem pugnam.*] Iam ſæpius egimus de Sempronii Gracchi per ſervos victoria lib.1. c 7 n.6. De Camilli exilio hoc ipſo libro, c.4. De Gallorum clade lib. 1. c.5. n.1.

EXTERNA.

1. Sed & externa ejuſdem propoſiti exempla attingam. Rex Athenienſium [1] Codrus, cum ingenti [2] hoſtium exercitu Attica regio debilitata, ferro ignique vaſtaretur, diffidentia humani auxilii ad Apollinis Delphici oraculum confugit ; perque legatos ſciſcitatus eſt, quonam modo illud tam grave bellum diſcuti poſſet. Reſpondit Deus, ita finem ei fore, ſi ipſe hoſtili manu occidiſſet. Quod quidem non ſolum totis Athenis, ſed in caſtris etiam contrariis percrebuit. Eoque factum eſt, ut ediceretur, ne quis Codri corpus vulneraret. Id poſt-

An.M.2985. Ant.Ch.1068.

Notæ.

1. *Codrus.*] Poſt illius mortem Athenienſes ſub Archontibus perpetuis fuerunt, qui poſtea decennio finiti, tum annui.

2. *Hoſtium exercitu.*] Qui hoſtes illi fuerint, obſcurum eſt : Peloponneſios appellant Pauſanias & Oroſ. Dorienſes Herod. Lacedæmonios Velleius.

quam cognovit, depositis insignibus imperii, famularem cultum induit, ac pabulantium hostium globo sese objecit: unumque ex his falce percussum, in cædem suam compulit: Cujus interitu ne Athenæ occiderent effectum est.

2. Ab eodem fonte pietatis [1] Thrasybuli quoque animus manavit.
An.M.3652. Ol. 94. 3. Urb.C. 351. Ant.Ch.401.
Is cum Atheniensium urbem triginta tyrannorum teterrima dominatione liberare cuperet, parvaque manu maximæ rei molem aggrederetur; & quidam è consciis dixisset: Quantas tandem tibi Athenæ, per te libertatem consecutæ, gratias debebunt? respondit: Dii faciant, ut quantas ipse illis debeo, videar retulisse. Quo affectu inclytum destructæ tyrannidis opus laude cumulavit.

3. Themistocles autem, quem virtus sua victorem, injuria patriæ
An.M. 3593. Ol. 79. 4. Vrb. C. 292. Ant.Ch.460.
Imperatorem Persarum fecerat; [2] ut se ab ea oppugnanda abstineret, instituto sacrificio, exceptum patera tauri sanguinem hausit: & ante ipsam aram, quasi quædam Pietatis clara victima concidit. Quo quidem tam memorabili ejus excessu, ne Græciæ altero Themistocle opus esset, effectum est.

4. Sequitur ejusdem generis exemplum. Cum inter Carthaginem & [3] Cyrenas de margine agri pertinacissima contentio esset; ad ultimum placuit utrinque, eodem tempore juvenes mitti, & locum in quem ii convenissent, finem ambobus haberi populis. Verum hoc pactum Carthaginiensium duo fratres nomine [4] Philæni, perfidia præcurrere; citra constitutam horam maturato gressu in longius promotis terminis. Quod cum intellexissent Cyrenensium juvenes, diu de fallacia eorum questi; postremo acerbitate conditionis injuriam discutere conati sunt. Dixerunt namque sic eum finem ratum fore, si Philæni vivos se ibi obrui passi essent. Sed consilio eventus non respondit: illi enim nulla interposita mora corpora sua his terra operienda tradiderunt. Qui quoniam patriæ, quam vitæ suæ longiores terminos esse maluerunt;

NOTÆ.

1. *Thrasybuli quoque.*] Thrasybuli de 30. tyrannis victoriam narravimus l.4. c.1. n.4. Themistoclis ad Persarum Regem fugam & mortem l.

2. *Vt se ab ea oppugnanda.*] Aliam alii mortis causam afferunt; vel timorem, vel amorem patriæ: veritus forte ne ob Cimonis in rebus gerendis felicitatem, id quod Regi receperat, præstare posset. Ita quidem Thucydides. Rem tamen aliquanto aliter narrat Diodorus. Rogatus à Rege, ut se belli præberet ducem, ita assensus est, si Rex fidem jurejurando confirmatam daret, se Græcis absque Themistocle bellum non illaturum; tum sacris operatus, taurinum hausit sanguinem. Vide Diodorum Sicul. l.16.

3. *Cyrenas.*] Cyrenaicæ regionis caput, inter Barcem & Ammonis templum, nunc in regno Barca versus Syrtim magnam. *Corene.*

4. *Philæni, perfidia.*] Maturavere iter pergere, Cyrenenses tardius iere: id socordia-ne, an casu contigerit, parum constat: cæterum solet in illis locis tempestas, non secus ac in mari, retinere homines. Hæc Sallust.

[1]bene jacent, manibus & ossibus suis Punico dilato Imperio. Ubi sunt superbæ Carthaginis alta mœnia, ubi maritima gloria inclyti portus, ubi cunctis littoribus terribilis classis, ubi tot exercitus, ubi tantus equitatus, ubi immenso Africæ spatio non contenti spiritus? Omnia ista duobus Scipionibus Fortuna partita est. At Philænorum egregii facti memoriam ne patriæ quidem interitus extinxit. Nihil est igitur, excepta virtute, quod mortali animo ac manu immortale quæri possit.

5. Juvenili ardore plena hæc pietas. [2]Aristoteles vero supremæ vitæ reliquias senilibus ac rugosis membris in summo literarum otio vix custodiens, adeo valenter pro salute patriæ incubuit, ut eam [3]hostilibus armis solo æquatam, in lectulo Atheniensi jacens, Macedonum de manibus, quibus objecta erat, eriperet. Ita non tam urbs [4]Stagira eversa, Alexandri, quam restituta Aristotelis notum est opus. Patet ergo, quam benignæ, quamque profusæ pietatis erga patriam, omnium ordinum, omnis ætatis homines extiterint; [a]sanctissimisque naturæ legibus mirificorum etiam exemplorum clara mundo subscripserit veritas.

An.M.3719. Ol. 111. 2. Vrb. C. 418. Ant.Ch.354.

INTERPRETATIO.

a *Quodque veritas admirabilium exemplorum omnibus nota hominibus probet, quam multi sanctissimas naturæ leges illum amorem præcipientes secuti sint.*

NOTÆ.

1. *Bene jacent.*] Carthaginienses illo in loco Philænis fratribus aras consecraverunt.

2. *Aristoteles.*] Peripateticorum princeps, & Alexandri Magni Præceptor, scriptis suis notissimus.

3. *Hostilibus armis.*] Patriam enim, seu à Philippo, seu ab ipso Alexandro eversam, ut restauraretur, obtinuit ab Alexandro; legesque & Reipublicæ formam ipse descripsit: unde illius in honorem & ludi, & festi dies instituti.

4. *Stagira.*] Macedoniæ oppidum, non procul à monte Atho. *Liba nova.*

CAP. VII.

DE PATRUM AMORE ET INDULGENTIA IN LIBEROS.

ROMANORUM.

1. *Q. Fabii Maximi Rulliani.*
2. *Casetii Flavi.*
3. *Octavii Balbi.*

EXTERNORUM REGUM.

1. *Seleuci Syriæ.*
2. *Ariobarzanis Cappadociæ.*

[a] DET nunc vela pii & placidi affectus parentum erga liberos indulgentia; salubrique aura provecta gratam suavitatis secum dotem afferat.

An.M. 3762. Ol. 122. 1. Vrb.C. 461. Ant.Ch. 291.

1. Fabius Rullianus quinque Consulatibus summa cum gloria peractis, omnibusque & virtutibus & vitæ meritis stupendus, [1] legatus ire Fabio Gurgiti filio ad bellum difficile & periculosum conficiendum gravatus non est; pene ipso duntaxat animo [2] sine corpore militaturus: utpote propter ultimam senectutem lectuli otio, quam labori præliorum habilior. Idem triumphantis currum, equo insidens, sequi quem ipse parvulum triumphis suis gestaverat, in maxima voluptate posuit; nec accessor gloriosæ illius pompæ, sed auctor spectatus est.

An.M. 4010. Ol. 184. 1. Vrb.C. 709. Ant.Ch. 43.

2. Non tam [3] Cæsetii speciosa Equitis Romani sors: sed patria par indulgentia: Qui à Cæsare omnium jam externorum & domesticorum hostium victore, cum abdicare filium suum juberetur, quod is Tribunus plebis cum Marullo Collega, invidiam ei tanquam regnum affectanti fecerat; in hunc modum respondere sustinuit: Celerius tu mihi Cæsar omnes filios meos eripies, quam ex his ego unum nota pellam mea. Habebat autem duos præterea optimæ indolis filios, quibus Cæsar se incrementa dignitatis benigne largiturum pollicebatur. Hunc patrem tametsi summa divini Principis clementia tutum præstitit; quis tamen non humano ingenio majus ausum putet, quod cui totus terrarum orbis succubuerat, non cessit.

An.M. 4012. Ol. 184. 3. Vrb.C. 711. Ant.Ch. 41.

3. Sed nescio an Octavius Balbus concitatioris & ardentioris erga filium benevolentiæ fuerit. Proscriptus [4] à Triumviris, cum domo postica clam esset egressus, jamque fugæ expeditum initium haberet: postquam intus filium trucidari falso clamore è vicinia accepit, ei se neci quam evaserat, obtulit, occidendumque militibus tradidit. Pluris ni-

INTERPRETATIO.

a Nunc vero indulgentia parentum erga liberos ostendat illorum pium amorem, & quasi aura favente provecta afferat secum gratam delectationem legentibus.

NOTÆ.

1. *Legatus ire Fabio.*] A Pontio Samnitium duce cum victus fuisset Fabius Gurges, de abrogando illi imperio frequens Senatus convenit: at Rullianus hanc infamiam filio deprecatus, ipsi legatum iturum se pollicitus est.

2. *Sine corpore.*] Filio tamen victoriam virtute sua peperit imbellis senex: ubi enim Gurgitem ab hostibus inclusum vidit, equo vectus in medium se injecit agmen; tanti viri periculo commoti Romani Equites, illuc tota acie incumbunt, nec frustra: Consul Consulisque pater liberantur, funduntur hostes, Pontiusque capitur. Ita omnes præter Zonaram, qui absente Rulliano vult victoriam à Gurgite relatam.

3. *Cæsetii.*] L. Cæsetius Flavus & C. Epidius Marullus Tribuni plebis in carcerem duci jusserunt eos, qui diadema statuæ C. Cæsaris imposuerant; ideoque potestate privati, ex Suet. Senatu moti & ejecti in exilium, ex Plut. & Appian.

4. *A Triumviris.*] Antonio, Lepido, & Octavio Cæsare.

mirum

mirum illud momentum, quo illi præter ſpem videre filium incolumem contigerat, quam ſalutem ſuam æſtimans. Miſeros adoleſcentis oculos, quibus amantiſſimum ſui patrem ipſius opera ſic expirantem intueri neceſſe fuit!

EXTERNA.

1. Cæterum ut ad jucundiora cognitu veniamus, [1] Seleuci Regis filius Antiochus novercæ Stratonices infinito amore correptus, memor quam improbis facibus arderet, impium pectoris vulnus pia diſſimulatione contegebat. Itaque diverſi affectus iiſdem viſceribus ac medullis inclusi, ſumma cupiditas, & maxima verecundia, ad ultimam tabem corpus ejus redegerunt. Jacebat ipſe in lectulo moribundo ſimilis: lamentabantur neceſſarii: pater mœrore proſtratus, de obitu unici filii, deque ſua miſerrima orbitate cogitabat, totius domus funebris magis, quam regius erat vultus. Sed hanc triſtitiæ nubem Leptinis Mathematici, vel, ut quidam tradunt, Eraſiſtrati Medici providentia diſcuſſit: Juxta enim Antiochum ſedens, ut eum ad introitum Stratonices rubore perfundi, & ſpiritu increbreſcere, eaque egrediente pallere, & excitatiorem anhelitum ſubinde recuperare animadvertit; curioſiore obſervatione ad ipſam veritatem penetravit. Intrante enim Stratonice, & rurſus abeunte, brachium adoleſcentis diſſimulanter apprehendendo; modo vegetiore, modo languidiore pulſu venarum comperit, cujus morbi æger eſſet, protinuſque [2] id Seleuco expoſuit. Qui chariſſima ſibi conjuge filio cedere non dubitavit: quod in amorem incidiſſet, fortunæ acceptum referens: quod diſſimulare eum uſque ad mortem paratus eſſet, ipſius pudori imputans. Subjiciatur animis ſenex, Rex, amans: jam patebit quam multa, quamque difficilia paterni affectus indulgentia ſuperavit.

An.M. 3760. Ol. 121. 3. Vrb.C. 459. Ant.Ch. 293.

2. At Seleucus quidem uxore, [3] Ariobarzanes autem filio ſuo Cappadociæ regno ceſſit, in conſpectu Cn. Pompeii. Cujus cum tribunal conſcendiſſet, invitatuſque ab eo in curuli ſella ſediſſet, poſtquam filium in cornu ſcribæ humiliorem fortuna ſua locum obtinentem conſ-

An.M. 3990. Ol. 178. 1. Vrb. C. 689. Ant.Ch. 63.

NOTÆ.

1. *Seleuci.*] Nicanoris, cujus filius Antiochus Soter, uxor Stratonice Demetrii filia.

2. *Id Seleuco expoſuit.*] Primum quidem Seleuco indicat filium amore languere; at cui mederi nemo poſſit: *Quidni*, ait Seleucus? inquit ille, *meam amat uxorem. Quid? tu-ne qui amicus noſter es*, ſubjicit Seleucus, *filio meo neges has nuptias? Ne tu quidem*, addit ille, *id facias pater; ſi Stratonicen Antiochus adamaret. O utinam*, Rex inquit: *vel regnum, modo Antiochum retineam, cupiam dimittere*: Tum illi rem, uti erat, Eraſiſtratus aperit: nec mora in Seleuco fuit ulla: nam continuo vocat exercitum, Stratonicen connubio jungit Antiocho, illumque ſuperiorum trans Euphratem populorum Regem conſtituit. Ita fere Plutarchus in Demetrio.

3. *Ariobarzanes.*] Rex Cappadociæ, qui à Mithridate bis regno pulſus eſt;

pexit, non sustinuit infra se collocatum intueri: Sed protinus sella descendit, & diadema in caput ejus transtulit: hortarique cœpit, ut eo transiret unde ipse surrexerat. Exciderunt lacrymæ juveni, cohorruit corpus, dilapsum diadema est, nec quo jussus erat, progredi potuit: Quodque pene fidem veritatis excedit, lætus erat, qui regnum deponebat: tristis, cui dabatur: Nec ullum finem tam egregium certamen habuisset, nisi patriæ voluntati auctoritas Pompeii adfuisset. Filium enim & Regem appellavit, & diadema sumere jussit, & in curuli sella considere coëgit.

Notæ.

bisque à Romanis restitutus; semel à Sylla, iterum à Pompeio.

Cap. VIII.
QUI SEVERI ADVERSUS LIBEROS.

Romanorum.
1. *L. Iunius Brutus primus Cos.*
2. *Cassius Viscellinus.*
3. *T. Manlius Torquatus Iurisc.*
4. *M. Æmilius Scaurus.*
5. *A. Fulvius.*

An.M.3546. Ol. 68. 5. Vrb. C. 245. Ant.Ch.507.

1. [a] Comicæ lenitatis hi patres, tragicæ asperitatis illi. Par Romulo gloria L. Brutus, quia ille urbem, hic libertatem Romanam condidit: [1] filios suos, Tarquinii dominationem à se expulsam reducentes, summum imperium obtinens, comprehensos, proque tribunali virgis cæsos, & ad palum religatos securi percuti jussit. Exuit patrem, ut Consulem ageret: orbusque vivere, quam publicę vindictæ deesse maluit.

An.M.3570. Ol.74. 1. Vrb.C.269. Ant.Ch. 483.

2. Hujus æmulatus exemplum Cassius, [2] filium qui Tribunus plebis

Interpretatio.

a *Hi patres de quibus egimus habuerunt lenitatem, qualem habent patres in comœdiis; illi vero de quibus mox dicemus fuerunt severitatis tragicæ.*

Notæ.

1. *Filios suos.*] Exul apud Etruscos Tarquinius Romam legatos miserat, qui bona ipsius repeterent; cum multos illi, tum Bruti filios Titum & Tiberium ad suas partes alliciunt: in ædes Aquiliorum conveniunt conjurati; interim Pincerna quidam nomine Vindicius Valerium admonet: ille continuo cum amicis advolat, capit conjuratos, eosque ante Consules sistit; tum Brutus filiis dicendi, si quid vellent, facit potestatem; cum uterque fleret indicto silentio, capitalem in eos sententiam profert. Hæc Livius.

2. *Filium qui Tribunus plebis.*] Hoc etiam in loco, ut in multis aliis, à Dionysio & Livio dissentit Valerius: nec enim Tribunus erat Cassius ille, nec à patre domi damnatus; sed Consulatu triplici, duplicique illustris triumpho, à Quæstoribus Cæsone Fabio & L. Valerio ambitę

Agrariam legem primus tulerat, multiſque aliis rebus populariter animos hominum amore ſui devinctos tenebat; poſtquam illam poteſtatem depoſuit, adhibito propinquorum & amicorum conſilio, affectati regni crimine domi damnavit: verberibuſque affectum, necari juſſit: ac peculium ejus Cereri conſecravit.

3. T. autem [1] Manlius Torquatus, prętet egregia multa rarę dignitatis, juris quoque civilis, & sacrorum pontificalium peritiſſimus, in conſimili facto ne conſilio quidem neceſſariorum indigere ſe credidit. Nam cum ad Senatum Macedonia de filio ejus D. Silano, qui eam Provinciam obtinuerat, querelas per legatos detuliſſet; à Patribus Conſcriptis petiit, ne quid ante de ea re ſtatuerent, quam ipſe Macedonum filiique ſui cauſam inſpexiſſet: Summo deinde cum ampliſſimi Ordinis, tum etiam eorum qui queſtum venerant, conſenſu cognitione ſuſcepta domi conſedit, ſoluſque utriq; parti per totum biduum vacavit, ac tertio pleniſſime die diligentiſſimeque auditis teſtibus, ita pronuntiavit: Cum Silanum filium meum pecunias à ſociis accepiſſe mihi probatum ſit, & Repub. eum & domo mea indignum judico, protinuſque è conſpectu meo abire jubeo. Tam triſti patris ſententia perculſus Silanus lucem ultra intueri non ſuſtinuit, ſuſpendioque ſe proxima nocte conſumpſit. Peregerat jam Torquatus ſeveri & religioſi Judicis partes, ſatisfactum erat Reipub. habebat ultionem Macedonia, potuit tam verecundo obitu filii patris inflecti rigor: at ille neque adoleſcentis exequiis interfuit, & cum maxime funus ejus duceretur, conſulere ſe volentibus, vacuas aures accommodavit. Videbat enim, ſe in atrio conſediſſe, in quo illius Imperioſſi Torquati ſeveritate conſpicua imago poſita erat: Prudentiſſimoque viro ſuccurrebat, effigies majorum cum titulis ſuis idcirco in prima ædium parte poni ſolere, ut eorum virtutes poſteri non ſolum legerent, ſed etiam imitarentur.

An.M. 3914. Ol. 160. 1. Vrb. C. 613. Ant.Ch. 139.

4. [2] M. vero Scaurus, lumen ac decus patriæ, cum apud [3] Atheſim flumen impetu Cimbrorum [4] Romani Equites pulſi, deſerto Procoſ. Catulo Urbem pavidi repeterent; conſternationis ejus participi filio ſuo miſit, qui dicerent; libentius ſe in acie ejus interfecti oſſibus oc-

An M. 3952. Ol. 169. 3. Vrb. C. 651. Ant. C. 101.

NOTÆ.

tyrannidis accuſatus, è rupe ſpectante populo præceps actus eſt: illius ædes dirutæ, bona fico addicta, filiique hæreditate privati.

1. *Manlius Torquatus.*] Qui Conſul fuerat anno Vrbis 589. tum ſummus Pontifex. Illius filius D. Silanus dicebatur, quod D. Silano in adoptionem datus erat. Prætor Macedoniam obtinuerat.

2. *M. Scaurus.*] Senatus princeps, de quo ſicuti de Catulo jam ſæpius.

3. *Atheſim.*] Galliæ Ciſalpinæ fluvium. Ex Tridentinis Alpibus profluit; Tridentum, Veronamque alluit. *Adige.*

4. *Romani Equites.*] Atheſim Catulus Cimbris objecerat: at illi mira feritate clamorem horrendum tollere, concutere pontem, fluvium ſaxis, truncis, arboribus replere; quod tantum terrorem Romanis incuſſit, ut plerique deſertis & caſtris & ſignis, fugerent: quos Catulus cum nec precibus nec lacrymis

cursurum, quam ipsum tam deformis fugæ reum visurum. Itaque si quid modo reliquum in pectore verecundiæ superesset, conspectum degener irati patris vitaret: recordatione enim juventæ suæ, qualis M. Scauro aut habendus, aut spernendus esset, filius admonebatur. Quo nuncio accepto, juvenis coactus est fortius adversus semetipsum gladio uti quam adversus hostes usus fuerat.

An.M. 3991. Ol. 179. 2. Vrb. C. 690. Ant.Ch. 62.

5. Nec minus animose A. Fulvius vir Senatorii Ordinis, euntem in aciem filium retraxit, quam Scaurus è prælio fugientem increpuit. Namque juvenem & ingenio & literis & forma inter æquales nitentem, pravo consilio amicitiam Catilinæ secutum, inque castra ejus temerario impetu ruentem, medio itinere abstractum supplicio mortis affecit: præfatus, Non se Catilinę illum adversus patriam, sed patrię adversus Catilinam genuisse. [a] Licuit, donec civilis belli rabies prçteriret, inclusum arcere: verum illud cauti patris narraretur opus, hoc severi refertur.

INTERPRETATIO.

a *Potuit quidem Fulvius filium tenere inclusum, donec furor belli civilis præteriret; sed illud referretur, ut opus patris providi, hoc vero*, quod fecit, filium occidendo *narratur*, ut præclarum *severi patris* facinus.

NOTÆ.

retinere posset; eorum pudori consulens, se fugæ ducem præbuit; ne fugere, sed ducem sequi viderentur.

CAP. IX.

QUI MODERATI ERGA SUSPECTOS LIBEROS.

1. *L. Gellius Poplicola.*
2. *Q. Hortensius Orator.*
3. *Fulvius quidam.*
4. *Pater quidam.*

SED ut ad hanc incitatam & asperam severitatem mitiores relatu patrum mores clementiæ suæ mistura temperent, exactæ pœnæ concessa venia jungatur.

An. M. 3993. Ol. 179. 4. Vrb.C. 692. Ant. Ch. 60.

1. [1] L. Gellius, omnibus honoribus ad Censuram defunctus, cum gravissima crimina de filio, cum noverca commissum stuprum, & parricidium cogitatum, propemodum explorata haberet; non tamen ad

NOTÆ.

1. *L. Gellius.*] Publicola, qui Consul anno Vrbis 682. Proconsul à Spartaco victus est, & oppressa Catilinæ conjuratione Ciceronem civica corona donandum censuit. Prætor Græciam sortitus, Athenis Philosophos omnes vocavit, il-

vindictam procurrit continuo, sed pene universo Senatu adhibito in consilium, expositis suspicionibus, defendendi se adolescenti potestatem fecit. Inspectaque diligentissime causa, absolvit eum de concilii, tum etiam sententia sua: Quod si impetu iræ abstractus sævire festinasset, admisisset magis scelus, quam vindicasset.

An.M.4003.
Ol. 182. 2.
Vrb.C. 702.
Ant.Ch. 50.

2. Q. autem Hortensii, qui suis temporibus ornamentum Romanæ eloquentiæ fuit, admirabilis [1] in filio patientia extitit. Cum enim eousque impietatem ejus suspectam, & nequitiam invisam haberet, ut Messallam suæ sororis filium hæredem habiturus ambitus reum defendens judicibus diceret, Si illum damnassent, nihil sibi præter osculum nepotum, in quibus acquiesceret, superfuturum: Hac scilicet sententia, quam etiam editæ orationi inseruit, filium potius in tormento animi, quàm in voluptatibus reponens: tamen ne naturæ ordinem confunderet, non nepotes, sed filium hæredem reliquit. Moderate usus affectibus suis: quia & vivus moribus ejus verum testimonium, & mortuus sanguini honorem debitum reddidit.

An.M. 4003.
Ol. 182 2.
Vrb C. 702.
Ant.Ch. 50

3. Idem fecit clari generis, magnæque dignitatis vir [2] Fulvius, sed in filio aliquantum tetriore. Nam cum auxilium Senatus implorasset, ut suspectus in parricidio, & ob id latens per Triumvirum conquireretur, ac jussu Patrum Conscriptorum comprehensus esset; non solum eum non notavit, sed etiam decedens, dominum omnium esse voluit: Quem sibi genuerat hæredem instituens, non quem expertus fuerat.

4. [a] Magnorum virorum clementibus actis ignoti patris novæ atque inusitatæ rationis consilium adjiciam: qui cum à filio necti sibi insidias comperisset, nec inducere in animum posset, ut verum sanguinem ad hoc sceleris progressum crederet, seductam uxorem suppliciter rogavit, ne se ulterius celaret, sed diceret: sive illum adolescentem subjecisset, sive ex alio concepisset: Asseveratione deinde ejus, & jurejurando, se nil tale debere suspicari, persuasus; in locum desertum filio perducto, gladium, quem secum occultum attulerat, tradidit, ac jugulum feriendum præbuit; nec veneno, nec latrone ei ad peragendum parricidium opus esse affirmans: Quo facto non paulatim, sed magno impetu recta cogitatio pectus juvenis occupavit; continuoque

Interpretatio.

a *Hæredem instituens respexit quem genuerat, non quem in se fuerat expertus.*

Notæ.

lisque suadere conatus est, ut aliquando controversiarum facerent modum. Censor cum Cn.Lentulo 64. è Senatu movit.

1. *In filio patientia.*] In vestitu & cultu corporis adeo mollis fuisse dicitur ipse Hortensius, ut diem Collegæ dixerit, quod sibi in loco angusto occurrens, structuram togæ disturbasset. Illius filius ad C. Antonii tumulum M. Antonii jussu occisus est.

2. *Fulvius.*] Illius nec prænomen, nec agnomen proditur.

abjecto gladio, Tu vero, inquit, pater vive: & si tam obsequens es, ut hoc precari filio permittas, [a] me quoque exupera. Sed tantum quæso, ne meus erga te amor sit vilior, quod à pœnitentia oritur. [b] O solitudinem sanguine meliorem, pacatioresque penatibus silvas, & alimentis blandius ferrũ ac mortis oblatę, quam datę vitę felicius beneficiũ!

INTERPRETATIO.

a *Vive diutius, quam ego victurus sum.*

b *O silvas magis conciliatrices pacis, quàm domus; & gladium à patre oblatum potentiorem ad amorem conciliandum, quam alimenta filio ab eo data; & feliciorem patrem, cum se morti paratum filio obtulit, quam cum illi vitam dedit.*

CAP. X.

QUI FILIORUM OBITUM FORTI ANIMO TULERUNT.

ROMANI.

1. *M. Horatius Pulvillus Cos.*
2. *L. Æmilius Paulus Procos.*
3. *Q. Marcius Rex Cos.*

EXTERNI.

1. *Pericles Atheniensis.*
2. *Xenophon.*
3. *Anaxagoras.*

COmmemoratis patribus, qui injurias filiorum patienter exceperunt, referamus eos qui mortes æquo animo tolerarunt.

An. M. 3546. Ol. 68. 1. Vrb C. 245. Ant. Ch. 507.

1. Horatius Pulvillus, cum in Capitolio Jovi Opt. Max. [1] ædem Pontifex dedicaret, interque nuncupationem solemnium verborum postem tenens, [2] mortuum esse filium suum audisset: neque manum à poste removit, ne tanti templi dedicationem interrumperet: neque vultum à publica religione ad privatum dolorem deflexit; ne patris magis, quam Pontificis partes egisse videretur, [3] Tolle, inquit, cadaver.

2. Clarum exemplum: nec minus tamen illustre quod sequitur. Æmilius Paulus nunc felicissimi, nunc miserrimi patris clarissima repræsentatio, ex quatuor filiis formæ insignis, egregiæ indolis, [4] duos

NOTÆ.

1. *Ædem Pontifex.*] Non Pontifex, sed Consul cum Valerio Publicola: sortiti enim, uter ædem Capitolii dedicaret: Horatio sorte evenit.

2. *Mortuum esse.*] Templi dedicationem ab Horatio fieri cum ferrent ægrius amici Poplicolæ, id Horatio tum nunciari curarunt, ut illum mœror patrius à dedicatione abduceret.

3. *Tolle cadaver.*] Desunt hic pauca, quæ ex Livio supplenda arbitror: *tenens postem precationem peragit, & dedicat templum.*

4. *Duos jure adoptionis.*] Alter Q. Fabius Maximus Æmilianus; alter P. Cornelius Scipio Æmilianus, Africanus minor,

jure adoptionis in Corneliam, Fabiamque gentem translatos, sibi ipse denegavit: duos ei fortuna abstulit. Quorum alter triumphum patris funere suo quartum ante diem præcessit: alter in triumphali curru conspectus, post diem tertium expiravit. Itaque qui ad donandos usque liberos abundaverat, in orbitate subito destitutus est. Quem casum quo robore animi sustinuerit, oratione, quam de rebus à se gestis apud populum habuit, hanc adjiciendo clausulam, nulli ambiguum reliquit: Cum in maximo proventu felicitatis nostræ, Quirites, timerem, ne quid mali fortuna moliretur; Jovem Opt. Max. Junonemque Reginam, & Minervam precatus sum, ut si adversi quid populo Romano immineret, totum in meam domum converteret. Quapropter bene se res habet: annuendo enim votis meis id egerunt, ut vos potius meum casum doleatis, quam ego vestro ingemiscerem.

An.M. 3887. Ol. 153. 2. Vrb.C. 586. Ant.Ch. 166.

5. Uno etiam nunc domestico exemplo adjecto, in alienis luctibus orationi meæ vagari permittam. [1] Q. Marcius Rex superior, Catonis in Consulatu Collega, filium summæ pietatis & magnæ spei, & quæ non parva calamitatis accessio fuit, unicum amisit. Cumque se obitu ejus subrutum & eversum videret; ita dolorem altitudine consilii coërcuit, ut à rogo juvenis protinus Curiam peteret: Senatumque, quem eo die lege habere oportebat, evocaret. [a] Quod nisi fortiter mœrorem ferre scisset, unius diei lucem inter calamitosum patrem, & strenuum Consulem, neutra in parte cessante officio, partiri non potuisset.

An.M. 3936. Ol. 165. 3. Vrb. C. 635. Ant Ch. 117.

INTERPRETATIO.

a *Quod nisi scivisset fortiter dolorem ferre, non potuisset eodem die fungi officio & patris afflicti, corpus filii efferendo, & strenui Consulis, Senatum evocando.*

NOTÆ.

1. *Q. Martius Rex superior.*] Sic legendum est, non *superioris Catonis*, ut vulgo legi solet. Duo enim Marcii Reges Consules fuerunt, pater & filius; & neuter cum Catone superiore: at pater cum M. Catone Censoris nepote, filius cum L. Cæcilio Metello.

EXTERNA.

1. Princeps Atheniensium Pericles [1] intra quatriduum duobus mirificis adolescentibus filiis spoliatus; iis ipsis diebus & [2] vultu pristinum habitum retinente, & oratione nulla ex parte infractiore concionatus est. Ille vero caput quoque solito more coronatum gerere sustinuit, ut

An.M. 3624. Ol. 87. 3. Vrb. C. 323. Ant.Ch. 429.

NOTÆ.

1. *Intra quatriduum filiis.*] Et filios & propinquos, & amicos plerosque, quibus in Republica fuerat potissimum usus, paucis diebus pestilentia sustulit.

2. *Vultu pristinum.*] Non ita Plutarchus. Vt enim Parolum, is unus ex filiis reliquus erat, mortuum conspexit, tanto oppressus est dolore, ut in ejulatum

nihil ex vetere ritu propter domesticum vulnus detraheret. Non sine causa igitur tanti roboris animus ad Olympii cognomen ascendit.

An.M. 3690. Ol. 104. 1. Vrb. C. 389. Ant.Ch. 363.

2. [a] [1] Xenophon autem, quod ad Socraticam disciplinam attinet, proximus à Platone felicis ac beatæ facundiæ gradus, cum solemne sacrificium perageret, è duobus filiis [2] majorem natu nomine Gryllum, [3] apud Mantineam in prælio occidisse cognovit: nec ideo institutum Deorum cultum omittendum putavit, sed tantummodo coronam deponere contentus fuit. Quam ipsam, percunctatus quonam modo occidisset, ut audivit fortissime pugnantem interiisse, capiti reposuit; numina quibus sacrificabat testatus, majorem se ex virtute filii voluptatem, quam ex morte amaritudinem sentire. Alius removisset hostiam, abjecisset altaria, lacrymis respersa thura disjecisset; Xenophontis corpus religioni immobile stetit, & animus in consilio prudentiæ stabilis mansit: Nam dolori succumbere, ipsa clade, quæ nunciata erat, tristius duxit.

An.M. 3613. Ol. 84. 4. Vrb. C. 312. Ant.Ch. 440.

3. Nec [4] Anaxagoras quidem supprimendus est. Audita namque morte filii, Nihil, inquit, mihi inexpectatum aut novum nuntias: ego enim illum ex me natum sciebam esse mortalem. Has voces utilissimis præceptis imbuta virtus mittit: quas si quis efficaciter auribus perceperit, non ignorabit ita liberos esse procreandos, [b] ut meminerit, his à rerum natura, & accipiendi spiritus, & reddendi, eodem momento temporis legem dici: atque ut mori neminem solere, qui non vixerit; ita nec vivere aliquem posse, qui non sit moriturus.

INTERPRETATIO.

a *Xenophon vero, quod ad doctrinam Socratis pertinet, dicendi laude proximus à Platone excelluit.*

b *Vt meminerit à natura rerum omnium parente eodem temporis momento liberis legem imponi, & vivendi & aliquando moriendi.*

NOTÆ.

erumperet, & magnam vim profunderet lacrymarum.

1. *Xenophon.*] Socratis discipulus, æmulusque Platonis, vir omnibus, tum ingenii, tum animi laudibus ornatissimus: mirum sane, quod nec ipse Platonis, nec ipsius Plato suis in scriptis meminerit.

2. *Majorem natu.*] Duos ex Philesia filios susceperat, Gryllum & Diodorum; ambo ea corporis pulchritudine, ut Dioscuri dicerentur.

3. *Apud Mantineam.*] Vbi Epaminondas contra Agesilaum pugnans cecidit. De illa pugna consule l. 1. c. 2. n. 5.

4. *Anaxagoras.*] Clazomenius Anaximenis discipulus, præcellens in Physicis, generisque splendore nobilissimus: opes dimisit suas, quo Philosophiæ studio facilius incumberet.

VALERII MAXIMI
LIBER SEXTUS.

CAP. I.
DE PUDICITIA.

QUAM COLUERE ROMANI.

1. *Lucretia, Sp. F. L. Collatini.*
2. *L. Virginius.*
3. *Pontius Aufidianus Eques Rom.*
4. *P. Mœnius.*
5. *Q. Fabius Max. Servilianus.*
6. *P. Atilius Philiscus.*
7. *M. Claud. Marcell. Ædilis curul.*
8. *Q. Metellus Celer. Trib. pleb.*
9. *T. Veturius T. F. Calvinus.*
10. *C. Pescennius Triumvir capitalis.*
11. *Cominius Tribunus plebis.*
12. *C. Marius Cos. II.*
13. *Privati qui adulteria deprehensa vindicarunt.*

EXTERNI.

1. *Hippo fœmina Græca.*
2. *Chiomara Oriagontis Reguli.*
3. *Teutonorum uxores.*

UNDE te virorum pariter ac fœminarum præcipuum firmamentum Pudicitia evocem? Tu enim prisca religione consecratos Vestæ focos incolis. Tu Capitolinæ Junonis pulvinaribus incubas. Tu palatii columen augustos penates, sanctissimumque Juliæ gentis genialem torum assidua statione celebras. Tuo præsidio puerilis ætatis insignia munita sunt. Tui numinis respectu sincerus juventæ flos permanet. [a] Te custode matronalis stola censetur. Ades igitur, & cognosce quæ fieri ipsa voluisti.

1. Dux Romanæ pudicitiæ [1] Lucretia, cujus virilis animus, maligno errore fortunæ, muliebre corpus sortitus est: A [2] Sex. Tarquinio Regis Superbi filio per vim stuprum pati coacta, cum gravissimis verbis injuriam suam [3] in concilio necessariorum deplorasset; ferro se, quod An.M. 3545. Ol. 67. 4. Vrb. C. 244. Ant.Ch. 508.

INTERPRETATIO.

a *Te custode stola, quæ matronarum vestis est, pudicitiæ insigne habetur.*

NOTÆ.

1. *Lucretia.*] Lucretii viri nobilis filia, & L. Tarquinii Collatini uxor.

2. *Sex. Tarquinio.*] Is Collatiam à patre missus divertit ad cognatum suum Collatinum, qui tum ad Ardeam erat in castris.

3. *In concilio necessariorum.*] Ubi illuxit, conscenso carpento, Romam properat, patrisque genua complexa ab eo postulat,

veste tectum attulerat, interemit. Causamque tam animoso interitu imperium consulare [1] pro regio permutandi, populo Rom. præbuit.

An.M. 3606. Ol. 83. 1. Vrb. C. 305. Ant. Ch. 447.

2. Atque hanc illatam injuriam non tulit Virginius plebeii generis, sed patricii vir spiritus, ne probro contaminaretur domus sua, proprio sanguini non pepercit. Nam cum [2] Ap. Claudius Decemvir, filiæ ejus virginis stuprum, [3] potestatis viribus fretus, pertinacius expeteret, deductam in forum puellam occidit; pudicæque interemptor, quam corruptæ pater esse maluit.

3. Nec alio robore animi præditus fuit Pontius Aufidianus Eques Rom. qui postquam comperit filiæ suæ virginitatem à pędagogo proditam Fannio Saturnino, non contentus sceleratum servum affecisse supplicio, etiam ipsam puellam necavit. Itaque ne turpes ejus nuptias celebraret, acerbas exequias duxit.

4. Quid P. Mevii? quam severum pudicitiæ custodem egit! In libertum namque gratum admodum sibi animadvertit, quia eum nubilis jam ætatis filiæ suæ osculum dedisse cognoverat, cum præsertim non libidine, sed errore lapsus videri posset. Cæterum amaritudine pœnæ, teneris adhuc puellæ sensibus, castitatis disciplinam ingenerari magni æstimavit. Eique tam tristi exemplo præcepit, ut non solum virginitatem illibatam, sed etiam oscula ad virum sincera perferret.

An.M. 3928. Ol. 163. 3. Vrb. C. 617. Ant. Ch. 125.

5. [4] Q. vero Fabius Maximus Servilianus [a] honoribus quos splendidissime gessit, Censurę gravitate consummatis, exegit à filio unico pœ-

INTERPRETATIO.

a *Post honores quos summa cum laude gesserat, Censuræ etiam dignitatem obtinuit.*

NOTÆ.

ut cognatos omnes & amicos convocaret, quibus rem omnem ordine narrat: tum deos precata, cultrum in cor defigit.

1. *Pro regio permutandi.*] Inde Lucretius & Collatinus prolato in forum mulieris corpore, ut erat cruore fœdatum, populum ad libertatem vocant: hinc Brutus, Valerius, aliique viri nobiles de Tarquiniis non recipiendis conspirant.

2. *App. Claudius.*] Sabinus Regillensis, vir summa inter Collegas auctoritate: tum erant Decemviri, ut leges è Græcia nuper allatas ad Romanorum usum disponerent.

3. *Potestatis viribus fretus.*] Cum virginem precibus muneribusque frustra sæpe tentasset, Claudium nescio quem clientem suum subornat, qui eam filiæ suæ ancillam esse palam affirmet, & in servitutem vindicet; bis causa defertur ad Triumvirum, bisque Claudio clienti in servitutem datur; at ne abduceretur obstitit primum populus, deinde virginis pater, qui monitus è castris in urbem advolat, petitque à Magistratu, ut filiam extremo salutare sibi liceat, & soli cum sola colloqui: tum illam sensim ad officinam coquinariam abducit, raptumque è mensa cultrum per filiæ pectus adigit, hoc tantum effatus: *Liberam te, pudicamque, filia, ad majores sub terram demitto; viventi enim horum neutrum per tyrannum licuisset.* Inde orta ingens seditio; depositi Triumviri, alii occisi, alii in fugam acti, factaque plebis in montem Aventinum secessio. Ita Livius l.3.

4. *Q. Fabius.*] Qui ex gente Servilia in Fabiam adoptione translatus est: fuit enim frater Q. & Cn. Cæpionum; Consulatum, Censuram & Pontificatum ma-

nas dubiæ castitatis: Is eas pependit, voluntario secessu conspectum patris vitando.

6. Dicerem Censorium virum nimis acerbum extitisse, nisi P. Atilium Philiscum in pueritia corpore quæstum à domino facere coactum, tam severum postea patrem cernerem. Filiam enim suam, quod ea se stupri crimine coinquinaverat, interemit. Quam sanctam igitur in civitate nostra pudicitiam fuisse existimare debemus, in qua etiam institores libidinis, tam severos ejus vindices evasisse animadvertimus?

7. Sequitur excellentis nominis, ac memorabilis facti exemplum. An.M. 3828.
[1] M. Claudius Marcellus Ædilis Curulis [2] C. Scantinio Capitolino Trib. Ol. 138. 3.
pleb. diem ad populum dixit, quod filium suum de stupro appellasset: Vrb. C. 527.
Eoque asseverante se cogi non posse ut adesset, quia sacrosanctam po- Ant.Ch. 225.
testatem haberet, & ob id Tribunitium auxilium implorante; totum collegium Tribunorum negavit se intercedere, quo minus pudicitiæ quæstio perageretur. Citatus igitur Scantinius reus, uno teste qui tentatus erat, [3] damnatus est. Constat juvenem productum in Rostra defixo in terram vultu perseveranter tacuisse, verecundoque silentio plurimum in ultionem suam valuisse.

8. [4] Metellus quoque Celer stuprosæ mentis acer punitor extitit, Cn. Sergio Silo promissorum matrifamiliæ nummorum gratia diem ad populum dicendo, eumque hoc uno crimine damnando: Non enim factum tunc, sed animus in quæstionem deductus est: plusque voluisse peccare nocuit, quam non peccasse profuit.

9. Concionis hæc, illa Curiæ gravitas. T. [5] Veturius filius ejus Veturii, qui in Consulatu suo Samnitibus, ob turpiter ictum fœdus, deditus fuerat: cum propter domesticam ruinam, & grave æs alienum C. Plotio nexum se dare admodum adolescentulus coactus esset: servilibus ab eo verberibus, quia stuprum pati noluerat, affectus querelā ad Consules detulit. A quibus hac de re certior factus Senatus, Plotium in carcerem duci jussit: in qualicunque enim statu positam Romano sanguini pudicitiam tutam esse voluit.

10. Et quid mirum, si hoc universi Patres Conscripti censuerunt? C. Pescennius Triumvir Capitalis Cornelium fortissime militiæ stipendia emeritum, virtutisq; nomine quater honore primipili ab Imperatoribus

NOTÆ.

ximum adeptus, cum Viriatho rem bene gessit. Vide gentem Fabiam.

1. *M. Marcellus.*] Quinquies Consul, qui Syracusas cepit.

2. *C. Scantinio.*] Non Tribunus plebis tum erat ille, sed Ædilis Marcelli Collega, ex Plut. *Sacrosanctam potestatem*, Tribunitiam: lex enim erat, ut qui Tribunum violasset, ejus caput sacrum foret.

3. *Damnatus est.*] Mulcta reo dicta, ex qua pecunia Marcellus mensam argenteam ministerio deorum consecravit. Ita Plut.

4. *Metellus Celer.*] Ille, ni fallor, qui postea Creticus dictus est, & Consul anno Vrbis 693.

5. *Veturius.*] Adolescens ille à Livio *Publius* appellatur, fœnerator *L. Papirius*. Virgis laceratus juvenis in forum se pro-

donatum; quod cum ingenuo adolescentulo stupri commercium habuisset, publicis vinculis oneravit: A quo appellati Tribuni, cum de stupro nihil negaret, sed sponsionem se facere paratum diceret, quod adolescens ille palam atque aperte corpore quæstum factitasset, intercessionem suam interponere noluerunt. Itaque Cornelius in carcere mori coactus est. [a] Non putarunt Tribuni plebis Rempublicam nostram cum fortibus viris pacisci oportere, ut externis periculis domesticas delicias emerent.

11. Libidinosi Centurionis supplicium, M. Lætorii Mergi Tribuni militaris, æque fœdus exitus sequitur: Cui Cominius Trib. pleb. diem ad populum dixit, quod [1] cornicularium suum stupri causa appellasset. Nec sustinuit ejus rei sententiam Lætorius, sed se ipse ante judicii tempus fuga prius subtraxit, deinde etiam morte punivit. Naturæ modum expleverat: fato tamen functus, universæ plebis sententia crimine impudicitiæ damnatus est: Signa illum militaria, sacratæ aquilæ & certissima Romani Imperii custos severa castrorum disciplina, usque ad inferos persecuta est. Quoniam cujus magister esse debuerat, sanctitatis corruptor tentabat existere.

An.M. 3950. Ol. 169. 1. Vrb. C. 649. Ant. Ch. 103.

12. Hoc movit C. Marium Imperatorem, tum cum [2] C. Luscium sororis suæ filium Tribunum militum à C. Plotio manipulario milite [3] jure cæsum pronuntiavit, quia eum de stupro compellare ausus fuerat.

13. Sed ut eos quoque qui in vindicanda pudicitia dolore suo pro publica lege usi sunt, strictim percurram: Sempronius Musca C. Gallium deprehensum in adulterio flagellis cecidit: C. Memmius L. Octavium similiter deprehensum nervis contudit. Carbo Accienus à Vibieno, item Pontius à P. Cernio deprehensi castrati sunt. Cn. etiam Furium Brochum

INTERPRETATIO.

a *Tribuni plebis noluerunt permittere, ut viris fortibus liceret domi libidinosè & turpiter vivere, quia foris pericula generosè subierant.*

NOTÆ.

fipit; deinde in curiam: fit ingens populi concursus, cogiturque Senatus; tum ille tergum virgis cæsum Patribus ostentat, vimque queritur. De Triumviris jam diximus, & de Primipilatu.

1. *Cornicularium.*] Cornicularii erant, vel accensi, qui in aciei cornibus una cum Decurionibus statuerentur; vel potius, ex Sigonio, Tribunorum militarium ministri, qui vigilias eorum loco circumirent. Quod Tribunorum imperia corniculo ederent, cornicularii dicti sunt.

2. *C. Luscium.*] Alia nomina prodit Plutarchus in Mario; ubi Marii nepos *Lusius*, miles *Trebonius* dicitur.

3. *Iure cæsum.*] Cum Lusius Trebonium sæpe appellasset de stupro, noctu in tabernaculum evocat: venit Trebonius, jubenti enim Tribuno non parere nefas erat; Lusiumque vim adhibentem stricto gladio confodit: deinde Mario & crimen, & criminis causam aperit, testesque multos appellat: quare & laudatus à Mario, & corona, quæ virtutis ergo dari solet, donatus est. Quod æquitatis exemplum tertium Mario Consulatum peperit. Hæc Plutarchus.

quidam deprehendit & familiæ stuprandum objecit: [b] Quibus iræ suæ indulsisse, fraudi non fuit.

INTERPRETATIO.

b *Nullo damno affectus est, quod nimium ira sua tribuerit.*

EXTERNA.

1. Atque ut domesticis externa subnectam, Græca fœmina nomine Hippo, cùm hostium classe esset excepta, in mare se, ut morte pudicitiam tueretur, abjecit: Cujus corpus [1] Erechteo littori appulsum, proxima undis humo sepulturæ mandatum, ad hoc tempus tumulus contegit. Sanctitatis vero gloriam æternæ traditam memoriæ, Græcia laudibus suis celebrando, quotidie florentiorem effecit.

2. Vehementius hoc, illud consideratius exemplum pudicitiæ. Exercitu & copiis [2] Gallogræcorum à Cn. Manlio Consule [3] in Olympo monte ex parte deletis, ex parte captis, Oriagontis Reguli uxor miræ pulchritudinis, à Centurione, cui custodienda tradita erat, stuprum pati coacta. Postquam ventum est in eum locum, in quem [4] Consulis jussu Centurio, misso nuntio, necessarios mulieris pretium quo eam redimerent, afferre jusserat: Aurum expendente Centurione, & in ejus pondus animo oculisque intento, Gallogræcis lingua gentis suæ imperavit, ut eum occiderent. Interfecti deinde caput abscissum manibus retinens, ad conjugem venit; abjectoque ante pedes ejus, & injuriæ & ultionis suæ ordinem exposuit. Hujus fœminæ quid aliud quisquam, quam corpus in potestatem hostium venisse dicat? Nam neque animus vinci, nec pudicitia capi potuit.

An.M. 3865. Ol. 147. 4. Vrb.C. 564. Ant.Ch. 188.

3. [5] Teutonorum vero conjuges Marium victorem orarunt, ut ab eo virginibus Vestalibus dono mitterentur, affirmantes æque se, atque illas

An.M. 3953. Ol. 169. 4. Vrb.C. 652. Ant.Ch. 100.

NOTÆ.

1. *Erectheo littori.*] Nonnulli legunt, *Erythreo*, sed male: littus est, nisi mea me fallit opinio, Atticæ regionis non procul ab Erichthia, quod Atticæ oppidum olim fuit.

2. *Gallogræcorum.*] In tres quasi nationes divisi erant Galli Asiatici: duobus præliis illos vicit Manlius; uno Tolistobogios & Troemios; altero Tectosagas. Iam montem Olympum occuparant, cum Manlius acceptis à L. Scipione copiis illos aggreditur: partim gladius, partim tela, partim præcipitia hauserunt. Cæsorum numerus iniri non potuit, quia per anfractus montium & fuga & cædes fuit; 40. millia capta. Ita Livius l. 38.

3. *In Olympo monte.*] Non Thessaliæ, sed Gallogræciæ.

4. *Consulis jussu.*] Imo injussu: ad leniendam enim injuriam spem libertatis mulieri facit; illa talentum auri Attici pacta, mittit ad suos qui aurum deferrent.

5. *Teutonorum.*] Teutonas & Cimbros vicit Marius; illos in Gallia ad Aquas-Sextias, hos in Italia ad Vercellas cum Q. Catulo. Sed de Teutonis Historicorum, quos quidem legerim, nullus id prodidit. De Cimbris id affirmat Florus; Plutarchus non meminit. De Cimbris intelligendum puto, quorum conjuges maritos, fratres, parentes fugientes è

virilis concubitus expertes futuras. Eaque re non impetrata, laqueis sibi nocte proxima spiritum eripuerunt. [a] Dii melius, quod hunc animum viris earum in acie non dederunt. Nam si mulierum suarum virtutem imitari voluissent, incerta Teutonicæ victoriæ trophæa reddidissent.

INTERPRETATIO.

a *Dii benignius* cum populo Romano egerunt, *quod &c.*

NOTÆ.

prælio interfecerunt: tum ipsæ, aut mutuis cecidere vulneribus, aut laqueo ex crinibus facto ex arboribus, jugisque plaustrorum pependerunt. Ita Florus & Plut.

CAP. II.

QUÆ LIBERE DICTA, AUT FACTA.

A ROMANIS.

1. *Legato Privernatium.*
2. *L. Marcio Philippo Cos.*
3. *Scipione Æmiliano.*
4. *Cn. Calpurnio Pisone.*
5. *M. Catone Uticensi.*
6. *Cn. Lentulo Marcellino Cos.*
7. *M. Favonio.*
8. *Helvio Mancia Formiano.*
9. *Diphilo Tragœdo.*
10. *M. Castricio Placentino.*
11. *Ser. Sulpicio Galba.*
12. *A. Cæsellio Iurisconsulto.*

AB EXTERNIS.

1. *Machara Macedonica muliere.*
2. *Syracusana quadam.*
3. *Theodoro Cyrenæo.*

Libertatem autem vehementis spiritus dictis pariter ac factis testatam, ut non invitaverim; ita ultro venientem non excluserim. Quæ inter virtutem vitiumque posita, si salubri modo se temperaverit, laudem: si quo non debuit, profuderit, reprehensionem meretur. [a] Atque vulgi sic auribus gratior, quam sapientissimi cujusque animo probabilior est. Utpote frequentius aliena venia, quam sua providentia tuta. Sed quia humanæ vitæ partes persequi propositum est; nostra fide, propria æstimatione referatur.

An.M.3725. Ol. 112. 4. Vrb.C. 424. Ant.Ch.318.

1. [1] Priverno capto, interfectisque qui id oppidum ad rebellan-

INTERPRETATIO.

a *Libertas hujusmodi plus habet gratiæ in animo vulgi, quam approbationis in animo sapientis: quia tuta magis est clementiâ eorum, in quos aliquid temere dictum aut factum est; quam providentiâ ipsorum, qui liberius aliquid dicunt, aut agunt. Sed cum mihi propositum sit exprimere varios quasi mores humanæ vitæ, referam exempla libertatis fideliter, prout gesta sunt, ut vel laudentur, vel vituperentur.*

NOTÆ.

1. *Priverno capto.*] Contra Gallos & Latinos cum bellum ingrueret, Gallicum Æmilio Mametio, Latinum C. Plautio Hypsæo obtigit; qui Privernum, seu vi,

dum incitaverant, Senatus indignatione accensus consilium agitabat, quidnam sibi de reliquis quoque Privernatibus faciendum esset. Ancipiti igitur casu salus eorum fluctuabat, eodem tempore & victoribus & iratis subjecta. Cæterum cum auxilium unicum in precibus restare animadverterent, ingeniti Italici sanguinis oblivisci non potuerunt. Princeps enim eorum in Curia interrogatus, quam pœnam mererentur, respondit: Quam merentur, qui se dignos libertate judicant. Verbis arma sumpserat: exasperatosque Patrum Conscript. animos inflammaverat. Sed Plautius Consul favens Privernatium causæ, regressum animoso ejus dicto obtulit; quæsivitque, qualem cum eis Romani pacem habituri essent impunitate donata. At is constantissimo vultu, Si bonam dederitis, inquit, perpetuam: si malam, non diuturnam. Qua voce perfectum est, ut victis non solum venia, sed etiam jus & beneficium nostræ civitatis daretur.

2. Sic in Senatu Privernas loqui ausus est. [1] L. vero Philippus Consul adversus eundem ordinem libertatem exercere non dubitavit. An.M. 3963.
Nam [2] segnitiem pro Rostris exprobrans, alio sibi Senatu opus esse Ol. 172. 2.
dixit; tantumque à pœnitentia dicti abfuit, ut etiam [3] L. Crasso sum- Vrb.C. 662.
mæ dignitatis & eloquentiæ viro, id in Curia graviter ferenti, manum Ant.Ch. 90.
injici juberet. Ille rejecto lictore, Non es, inquit, mihi Philippe Consul, quia nec ego quidem tibi Senator sum.

3. [a] Quid? populum ab incursu suo tutum libertas reliquit? imo & similiter aggressa, & æque experta est patientem. [4] C. Carbo Trib. pleb. nuper sepultæ Gracchanæ seditionis turbulentissimus vindex,
idemque orientium civilium malorum fax ardentissima, P. Africanum à An.M. 3924.
Numantiæ ruinis summo cum gloriæ fulgore venientem, ab ipsa pene Ol. 162. 3.
porta in Rostra perductum, quid de Ti. Gracchi morte, cujus Vrb.C. 623.
sororem in matrimonio habebat, sentiret, interrogavit: ut auctori- Ant.Ch. 129.

INTERPRETATIO.

a *Quid? libertas nonne etiam vim suam exercuit in populum, dum illum impulit ut* in Scipionem *libere loqueretur, & illum liberius respondentem pateretur.*

NOTÆ.

seu deditione cepit: alii enim aliter tradidere.

1. *L. vero Philippus.*] Ex gente Marcia Consul cum Sex. Iulio Cæsare.

2. *Segnitiem pro Rostris.*] Drusus Tribunus plebis legem tulerat, ut ad trecentos, qui tum erant Senatores; totidem ex Equestri Ordine adderentur: id, cum Senatus omnis ægre tulit, tum maxime Consul Philippus, qui multis de causis Druso infensus erat; ideoque in Senatum, quod id pateretur, acriter invectus est.

3. *L. Crasso.*] Oratore. De quo ita Cicero in Oratore. Crassus eo die orationem prope divinam habuit contra Philippum; tantaque mentis agitatione concussus est, ut cum se domum recepisset, febribus & dolore laterum laborare cœperit, & die septimo perierit.

4. *C. Carbo.*] Civis improbus, & Tribunus seditiosus, cujus legibus ita obstitit Scipio, ut leges populares populi

tate clarissimi viri, inchoato jam incendio multum incrementi adjiceret: Quia non dubitabat, quin propter tam arctam affinitatem, aliquid pro interfecti necessarii memoria miserabiliter esset locuturus. At is jure eum cæsum videri respondit. Cui dicto cum concio Tribunitio furore instincta violenter succlamasset, Taceant, inquit, quibus Italia noverca est. Orto deinde murmure, Non efficietis, ait, ut solutos verear, quos alligatos adduxi. Universus populus iterum ab uno contumeliosè correptus erat. Quantus est honos virtutis? tacuit actutum: Recens victoria ipsius Numantina, & patris Macedonica, devictæque Carthaginis spólia avita, ac duorum Regum Syphacis & Persæ ante triumphales currus catenatæ cervices, tunc totius fori frementis ora clauserunt: Nec timori datum est silentium, [a] sed quia beneficio Æmiliæ & Corneliæ gentis, multi metus Urbis atque Italiæ finiti erant, plebs Romana libertatis Scipionis libera non fuit.

4. Quapropter minus mirari debemus, quod amplissima Cn. Pompeii auctoritas toties cum libertate luctata est: nec sine magna laude, quoniam omnis generis hominum licentiæ ludibrio esset, quieta fronte tulit. [1] Cn. Piso, cum [2] Manilium Crispum [3] reum ageret, eumque evidenter nocentem gratia Pompeii videret eripi; juvenili impetu ac studio accusationis provectus, multa & gravia crimina præpotenti defensori objecit. Interrogatus deinde ab eo, cur se quoque non accusaret: Da, inquit, prædes Reipub. te, si postulatus fueris, civile bellum non excitaturum; etiam de tuo prius, quam de Manilii capite in consilium judices mittam. Ita eodem judicio duos sustinuit reos: accusa-

INTERPRETATIO.

a *Sed quia victoriis à gente & Cornelia & Æmilia relatis, multi liberati erant metu ob pericula Urbi & Italiæ imminentia* in bello Punico & Macedonico, *plebs Romana libertatem Scipionis admirata, quasi libera non esset*, respondere non ausa est.

NOTÆ.

suffragiis repudiatæ sint. De Scipionis responso egimus pluribus l. 5. c. 3. Quis Scipio Æmilianus, Æmilius Paulus, à quo capta Carthago, à quibus victi Perses & Syphax, diximus sæpissime.

1. *Cn. Piso.*] Tres id temporis erant: quibus idem Cn. Pisonis nomen fuit, unus is qui Catilinæ deditus in Hispania cæsus est: alter legatus Pompeii in bello Piratico: tertius in bello civili partes & Pompeii & M. Bruti secutus, reditu concesso ab honorum petitione abstinuit, donec Consulatus illi ab Augusto delatus est. Quis horum is fuerit, conjiciant alii.

2. *Manilium Crispum.*] Illum forte Tribunum plebis, qui duas leges tulit; alteram de libertorum suffragiis, alteram de bello Mithridatico Pompeio extra ordinem committendo: primam repudiavit Senatus; secundam defendit Cicero ea, quæ etiam nunc extat, eleganti oratione.

3. *Reum ageret.*] Sive adulterii, ut vult Varro; sive criminis alterius accusatus fuerit, bis ad Iudicum subsellia tractum refert Cicero, & ita decessisse, ut non ipse innocens, sed Iudices pejerasse existimarentur.

tione

tione Manilium, libertate Pompeium: [a] & eorum alterum lege peregit, alterum professione, qua solum poterat.

5. Quid ergo libertas sine Catone? non magis quam Cato sine libertate. Nam cum in [1] Senatorem nocentem & infamem reum Judex sedisset, tabellæque Cn. Pompeii laudationem ejus continentes, prolatæ essent, procul dubio efficaces futuræ, protinus submovit eas è quæstione, legem recitando, qua cautum erat, ne Senatoribus tali auxilio uti liceret. Huic facto persona admirationem ademit. Nam quæ in alio audacia videretur, in Catone fiducia cognoscitur.

6. Cn. Lentulus Marcellinus Consul, cum in concione de Magni [2] Pompeii nimia potentia quereretur assensusque ei clara voce universus populus esset: Acclamate, inquit, Quirites, acclamate, dum licet: jam enim vobis impune facere non licebit. [b] Pulsata est tunc maximi civis potentia, hinc invidiosa querela, hinc lamentatione miserabili. An.M.3998. Ol. 181. 1. Vrb. C. 697. Ant.Ch. 55.

7. Cui candida fascia crus alligatum habenti, Favonius: Non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema: Exigui panni cavillatione regias ejus vires exprobrans. At is neutra in parte mutato vultu, utrumque cavit, ne aut hilari fronte libenter agnoscere potentiam, aut tristi iram profiteri videretur: Eaque patientia inferioris etiam generis & fortunæ hominibus aditum adversus se dedit: E quorum turba duos retulisse abunde erit. An.M.3998. Ol. 181. 1. Vrb. C.697. Ant.Ch. 55.

8. Helvius Mancia Formianus, Libertini filius, ultimæ senectutis, L.[3] Libonem apud Censores accusabat: in quo certamine cum Pompeius Magnus humilitatem ei, ætatemque exprobrans, ab inferis illum ad accusandum remissum dixisset: Non mentiris, inquit, Pompei: venio enim ab inferis L. Libonem accusaturus: sed dum illic moror, vidi cruentum [4] Cn. Domitium Ahenobarbum deflentem, quod summo genere natus, integerrimæ vitæ, amantissimus patriæ, in ipso juventutis flore, An.M.3999. Ol. 181. 2. Vrb.C. 698. Ant.Ch.54. An.M. 3973. Ol. 174. 4. Vrb. C.672. Ant.Ch.80.

Interpretatio.

a *Et eorum alterum Manlium lege damnari fecit; alterum vero Pompeium professus est se accusaturum, quod solum poterat.*

b *Potentia Pompeii civis eximii læsa est, & à Lentulo querela invidiosa, & à plebe lamentatione miserabili.*

Notæ.

1. *Senatorem nocentem.*] M. Scaurum, qui apud Catonem tum Prætorem repetundarum postulatus est, ut diximus supra.

2. *Pompeii nimia potentia.*] Qui juncta cum Crasso & Cæsare societate alterum Consulatum petebat; querenti Lentulo, *Non erubescis*, ait Pompeius, *ô Marcelline, de me minus honeste loqui, per quem ex muto vocalis, & ex famelico vomens factus es.* De Savonio l.2. c.10. n.8.

3. *L. Libonem.*] Ex Scribonia gente, qui victis, tum Pompeii, tum M. Bruti partibus, ad M. Antonium se contulit; cujus opera Consulatum adeptus est.

4. *Cn. Domitium.*] Cinnæ generum, qui cum septem legionibus in Africa cæsus est.

An.M. 3977. Ol. 175. 4. Vrb.C.676. Ant.Ch. 76.

tuo jussu esset occisus. Vidi pari claritate conspicuum [1] Brutum ferro laceratum, querentem, id sibi prius perfidia, deinde etiam crudelitate tua accidisse. Vidi Cn. Carbonem acerrimum pueritiæ tuæ bonorumque patris tui defensorem, in tertio Consulatu suo catenis, quas tu ei injici jusseras, vinctum, obtestantem te, adversus omne fas ac nefas, cum in summo esset imperio, à te Equite Romano trucidatum. [a] Vidi eodem habitu & quiritatu prætorium virum [2] Perpernam sævitiam tuam execrantem: omnesque eos una voce indignantes, quod indemnati sub te adolescentulo carnifice occidissent. Obducta jam [b] [3] vietis cicatricibus bellorum civilium vastissima vulnera, municipali homini, servitutem paternam redolenti, effrenata temeritate, intolerabilique spiritu impune revocare licuit. Itaque eo tempore & fortissimum erat Cn. Pompeio maledicere, & tutissimum. Sed non patitur nos hoc longiore querela prosequi personæ insequentis aliquanto sors humilior.

An M. 3973. Ol. 174. 4. Vrb. C. 672. Ant. C. 80.

An. M. 3982. Ol. 177. 1. Vrb. C. 681. Ant.Ch. 71.

9. Diphilus Tragœdus, cum [4] Apollinaribus ludis inter actum ad eum versum venisset, in quo hæc sententia continetur, Miseria nostra magnus est: directis in Pompeium manibus, pronuntiavit: [c] Revocatusque aliquoties à populo sine ulla cunctatione, nimiæ illum & intolerabilis potentiæ reum gestu perseveranti egit. Eadem petulantia usus est in ea quoque parte, Virtutem istam veniet tempus cum graviter gemas.

An.M. 3972. Ol. 174. 3. Vrb. C. 671. Ant.Ch. 81.

10. M. etiam Castricii libertate inflammatus animus, qui cum Placentiæ Magistratum gereret, Cn. Carbone Consule jubente decretum fieri, quo sibi obsides à Placentinis darentur, nec summo ejus imperio obtemperavit, nec maximis viribus cessit: Atque etiam dicenti multos se gladios habere, respondit, Et ego annos. Obstupuerunt tot legiones tam robustas senectutis reliquias intuentes. [d] Carbonis quoq; ira

INTERPRETATIO.

a *Eodem amictu & iisdem insignibus.*

b *Veteribus cicatricibus.*

c *Iussusque à populo idem sæpius repetere, sine ulla formidine gestu constanter indicavit Pompeium, qui nimiam tum potentiam habebat.*

d *Ira quoque Carbonis, cum parvam in sene haberet materiam, in quam sæviret, breve enim tantum reliquæ vitæ tempus auferre poterat, sponte sua sedata est.*

NOTÆ.

1. *Brutum.*] Is M. Bruti, qui Cæsarem occidit, pater erat. Cum Galliam Cisalpinam pro Lepido teneret, & castra castris Pompeii collata ad Mutinam diu habuisset, tandem se suaque omnia permisit Pompeii fidei, cujus tamen jussu paulo post necatus est. De Carbone supra.

2. *Perpernam.*] Post admissum in Sertorium facinus victus à Pompeio Perperna in dumeto deprehensus est; & antequam in conspectum veniret, interfici jussus, ne novorum bellorum auctor fieret. Ita App.

3. *Vietis cicatricibus.*] *Vietus* idem est, ex Festo, quod languidus. Vnde & Terentius in Eunucho: *Hic est vietus, vetus, veternosus senex.* Et Plautus in Mercat. *Acheronticus senex, vietus, decrepitus.* Vietas cicatrices appellat veteres quidem, sed male curatas.

4. *Apollinaribus ludis.*] Cum pestilentia urbs laboraret, hi ludi in honorem

quia materiam sæviendi perquam exiguam habebat, parvulum vitæ tempus ablatura, in seipsa collapsa est.

11. Jam [1] Ser. Galbæ temeritatis plena postulatio, qui Divum Julium consummatis victoriis, in foro jus dicentem, in hunc modum interpellare sustinuit: C. Juli Cæsar, pro Cn. Pompeio Magno quondam genero tuo in tertio ejus Consulatu pecuniam spopondi, quo nomine nunc appellor: Quid agam? dependam? Palam atque aperte ei bonorum Pompeii venditionem exprobrando, ut à Tribunali summoveretur, meruerat: sed illud ipsa mansuetudine mitius pectus, æs alienum Pompeii ex suo fisco solvi jussit. An.M.4009. Ol. 183. 4. Vrb C. 708. Ant.Ch. 44.

12. A. [2] Cæsellius vir juris civilis scientia clarus, quam periculose contumax! Nullius enim aut gratia, aut auctoritate compelli potuit, ut de aliqua earum rerum, quas Triumviri dederant, formulam componeret. Hoc animi judicio victoriarum beneficia extra omnem ordinem legum ponens. Idem, cum multa de partibus Cæsaris liberius loqueretur, amicique, ne id faceret, monerent: Duas res quæ hominibus amarissimæ videntur, magnam sibi licentiam præbere respondit; senectutem & orbitatem. An.M. 4012. Ol. 184. 3. Vrb C. 711. Ant.Ch. 41.

NOTÆ.

Apollinis instituti: sunt tamen, qui aliam causam afferant, inter quos Macrobius ad carmen Martii Vatis eorum institutionem refert: ut ut est, illos populus & laureatus spectare, & conviviis celebrare solebat.

1. *Ser. Galba.*] Ex gente Sulpitia: is Galbæ Imperatoris avus fuit. Cæsaris in bello Gallico legatus prius fuerat; sed ob Consulatus repulsam in illum cum Bruto conspiravit.

2. *Cæsellius.*] De quo Horatius in arte Poët. *Nec scit quantum Cæsellius Aulus.*

EXTERNA.

1. Inserit se tantis viris mulier alienigeni sanguinis: quæ à Philippo Rege temulento immerenter damnata, Provocarem ad Philippum, inquit, sed sobrium. Excussit crapulam oscitanti, ac præsenti animo ebrium resipiscere, causaque diligentius inspecta, justiorem sententiam ferre coëgit. Igitur, æquitatem, quam impetrare non potuerat, extorsit: potius præsidium à libertate, quam ab innocentia mutuata.

2. Jam illa non solum fortis, sed etiam urbana libertas. Senectutis ultimæ quædam, Syracusanis omnibus [1] Dionysii tyranni exitium, propter nimiam morum acerbitatem & intolerabilia onera, votis expetentibus, sola quotidie matutino tempore Deos, ut incolumis ac sibi superstes esset, orabat. Quod ubi is cognovit, indebitam sibi admiratus benevolentiam, accersit eam, & quid ita hoc, aut quo suo merito

NOTÆ.

1. *Dionysii.*] Iunioris.

faceret, interrogavit. Tum illa, Certa est, inquit, ratio propositi mei: puella enim, cum gravem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam: quo interfecto aliquanto tetrior arcem occupavit. Ejus quoque finiri dominationem magni æstimabam: tertium te superioribus importuniorem habere cœpimus rectorem. Itaque timens, ne si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedat; caput meum pro tua salute devoveo. Tam facetam audaciam Dionysius punire erubuit.

3. Inter has & Theodorum Cyrenæum quasi animosi spiritus conjugium esse potuit, virtute par, felicitate dissimile. Is enim [1] Lysimacho Regi, mortem sibi minitanti, Enimvero, inquit, magnifica res tibi contigit, quia cantharidis vim affecutus es. Cumque hoc dicto accensus, cruci eum suffigi jussisset, Terribilis hæc (ait) purpuratis sit tuis: mea quidem nihil interest, humi-ne, an sublime putrescam.

Notæ.

1. *Lysimacho Regi.*] Qui rebus post Alexandri mortem gestis clarissimus, contra Seleucum pugnans cecidit. De quo multa in notis ad Iustinum.

Cap. III.

DE SEVERITATE.

Romanorum.

1. *Populi Rom.*
2. *P. Mucii Scævolæ Tribuni pleb.*
3. *Senatus Romani.*
4. *M'. Curii Dentati Cos.*
5. *L. Domitii Ahenobarbi Prat.*
6. *M. Horatii Tergemini.*
7. *Senatus Rom. in incestas.*
8. *Cognatorum in veneficas.*
9. *Egnatii Metelli.*
10. *C. Sulpitii Galli.*
11. *Q. Antistii Veteris.*
12. *P. Sempronii Sophi.*

Externorum.

1. *Lacedæmoniorum.*
2. *Atheniensium.*
3. *Cambysis Regis Persarum.*

ARmet se duritia pectus necesse est, dum horridæ ac tristis severitatis acta narrantur; ut humaniore cogitatione seposita, rebus auditu asperis vacet. [a] Ita enim destrictæ & inexorabiles vindictæ, & varia pœnarum genera in medium procurrent, utilia quidem legum munimenta, sed minime in placido & quieto paginarum numero reponenda.

Interpretatio.

[a] *Ita enim rigidæ & inexorabiles vindictæ & diversa suppliciorum genera à nobis proferentur in medium: quæ quidem utilia sunt ad leges tuendas; sed minime reponenda videntur in libro, qui quietis amans & clementiæ, ab his abhorrere videtur.*

1. M. Manlius, unde Gallos depulerat, inde ipse præcipitatus est; quia fortiter defensam libertatem nefarie [1] opprimere conatus fuerat. Cujus justæ ultionis nimirum hæc præfatio fuit: Manlius eras mihi, cum præcipites agebas Senones: postquam mutari cœpisti, unus factus es ex Senonibus. Hujus supplicio [2] æternæ memoriæ nota inserta est: Propter illum enim lege sanciri placuit, ne quis Patricius in arce aut Capitolio habitaret, quia domum eo loci habuerat, ubi nunc [3] ædem Monetæ videmus. Par indignatio civitatis [4] adversus Sp. Cassium erupit: cui plus suspicio concupitæ dominationis nocuit, quam tres magnifici Consulatus, ac duo speciosissimi triumphi profuerunt. Senatus enim populusque Romanus non contentus capitali eum supplicio afficere; interempto domum superjecit, ut penatium quoque strage puniretur. In solo autem ædem Telluris fecit. Itaque quod prius domicilium impotentis viri fuerat, nunc religiosæ severitatis monumentum est. Eadem ausum Sp. Mælium consimili exitu patria multavit. Area vero domus ejus, quo justi supplicii notitia ad posteros perveniret, Æquimelii appellationem traxit.

An.M.3671. Ol. 99. 2. Vrb. C. 370. Ant.Ch.38.. An.M.3570. Ol. 74. 1. Vrb.C. 269. Ant.Ch.483.

Quantum ergo odii adversus hostes libertatis insitum animis antiqui haberent, parietum ac tectorum, in quibus versati fuerant, ruinis testantur. Ideoque & M. Flacci, & L. Saturnini seditiosissimorum civium corporibus trucidatis, penates ab imis fundamentis eruti sunt. Cæterum Flacciana area, cum diu penatibus vacua mansisset, à Q Catulo Cimbricis spoliis adornata est.

An.V.C.631. An.V.C.653.

Viguit in nostra civitate Ti. & C. Gracchorum summa nobilitas, ac spes amplissima: sed quia statum civitatis conati erant convellere, insepulta cadavera jacuerunt: supremusque humanæ conditionis honos filiis Gracchi, & nepotibus Africani defuit; quin etiam familiares eo-

An.V.C.620. An.V.C.632.

NOTÆ.

1. *Opprimere conatus.*] M. Manlius vir quidem fortissimus; quippe qui 37. militaribus donis ornatus: sed *nimius animi*, inquit Livius, *& vitio ingenii vehemens & impotens*, cum alios Principes sperneret, uni M. Camillo invideret, ex patribus, popularis factus est; novisque tabulis, & largitione regnum affectare visus, à Cornelio Cosso Dictatore in carcerem conjicitur: sed mox populi metu liberatus plebem ad vim concitat: quare dies ipsi à Tribunis plebis dicitur; tum ille res à se gestas commemorare, hostium cæsorum spolia, donaque proferre Imperatorum, & ad Capitolium identidem manus tendere: cumque amica plebis ferret suffragia, in locum, unde in Capitolium conspectus non esset; concilium populi translatum est. Vbi damnatus à Tribunis plebis, è saxo Tarpeio dejectus est; locusque idem in uno homine, & eximiæ gloriæ monimentum, & pœnæ ultimæ fuit. Hæc Livius l.6.

2. *Æterna memoria nota.*] Adjectæ mortuo duæ notæ sunt: publica una, quod latum ad populum est, ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret: gentilitia altera, quod gentis Manliæ decreto cautum est, ne quis deinde M. Manlius vocaretur.

3. *Ædem Monetæ.*] Iunonis, cui nomen inde factum dicitur; quod ibi vox audita esset, dicentis advenare Gallos.

4. *Adversus Sp. Cassium.*] Cædem Sp.

rum, ne quis Reipublicæ inimicis amicus esse vellet, [1] de Robore præcipitati sunt.

An. M. 3569. Ol. 73. 4. Vrb. C. 268. Ant. Ch. 484.

2. Idem sibi tam licere [2] P. Mucius Tribunus plebis quam Senatui & populo Romano credidit, qui omnes collegas suos, qui duce Sp. Cassio id egerant, ut Magistratibus non subrogatis, communis libertas in dubium vocaretur, vivos cremavit. Nihil profecto hac severitate fidentius: unus enim Tribunus eam pœnam novem collegis inferre ausus est, quam novem Tribuni ab uno collega exigere perhorruissent.

An. M. 3818. Ol. 136. 1. Vrb C. 517. Ant. Ch. 235.

3. Libertatis rigida adhuc custos & vindex severitas, sed pro dignitate & disciplina æque gravis inventa est. [3] M. enim Clodium Senatus Corsis, quia turpem cum his pacem fecerat, dedidit: Quem ab hostibus non acceptum, in publica custodia necari jussit. Semel læsa majestate Imperii, quot modis ira pertinax vindex! factum ejus rescidit, libertatem ademit, spiritum extinxit, corpus contumelia carceris & detestanda [4] Gemoniarum scalarum nota fœdavit. Atque hic quidem

An. M. 3944. Ol. 167. 3. Vrb. C. 643. Ant. C. 109.

Senatus animadversionem meruerat. [5] Cn. autem Cornelius Scipio Hispalli filius, prius quam mereri posset, expertus est: Nam cum ei Hispania Provincia sorte obvenisset, ne illuc iret, decrevit, adjecta causa, quod recte facere nesciret. Itaque Quæstor Cornelius propter vitam inhoneste actam sine ullo provinciali ministerio, tantum non re-

An. M. 3964. Ol. 172. 2. Vrb. C. 663. Ant. Ch. 89.

petundarum lege damnatus est. Ne in C. quidem Vettieno, qui sinistræ manus digitos, ne bello Italico militaret, sibi absciderat, severitas Senatus cessavit: publicatis enim bonis ejus, ipsum æternis vinculis puniendum censuit: effecitque, ut quem honeste spiritum profundere in acie noluerat, turpiter in catenis consumeret.

4. Id factum imitatus MV. Curius Consul, cum delectum subito

An. M. 3779. Ol. 116. 2. Vrb. C. 478. Ant. Ch. 274.

edicere coactus esset, & juniorum nemo respondisset: conjectis in sortem omnibus tribubus, Polliæ, quæ prima exierat, primum nomen urna extractum citari jussit: Neque eo respondente, bona adolescentis hastæ subjecit. Quod ut illi nuntiatum est, ad Consulis tribunal cucur-

NOTÆ.

Cassii exposuimus l. 1. c. 4. n. 6. M. Flacci l. 1. c. 7. n. 6 L. Saturnini l. 3. c. 2. n. 18 Ti. Gracchi l. 1. c. 4. n. 2. C. Gracchi l. 1. c. 7. n. 6.

1. *De Robore.*] Robur locus erat in carcere, ut patet ex Plauto & Lucretio; sed quî quis de illo loco præcipitari potuerit, non video.

2. *P. Mutius Scævola.*] Id scribit Valerius ex iis Annalibus, qui decem Tribunos plebis tum fuisse testantur; Livius tamen & Dionysius nusquam meminerunt.

3. *M. enim Clodium.*] Gliciam, qui prius viator ac Scriba M. Claudii Consulis, tum legatus C. Licinii Vari Consulis, ante illius adventum cum Corsis pacem pepigit. Ita Ammian. Marcel. & Zonaras.

4. *Gemoniarum scalarum.*] Locus erat præceps, ad quem per scalas descensus erat; nomen ab auctore accepit: reos majestatis unco gutturi infixo in has scalas trahere moris erat.

5. *Cn. Cornelius Hispalli.*] Patre prætorio natus. Vnus Valerius, opinor, illius meminit. De Curio, qui Pyrrhum expulit diximus l. 1.

rit, collegiumque Tribunorum appellavit. Tunc MV. Curius præfatus non opus esse eo cive Reip. qui parêre nesciret; & bona ejus, & ipsum vendidit.

5. Æque tenax propositi [1] L. Domitius. Nam cum Siciliam Proprætor regeret, & ad eum eximiæ magnitudinis aper allatus esset; adduci ad se pastorem, cujus manu occisus erat, jussit. Interrogatumque, quo telo eam bestiam confecisset, postquam comperit usum venabulo, cruci suffixit. Quia ipse ad exturbanda latrocinia quibus Provincia vastabatur, ne quis telum haberet, edixerat. [a] Hoc aliquis in fine severitatis ponendum dixerit: disputatione enim utroque flecti potest. Cæterum ratio publici imperii Prætorem nimis asperum existimari non patitur.

An.M. 3956. Ol. 170. 3. Vrb. C. 655. Ant. Ch. 97.

6. Sic se in viris puniendis severitas exercuit. Sed ne in fœminis quidem supplicio afficiendis segniorem se egit. Horatius unus prælio trium Curiatiorum, [2] conditione pugnæ omnium Albanorum victor; cum ex illa clarissima acie domum repetens sororem suam virginem Curiatii sponsi mortem profusius, quam illa ætas debebat, flentem vidisset, gladio, quo patriæ rem bene gesserat, [3] interemit: Parum pudicas ratus lacrymas, quæ præpropero amori dabantur. Quem hoc nomine reum apud populum actum, pater defendit. Ita paulo propensior animus puellæ ad memoriam futuri viri, & fratrem ferocem vindicem, & vindictæ

An.M. 3385. Ol. 27. 4. Vrb. C. 84. Ant. Ch. 668.

INTERPRETATIO.

a Aliquis dicere posset hoc non solum severitatis, sed sævitiæ etiam exemplum esse; potest enim disputatione probari ad utramque pertinere.

NOTÆ.

1. *L. Domitius.*] Aënobarbus, qui Consul anno Vrbis 660. Cæsus est postea à L. Damasippo.

2. *Conditione pugnæ.*] Qua ratione res gesta sit, paucis accipe. Orto Romanos inter & Albanos bello, jam instructæ utrimque stabant acies, cum Metius Albanorum Dictator auctor est Tullo Romanorum Regi, ut ineatur aliqua via, qua utri utris imperent, sine multo sanguine utriusque populi discerni possit. Forte in duobus exercitibus erant tergemini fratres, nec ætate, nec viribus dispares, Horatii & Curiatii; hi apud Albanos, apud Romanos illi: cum his agunt Reges, ut pro sua quisque patria dimicent ferro, ibi imperium fore unde victoria fuerit. Nihil recusatur, locus & tempus convenit: icto fœdere tergemini arma capiunt, datur signum, concurrunt infestis armis, consertisque manibus duo Romani alius super alium vulneratis tribus Albanis expirantes corruunt. Superstes Horatius forte integer fuit, ut universis solus nequaquam par, sic adversus singulos ferox: quare capessit fugam, Curiatii insequuntur, ut quemque vulnere affectum corpus sinit. Vt vidit Horatius eos magnis intervallis sequentes, proximum invadit, sicque antequam alter alteri auxilio esse possit, unum & alterum, deinde tertium æquato marte conficit. Ita fere Livius.

3. *Interemit.*] Dum flebiliter mortuum sponsum appellat, stricto Horatius gladio simul verbis increpans transfigit puellam. *Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum*, inquit, *oblita fratrum mortuorum, vivique, oblita patriæ: sic abeat quæcunque Romana lugebit hostem.*

tam rigidum [1] assensorem patrem habuit.

An. M. 3868. Ol. 148. 3. Vrb. C. 567. Ant. Ch. 185.

7. Consimili severitate Senatus postea usus Sp. Posthumio Albino, & Q. Marcio Philippo Consulibus mandavit, ut de his, quæ [2] sacris Bacchanalium incestu usæ fuerant, inquirerent: A quibus cum multæ essent damnatæ, in omnes cognati intra domos animadverterunt: lateque patens opprobrii deformitas, severitate supplicii emendata est. Qua quantum ruboris civitati nostræ mulieres turpiter se gerendo intulerant, tantum laudis graviter punitæ attulerunt.

An. M. 3903. Ol. 157. 2. Vrb. C. 602. Ant. Ch. 150.

8. [3] Publicia autem, quæ Posthumium Albinum Consulem; item Licinia, quæ Claudium Asellum viros suos veneno necaverant, propinquorum decreto strangulatæ sunt: Non enim putaverunt severissimi viri in tam evidenti scelere longum publicæ quæstionis tempus expectandum. Itaque quarum innocentium defensores fuissent, sontium maturi vindices exstiterunt.

9. Magno scelere horum severitas ad exigendam vindictam concitata est. [4] Egnatii autem Metelli longe minori de causa; qui uxorem, quod vinum bibisset, fustim interemit. Idque factum non accusatore tantum, sed etiam reprehensore caruit; unoquoque existimante, optimo illam exemplo violatæ sobrietatis pœnas pependisse. Et sane quæcunque fœmina vini usum immoderate appetit, omnibus & virtutibus januam claudit, & delictis aperit.

10. Horridum C. quoque Sulpitii Galli maritale supercilium. Nam uxorem dimisit, quod eam capite aperto foris versatam cognoverat; [a] abscisa sententia, sed tamen aliqua ratione munita. Lex enim, inquit, tibi meos tantum præfinit oculos, quibus formam tuam approbes. His decoris instrumenta compara, his esto speciosa, horum te certiori crede notitiæ. [b] Ulterior tui conspectus, supervacua irritatione accersitus, in suspicione & crimine subhæreat necesse est.

11. Nec aliter sensit Q. Antistius Vetus, repudiando uxorem, quod illam in publico cum quadam libertina vulgari loquentem viderat;

INTERPRETATIO.

a *Rigida & dura sententia, sed tamen probabili ratione munita.*

b *Si libenter aliis te conspiciendam prabes, dum alios ad amorem tui ultro invitas, in suspicionem criminis te venire necesse est.*

NOTÆ.

1. *Assensorem patrem.*] Damnatus à Duumviris Horatius ad populum appellat: tum pater filiam jure cæsam judicat, oratque ne se orbum liberis facerent.

2. *Sacris Bacchanalium.*] Consule l. 1. c. 3. n. 1. ubi hoc pluribus explicuimus.

3. *Publicia autem.*] Non eodem anno, quo maritos veneno sustulerant damnatæ, sed tertio anno post.

4. *Egnatii Metelli, &c.*] Quis Egnatius ille, quis Sulpitius, quis Antistius, obscurum est. Gens Sulpitia patritia; Egnatia vero & Antistia plebeia: illa in Maximos & Rufos divisa; hæc in Labeones, Rheginos, Severos, Sosianos, & Veteres.

Nam

Nam (ut ita dicam) incunabulis & nutrimentis culpæ, non ipsa commotus culpa, [a] citeriorem delicto præbuit ultionem; ut potius caveret injuriam, quam vindicaret.

12. Jungendus est his [1] P. Sempronius Sophus, qui conjugem repudii nota affecit, nihil aliud quam se ignorante ludos ausam spectare. Ergo dum sic olim fœminis occurritur, mens earum à delictis aberat.

INTERPRETATIO.

a *Uxorem punivit priusquam delictum admitteret.*

NOTÆ.

1. *P. Sempronius Sophus.*] Qui Consul anno 485. & Censor 497.

EXTERNA.

1. Cæterum etsi Romanæ severitatis exemplis totus terrarum orbis instrui potest; tamen externa summatim cognoscere fastidio non erit. Lacedæmonii [1] libros Archilochi è civitate sua exportari jusserunt, quod eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodesset. Itaque maximum Poëtam, aut certe summo proximum, quia [2] domum sibi invisam obscœnis maledictis laceraverat, carminum exilio multarunt. An.M. 3366. Ol 23. 1. Vrb.C. 65. Ant.Ch 687.

2. Athenienses autem Timagoram, inter officium salutationis Darium Regem more gentis illius adulatum, capitali supplicio affecerunt: unius civis humilibus blanditiis, totius urbis suæ decus Persicæ dominationi summissum graviter ferentes.

3. Jam Cambyses inusitatæ severitatis, qui mali cujusdam judicis ex corpore pellem detractam, sellæ intendi, in eaque filium ejus judicaturum considere jussit. Cæterum & Rex, & barbarus atroci ac nova pœna judicis, ne quis postea corrumpi judex posset, providit. An.M. 3525. Ol. 62. 4. Vrb.C. 224. Ant.Ch. 528.

NOTÆ.

1. *Libros Archilochi.*] Ex Paro insula fuit, ex Strab. & Luciano. Ipsum quoque cum libris ejectum tradit Plutarchus, quod versibus suis caneret satius esse clypeum & arma abjicere, quam animam amittere: insignis quidem ille Poëta; sed duobus vitiis infamis, quod & maledicus fuerit, & scripserit turpissima.

2. *Domum sibi invisam.*] A Lycambe, qui filiam ipsi desponderat, delusus Epodon primus ex trimetris & dimetris commentus est; quo carmine socerum & tres filias tam acerbe insectatus est, ut omnes simul ad laqueum compulerit. De quo Horatius: *Archilochum proprio rabies armavit Iambo.* De Dario Hystaspis filio, de Cambyse etiam jam sæpe egimus.

CAP. IV.

DE GRAVITER DICTIS AUT FACTIS.

A ROMANIS.	AB EXTERNIS.
1. *T. Manlio Torquato.*	1. *Cinninensi populo.*
2. *P. Scipione Æmiliano.*	2. *Socrate Atheniensi.*
3. *C. Popillio Lænate.*	3. *Alexandro Magno.*
4. *P. Rutilio Rufo.*	4. *Lacedæmoniis.*
5. *M. Iunio Bruto Procos.*	5. *Pædareto Spartano.*

[a] MAgnam & bonam laudis partem in claris viris etiam illa vendicant, quæ aut ab his graviter dicta aut facta pertinax memoria viribus æternis comprehendit. Quorum ex abundanti copia, nec parca nimis, nec rursus avida manu, quod magis desiderio satisfaciat, quam satietati abundet, hauriamus.

An.M. 3838. Ol. 141. 1. Vrb. C. 537. Ant.Ch.215.

1 Civitate nostra Cannensi clade perculsa, cum admodum tenui filo suspensa Reipub. salus ex sociorum fide penderet, ut eorum animi ad Imperium Romanum tuendum constantiores essent; majori parti Senatus principes Latinorum in ordinem suum sublegi placebat. [1] Ut Annius olim, Campani etiam Consulem alterum Capuæ creari debere asseverabant: sic contusus & æger Romani Imperii spiritus erat. [2] Tunc Manlius Torquatus, stirpis ejus qui Latinos apud Veserim inclyta pugna fuderat, quam poterat clara voce denuntiavit: si quis sociorum inter Patres Conscriptos sententiam dicere ausus esset, continuo eum se interempturum. Hæ unius minæ, & Romanorum languentibus animis calorem pristinum reddiderunt, & Italiam ad jus civitatis nobiscum exæquandum consurgere passæ non sunt: namque ut populi Rom. armis, ita verbis illius fracta cessit.

An.M.3844. Ol. 142. 3. Vrb.C. 543. Ant.Ch.209.

Par ejusdem quoque Manlii gravitas, cum Consulatus omnium con-

INTERPRETATIO.

a Magnam laudem in claris viris illa etiam merentur, quæ ab his graviter aut dicta, aut facta ad posterorum memoriam & æternitati commendata sunt: ex quorum exemplorum maxima copia seligamus, nec plura, nec pauciora; ita ut non afferamus legentibus satietatem, sed eorum desiderio satisfaciamus.

NOTÆ.

1. *Vt Annius olim.*] Optime hunc locum, ut alia multa, emendavit Pighius: nec enim tempore belli Punici secundi vixit Annius ille, sed anno Vrbis 413. quo petiit ut Consulum alter, & dimidia pars Senatus ex Latio crearetur.

2. *Manlius Torquatus.*] Illius, qui Latinos ad Veserim vicit, nepos fuit; bisque Consul. De ea pugna jam supra egimus.

ſenſu deferretur, [1] eumque ſub excuſatione adverſæ valetudinis oculorum recuſaret; inſtantibus cunctis, Alium, inquit, Quirites quærite, ad quem hunc honorem transferatis: Nam ſi me gerere eum coëgeritis, nec ego mores veſtros ferre, nec vos imperium meum perpeti poteritis. [a] Si privati tam ponderoſa vox, quam graves faſces Conſulis extitiſſent!

2. Nihilo ſegnior Scipionis Æmiliani aut in Curia, aut in concione gravitas: qui cum haberet conſortem Cenſuræ [2] Mummium, ut nobilem, ita enervis vitæ; pro Roſtris dixit, ſe ex majeſtate Reip. omnia geſturum: ſibi ſi cives vel dediſſent Collegam, vel non dediſſent. — An.M. 3912. Ol. 159. 3. Vrb C. 611. Ant.Ch. 14.

Idem, cum [3] Ser. Sulpicius Galba, & Aurelius Cotta Conſules in Senatu contenderent, uter adverſus Viriatum in Hiſpaniam mitteretur: ac magna inter Patres Conſcriptos diſſenſio eſſet; omnibus quonam ejus ſententia inclinaretur expectantibus: Neutrum, inquit mihi mitti placet, quia alter nihil habet, alteri nihil eſt ſatis. [b] Æque malam licentis imperii magiſtram judicans inopiam atque avaritiam. Quo dicto, ut neuter in provinciam mitteretur, obtinuit. — An.M 3910. Ol. 159. 1. Vrb.C. 609. Ant.Ch. 143.

3. [4] C. vero Popillius à Senatu legatus [5] ad Antiochum miſſus, ut bello ſe, quo [6] Ptolemæum laceſſebat, abſtineret: cum ad eum veniſſet, atque is prompto animo & amiciſſimo vultu [7] dextram ei por-

INTERPRETATIO.

a *Si privatus tam graviter reſpondit, quam ſevere Conſul ſe geſſiſſet.*

b *Iudicans inopiam atque avaritiam æque malam eſſe magiſtram Imperii, in quo licet omnia pro arbitrio agere.*

NOTÆ.

1. *Eumque ſub excuſatione.*] Vt ſe audiit creatum Conſulem, continuo revocatum populum in ſuffragia redire jubet; aliosque creari Conſules: lecti ſunt M. Valerius Levinus II. & M. Marcellus IV.

2. *Mummium, ut nobilem.*] Qui deleta Corintho, & Achaia in deditionem accepta, Achaici cognomen retulit: ut virum abſtinentiſſimum laudant Livius & Plinius; ut indoctum & literarum rudem ridet Velleius.

3. *Ser. Sulpicius Galba, & Aurelius Cotta.*] Vterque Orator; ille vehemens & inſignis, hic mediocris: Cotta egenus, Galba ditiſſimus, ſed avaritia infamis, ex Appian. Neuter in Hiſpaniam miſſus, ſed alteri Gallia, alteri Italia obtigit. Q. Fabio Æmiliano Scipionis fratri prorogatum in Hiſpania imperium. Ita Appianus in Ibericis.

4. *C. vero Popillius*] *Lænas*, bis Conſul, vir auſterus & ſevero vultu, quem Antiochus, cum Romæ obſes eſſet, præ cæteris coluerat.

5. *Ad Antiochum.*] *Epiphanem*, ſua in Iudæos crudelitate nobilitatum: à Græcis *Epimanes*, hoc eſt, furioſus vulgo dictus eſt, ex Appian.

6. *Ptolemæum.*] *Philometorem*, qui à fratre Evergete diſſentiebat. Si quis plura ſuper his requirit, conſulat ea, quæ ad Iuſtinum diximus.

7. *Dextram ei porrexiſſet.*] Non dextram, ſed oſculum ei obtulit, ſi Iuliano credimus: Reges enim exteri amicos oſculo excipiebant.

rexisset; invicem ei suam porrigere noluit, sed tabellas [1] Senatusconsultum continentes tradidit: Quas ut legit Antiochus, dixit, se cum amicis collocuturum. Indignatus Popillius, quod aliquam moram interposuit; At prius, inquit, quam circulo excedas, da responsum, quod Senatui referam. Non legatum locutum, sed ipsam Curiam ante oculos positam crederes: continuo enim Rex affirmavit fore, ne amplius de se Ptolemæus quereretur. Ac tum demum Popillius [2] manum ejus tanquam socii apprehendit. [a] Quam efficax est animi sermonisque abscissa gravitas! Eodem momento Syriæ regnum terruit, Ægypti texit.

4. [3] P. autem Rutilii verba prius an facta æstimem, nescio: nam utrisque æque admirabile inest robur. Cum amici cujusdam injustæ rogationi resisteret, atque is per summam indignationem dixisset: Quid ergo, inquit, mihi opus est amicitia tua, si quod rogo, non facis? respondit, Imo quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sum? Huic voci consentanea illa opera, quod magis [4] Ordinum dissensione, quam ulla culpa sua reus factus, nec obsoletam vestem induit, nec insignia Senatoris deposuit, nec supplices ad genua Judicum manus tetendit; [5] nec dixit quicquam splendore præteritorum annorum humilius. Effecitque ut periculum illud non impedimentum gravitatis ejus esset, sed experimentum. Atque etiam cum ei reditum in patriam Syllana victoria præstaret, in exilio, ne quid adversus leges faceret, [6] remansit. Quapropter Felicis cognomen justius quis moribus gravissimi viri, quam impotentis armis assignaverit. Quod quidem [7] Sylla rapuit, Rutilius meruit.

An.M. 3961.
Ol. 171. 4.
Vrb.C. 660.
Ant.Ch. 92.

INTERPRETATIO.

[a] *Quam potens est gravitas animi & sermonis, paucis verbis exhibita!*

NOTÆ.

1. *Senatusconsultum.*] Quo scriptum erat, nisi bello absistatur, per utrum stetisset, eum neque amicum populi Romani, neque socium fore.

2. *Manum ejus tanquam socii.*] Tum præscribit Regi diem, qua Ægypto excederet; & firmata inter fratres Ægyptios pace, in Cyprum navigat, unde victricem Antiochi classem dimittit.

3. *P. Rutilii.*] Cum de Rutilio jam plura dixerimus, pauca hic addidisse satis erit.

4. *Ordinum dissensione.*] Maxima enim tum erat inter Senatum & Equestrem Ordinem de judiciis dissensio.

5. *Nec dixit quidquam.*] M. Antonium & L. Crassum amicos ad causæ patrocinium non adhibuit: dixit ipse pro sese; nec aliter, quam simplex ratio veritatis ferebat. Mutiusque more suo dixit pro Rutilio nullo apparatu, pure ac dilucide; quasi in illa commentitia Platonis civitate res ageretur: nemo ingemuit, nemo inclamavit, nihil cuiquam doluit, nemo conquestus, nemo Rempublicam imploravit, nemo supplicavit. Ita Cicero in Bruto.

6. *Remansit.*] Malo, inquit, ut patria mea mei exilii erubescat, quam reditu mœreat. Smyrnæ substitit, ubi se totum studiis literarum tradidit.

7. *Sylla rapuit.*] Quia felix dici voluit.

5. M. Brutus suarum prius virtutum, quam patriæ parentis parricida ([1] uno enim facto & illas in profundum præcipitavit, & omnem sui nominis memoriam inexpiabili detestatione perfudit,) ultimum prælium initurus, negantibus quibusdam id committi oportere: Fidenter, inquit, in aciem descendo: [a] hodie enim aut recte erit, aut nihil curabo. Præsumpserat videlicet neque vivere se sine victoria, neque mori sine securitate posse. An.M.4012. Ol.184. 3. Vrb.C.711. Ant.Ch.41.

INTERPRETATIO.

a *Aut recte erit*, si vicero; *aut nihil curabo*, si moriar.

NOTÆ.

1. *Vno enim facto.*] Parricidio in Cæsarem admisso.

EXTERNA.

1. Cujus mentio mihi subjicit, quod [1] adversus D. Brutum in Hispania graviter dictum est, referre: Nam cum se ei tota pene Lusitania dedisset, ac sola gentis ejus urbs [2] Cinninia pertinaciter retineret, tentata redemptione, propemodum uno ore legatis Bruti respondit: Ferrum sibi à majoribus, quo urbem tuerentur, non aurum, quo libertatem ab Imperatore avaro emerent, relictum. Melius sine dubio illud nostri sanguinis homines dixissent, quam audissent. An.M.3917. Ol.160. 4. Vrb.C.616. Ant.Ch.136.

2. Sed illos quidem natura in hæc gravitatis vestigia deduxit. Socrates autem Græcæ doctrinæ clarissimum columen, cum Athenis [3] causam dicturus esset, defensionemque ei Lysias à se compositam, qua in judicio uteretur, recitasset, demissam & supplicem, imminentique procellæ accommodatam, [4] Aufer, inquit, quæso, istam: nam ego si adduci possem, ut eam in ultima Scythiæ solitudine perorarem, tum me ipse morte multandum concederem. Spiritum contempsit, ne careret gravitate; [a] maluitque Socrates extingui, quam Lysias superesse. An.M.3654. Ol.95. 1. Vrb.C.353. Ant.Ch.399.

INTERPRETATIO.

a *Maluitque mori, ut Socratem decebat,* servata gravitate, *quam vivere ut Lysias,* usus hac humili oratione.

NOTÆ.

1. *Adversus D. Brutum.*] Qui Consul cum Scipione Nasica Serapione Hispaniam ulteriorem obtinuit; & anno sequenti Proconsul reliquias belli Viriatici confecit, ob Gallæcos domitos, Gallæci nomen adeptus.

2. *Cinninia.*] Vrbs Lusitaniæ inter Bracaram & Araducam, nunc Sitania.

3. *Causam dicturus esset.*] Ab Anyto & Melito læsæ pietatis in deos & corruptæ juventutis accusatus. *Lysias* Socratis erat discipulus.

4. *Aufer, inquit.*] *Bona*, inquit, *est oratio, sed non mihi conveniens. Si bona est*, inquit Lysias, *cur non ea uteris?* tum Socrates: *Nonne vestis potest esse pulchra, & tamen non unicuique conveniens.* Ita Laërtius.

An.M.3724. Ol. 112. 3. Vrb.C. 423. Ant.Ch.329. 3. Quantus hic in sapientia, tantus in armis Alexander illam vocem nobiliter edidit. Dario enim [1] uno jam & altero prælio virtutem ejus experto, atque ideo [2] partem regni Tauro tenus monte, & filiam in matrimonium cum decies centum millibus talentûm pollicente; cum Parmenion dixisset, Se, si Alexander esset, usurum conditione, respondit: Et ego uterer, Si Parmenion essem. Vocem duabus victoriis respondentem, dignamque cui tertia, sicut evenit, tribueretur.

An.M. 3701. Ol. 106. 4. Vrb. C. 400. Ant.Ch. 352. 4. Atque hæc quidem animi magnifici, & prosperi status: illa vero, qua legati Lacedæmoniorum [3] apud patrem ejus miseram fortunæ suæ conditionem testati sunt, generosior, quam optabilior. Intolerabilibus enim oneribus civitatem eorum implicanti, si quid morte gravius imperare perseveraret, mortem se prælaturos responderunt.

5. Nec parum grave Spartani cujusdam dictum: siquidem nobilitate & sanctitate præstans, & in petitione magistratus victus, maximæ sibi lætitiæ esse prædicavit, quod aliquos patria sua se meliores viros haberet. Quo sermone repulsam honori adæquavit.

NOTÆ.

1. *Vno jam & altero prælio.*] Ad Granicum & ad Issum.

2. *Partem regni.*] Duas ad Alexandrum Darius literas misit: unas post prælium ad Issum; alteras, dum Syria, Ægyptoque domitis Alexander transiret Tigrim: primis regionem omnem cis Taurum, secundis quidquid terrarum est citra Euphratem, 30. insuper talentûm millia, & filiarum alteram pollicitus: respondisse fertur Alexander, nec mundum duos soles, nec orbem terrarum duos summos Principes ferre posse: *Proinde*, inquit, *Darius aut deditionem hodie, aut in crastinum bellum paret.* Hæc pluribus Diod. & Curt.

3. *Apud patrem ejus.*] Lacedæmonii enim & à Philippo, & ab aliis Græcis grandi mulcta puniti sunt, quod Phocensibus in bello sacro auxilio venissent.

CAP. V.

DE JUSTITIA.

ROMANORUM.

1. *Populi Romani.*
2. *Quatuor Tribunorum plebis.*
3. *Ti. Gracchi Cens.*
4. *Collegii Tribunorum plebis.*
5. *Cn. Domitii Ahenobarbi.*
6. *L. Licinii Crassi Oratoris.*
7. *L. Cornelii Syllæ Cos.*

EXTERNORUM.

1. *Pittaci Mitylenæi.*
2. *Aristidis Atheniensis.*
3. *Zaleuci Locrensis.*
4. *Charundæ Thurii.*

Tempus est justitię quoque sancta penetralia adire, [a] in quibus semper æqui ac probi facti respectus religiosa cum observatione versatur: & ubi studium verecundiæ est, & cupiditas rationi cedit, nihilque utile, quod parum honestum videri possit, ducitur. Ejus autem præcipuum & certissimum inter omnes gentes nostra civitas exemplum est.

1. [1] Camillo Consule [2] Faliscos circumsedente, magister ludi plurimos & nobilissimos inde pueros, velut ambulandi gratia eductos, in castra Romanorum perduxit: Quibus interceptis, non erat dubium quin Falisci deposita belli gerendi pertinacia, tradituri se nostro Imperatori essent. De ea re [3] Senatus censuit, ut pueri vinctum Magistrum virgis cædentes in patriam remitterentur. Qua justitia animi eorum sunt capti, quorum mœnia expugnari non poterant; namque Falisci beneficio magis quam armis victi, portas Romanis aperuerunt. Eadem civitas aliquoties rebellando, semperque adversis contusa præliis, tandem se Q. Lutatio Consuli [4] dedere coacta est. Adversus quam sævire cupiens populus Romanus, postquam à Papirio (cujus manu, jubente Consule, verba scripta erant) doctus est, Faliscos non potestati, sed fidei se Romanorum commisisse; omnem iram placida mente deposuit, [b] pariterque & viribus odii, non sane facile vinci assuetis, & victoriæ obsequio, quæ promptissime licentiam subministrat, ne justitiæ suæ deesset, obstitit. Idem, cum P. Claudius [5] Camerinos ductu atque auspiciis suis captos sub hasta vendidisset, etsi ærarium pecunia, fines agris auctos animadvertebat; tamen quia parum liquida fide id

An M. 3661. Ol. 96. 4. Vrb.C. 360. Ant.Ch. 392.

An. M. 3813. Ol. 134. 4. Vrb.C. 512. Ant.Ch. 240.

INTERPRETATIO.

a *In quibus quæ cum æquitate & probitate facta sunt, cum observatione religiosa coluntur, & studium verecundiæ servatur, & injusta cupiditas cedit rationi, & nihil putatur utile, quod parum honestum possit videri.*

b *Et pariter, ne justitiæ suæ deesset, restitit & odio, quod facile vinci non solet, & victoriæ, quæ præbet potestatem sæviendi.*

NOTÆ.

1. *Camillo Consule.*] Fallitur Valerius: nulli enim eo tempore Romæ Consules, sed Tribuni militares, quorum princeps tum erat Camillus; sæpius enim mutata Reipublicæ forma, à Regibus ad Consules, à Consulibus ad Decemviros, deinde ad Tribunos militares, tum iterum ad Consules summa rerum delata est.

2. *Faliscos.*] Alii *Valerios* legunt: utrumque recte, Livio enim idem sunt Valerii & Falisci; Strabo tamen alios ab aliis distinguit. Falisci Etruriæ populi. *Monte Fiascone.*

3. *Senatus censuit.*] Aliter Livius, qui laudem omnem non Senatui, sed Camillo tribuit, cui gratiæ & à civibus & ab hostibus actæ sunt.

4. *Dedere coacta est.*] Ob Tribunum Genucium à Faliscis contumelia affectum, bellum susceptum est, & intra sex dies confectum; hostium quindecim millia cæsa, cæteris concessa pax, agri media pars adempta, ex Eutrop. & Oros. urbsque in clivo eversa, & in planitie condita, ex Zonara.

5. *Camerinos.*] Camerium Latii op-

gestum ab Imperatore videbatur, maxima cura conquisitos redemit, iisque habitandi gratia locum in Aventino assignavit, & prædia eis restituit. Pecuniam etiam non ad Curiam, sed ad sacraria ædificanda, sacrificiaque facienda tribuit: [a] justitiæque promptissimo tenore effecit, ut exitio suo lætari possent, quia sic renati erant.

Mœnibus nostris, & finitimis regionibus, quæ adhuc retuli; quod sequitur, & per totum terrarum orbem manavit. [1] Timochares Am-
An.M. 3776. Ol. 125. 3. Vrb.C. 475. Ant.Ch.277.
braciensis Fabricio Consuli pollicitus est, se Pyrrhum veneno per filium suum, qui potionibus ejus præerat, necaturum. Ea res [2] cum ad Senatum esset delata, missis legatis Pyrrhum monuit ut adversus hujus generis insidias cautius se gereret: memor, Urbem à filio Martis conditam: & armis bella, non venenis, gerere debere. Timocharis autem nomen suppressit; utroque modo æquitatem amplexus: quia nec hostem malo exemplo tollere, neque eum qui bene mereri paratus fuerat, prodere voluit.

An.M. 3632. Ol. 89. 3. Vrb.C. 311. Ant.Ch.421.
2. Summa justitia in quatuor quoque Tribunis plebis eodem tempore conspecta est. Nam cum C. Atratino (sub quo duce aciem nostram [3] apud Verruginem à Volscis inclinatam cum cæteris equitibus correxerant) diem ad populum L. Hortensius Collega eorum dixisset, pro Rostris juraverunt, in squalore se esse, quoad Imperator ipsorum reus esset futurus. Non enim sustinuerunt egregii juvenes*, cujus armati periculum vulneribus & sanguine suo defenderant; ejus togati ultimum discrimen, potestatis insignia retinentes, intueri: Qua justitia mota concio, actione Hortensium desistere coëgit.

3. Nec se etiam aliter eo facto, quod sequitur, exhibuit. Cum

INTERPRETATIO.

a *Sicque justitiam servando effecit, ut illi calamitate sua lætari possent, quia sic in meliori fortuna restituti erant.*

NOTÆ.

pidum Tacito & Plinio: Cameria dicitur Livio; Ciceroni Camerinum. *Camerino.*

1. *Timochares.*] Sic etiam appellatur à Gellio; *Nicias* vero à Zonara. Plutarchus nomen non prodit, sed Medicum vocat. Ita etiam Aurelius Victor.

2. *Cum ad Senatum.*] Plutarchus & Zonaras nolunt consultum ea de re Senatum; Fabricius enim, si ipsis credimus, postquam Æmilio Collegæ rem persuasit, ad Pyrrhum misit literas, quarum sententia hæc fuit. *Neque amicorum, neque hostium fortunatus æstimator esse videris: Cognosces enim te bonis quidem, ac justis viris bellum inferre, malis vero atque injustis confidere, &c. Hæc autem non tua gratia nota facimus tibi; sed ne mors tua nobis calumniam afferat, quasi virtute nequiremus te superare, dolo contendisse.* Sic quidem Plutarchus: aliquanto aliter Gellius l.3. c.8. *Nos pro tuis injuriis commoti tecum bellare studemus; sed communis exempli & fidei ergo, visum est, ut te salvum velimus, ut esset, quem armis vincere possimus.*

3. *Apud Verruginem.*] Lacus est in Volscis. Illam pugnam descripsimus lib.3. cap. 2.

Ti. Gracchus

[1] Ti. Gracchus & C. Claudius, ob nimis severe gestam Censuram, An.M. 3885.
majorem civitatis partem exasperassent, diem his P. Rutilius Tribunus Ol. 152. 4.
plebis perduellionis ad populum dixit, præter communem consternatio- Vrb. C. 584.
nem, privata etiam ira accensus, quia necessarium ejus ex publico loco Ant. Ch. 168.
parietē demoliri jusserant: Quo in judicio primę classis permultæ centuriæ
Claudium aperte damnabant: de Gracchi absolutione universæ consentire videbantur: Qui clara voce juravit, si de Collega suo gravius esset judicatum, in factis paribus se eandem cum illo pœnam exilii subiturum. Eaque justitia tota illa tempestas ab utriusque fortunis & capite depulsa est. Claudium enim populus absolvit: Gracchо causæ dictionem Trib. [2] Rutilius remisit.

4. Magnam laudem & illud collegium Tribunorum tulit, quod cum An.M. 3900.
unus ex eo L. Cotta fiducia sacrosanctæ potestatis creditoribus suis Ol. 156. 3.
nollet satisfacere, decrevit; Si neque solveret pecuniam, neque daret Vrb. C. 599.
cum quo sponsio fieret, appellantibus se creditoribus auxilio futurum: Ant. Ch. 153.
iniquum ratum, majestatem publicam privatæ perfidiæ obtentui esse. Itaque Cottam in Tribunatu quasi in aliquo sacrario latentem, Tribunitia inde justitia extraxit.

5. Cujus ut ad alium æque illustrem transgrediar, [3] Cn. Domitius An.M. 3950.
Tribunus plebis M. Scaurum principem civitatis [4] in judicium populi Ol. 169. 1.
devocavit; [a] Ut si fortuna aspirasset, ruinam: sin minus, certe ipsa Vrb. C. 649.
obtrectatione amplissimi viri incrementum claritatis apprehenderet. Ant. Ch. 103.
Cujus opprimendi cum summo studio flagraret, servus Scauri ad eum noctu pervenit, instructurum se ejus accusationem multis & gravibus domini criminibus promittens. [b] Erant in eodem pectore Domitii, inimicus & dominus, diversa æstimatione nefarium indicium perpendentes: Justitia vicit odium. Continuo enim & suis auribus obseratis, & indicis ore clauso, duci eum ad Scaurum jussit. Accusatorem etiam

INTERPRETATIO.

a *Ut si fortuna faveret*, Scaurum *omnino everteret; si vero non faveret, ipse clarior & illustrior fieret, quod ausus esset virum amplissimum in jus vocare.*

b *Dum Domitius examinat nefarium servi indicium*, *perpendit*, an plus apud ipsum valere debeat, *quod ipse sit inimicus Scauri, quam quod Scaurus sit dominus illius servi.*

NOTÆ.

1. *Tib. Gracchus & C. Claudius.*] Ille Ti. & C. Gracchorum pater; hic Consul anno Urbis 577. De Histris & Liguribus triumphavit.

2. *Rutilius remisit.*] Ab iis postea multo severius acta Censura, multisque equi adempti, & imprimis ipsi Rutilio Tribuno, qui tribu etiam motus ex Tribuno opifex factus est, & ad opera publica adhiberi cœpit.

3. *Cn. Domitius.*] Aënobarbus, Neronis Imperatoris atavus. De Scauro supra.

4. *In judicium populi.*] Iratus Scauro, quod ab eo in Augurum collegium cooptatus non esset, illum accusavit, quod sacra

reo suo ne dicam diligendum, certe laudandum, quem populus cum propter alias virtutes, tum hoc nomine libentius & Consulem, & Censorem, & Pontificem maximum fecit.

An.M. 935. Ol. 65. 2. Vrb.C.634. Ant.Ch.118.

6. Nec aliter se [1] L. Crassus in eodem justitiæ experimento gessit. C. Carbonis nomen infesto animo utpote inimicissimi sibi [2] detulerat: sed tamen scrinium ejus à servo allatum ad se, complura continens quibus facile opprimi posset, ut erat signatum, cum servo catenato ad eum remisit. Quo pacto igitur inter amicos viguisse tunc justitiam credimus, cum inter accusatores quoque & reos tantum virium obtinuisse videamus?

An.M. 3966. Ol. 173. 1. Vrb C.665. Ant.Ch.87.

7. Jam L. Sylla non se tam incolumem, quam Sulpicium Rufum perditum voluit, [3] Tribunitio furore ejus sine fine vexatus. Cæterum cum eum proscriptum, & in villa latentem à servo proditum compe-risset: [a] manumissum parricidam, ut fides edicti sui extaret, præcipitari protinus è saxo Tarpeio cum illo scelere parto pileo jussit. [4] Victor alioquin insolens, hoc imperio justissimus.

INTERPRETATIO.

a *Postquam* servum illum, *qui domini sui parricida fuerat, libertate donasset, ut edictum suum fideliter servaret, illum jussit è rupe Tarpeia præcipitari cum pileo, quem scelere* proditionis *meritus fuerat.*

NOTÆ.

publica deûm Penatium minus recte casteque fierent.

1. *L. Crassus.*] Anno ætatis 19. vel 21. Carbonem accusasse dicitur, initioque orationis ita exanimatus est, ut Q. Maximus Prætor, quo pudori illius consuleret, concilium dimiserit. Ita refert Cicero in l.1. de Orat.

2. *Detulerat.*] Quod C. Gracchio auctor fuisset repetendæ Tribunitiæ potestatis: quod Africani mortis conscius esset, quod violenter gessisset Consulatum, in exilium missus est, ex Valerio l.3. c.7. Voluntaria morte periit, ex Cicerone in Bruto.

3. *Tribunitio furore.*] Legem tulit, ne Sylla contra Mithridatem bellum gereret; triaque satellitum millia ex Equestri Ordine alebat, eosque contra Senatum appellare consueverat.

4. *Victor alioqui insolens.*] Nondum victus Mithridates, nec mortuus Marius, nec Sylla Dictator.

EXTERNA.

An.M. 3418. Ol. 36. 1. Vrb.C. 117. Ant.Ch.635.

1. Verum ne alienigenæ justitiæ obliti videamur, Pittacus Mitylenæus, cujus aut meritis tantum cives debuerunt, aut moribus crediderunt, ut suis in suffragiis tyrannidem deferrent; tam diu illud imperium sustinuit, quam diu bellum [1] de Sygæo cum Atheniensibus gerendum fuit. Postquam autem pax victoriâ parta est; continuo reclamantibus

NOTÆ.

1. *De Sygæo.*] De agris Achillitidis certatum esse auctor est Laërtius.

Mitylenæis deposuit; ne dominus civium ultra quam Reipub. necessitas exegerat, permaneret. Atque etiam cum recuperati agri dimidia pars consensu omnium offerretur, avertit animum ab eo munere; deforme judicans, virtutis gloriam magnitudine prædæ minuere.

2. Alterius nunc mihi prudentia referenda est, ut alterius repræsentari justitia possit. Cum saluberrimo consilio Themistocles migrare Athenienses in classem coëgisset, Xerxeque Rege, & copiis ejus Græcia pulsis, ruinas patriæ in pristinum habitum reformaret, & opes [1] clandestinis molitionibus ad Principatum Græciæ capessendum nutriret; in concione dixit, habere se rem deliberatione sua provisam, quam si fortuna ad effectum perduci passa esset, nihil majus aut potentius Atheniensi populo futurum, sed eam vulgari non oportere. Postulavitque ut aliquis sibi cui illam tacite exponeret, daretur. Datus est Aristides. Is postquam cognovit classem illum Lacedæmoniorum, quæ tota apud Gytheum subducta erat, velle incendere, ut ea consumpta dominatio maris ipsis cederet; processit ad cives, & retulit, Themistoclem ut utile consilium; ita minime justum animo volvere. E vestigio universa concio quod æquum non videretur, ne expedire quidem proclamavit, ac protinus Themistoclem incœpto desistere jussit.

An.M.3577.
Ol.75. 4.
Vrb.C.276.
Ant.Ch.476.

3. Nihil illis etiam justitiæ exemplis fortius. Zaleucus urbe Locrensium à se saluberrimis atque utilissimis legibus munita, cum filius ejus adulterii crimine damnatus, secundum jus ab ipso constitutum, utroque oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris pœnæ necessitatem adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnavit. Ad ultimum precibus populi evictus, suo prius, deinde filii oculo eruto, usum videndi utrique reliquit. Ita debitum supplicii modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem & justum legislatorem partitus.

4. Sed aliquanto [2] Charondæ Thurii [a] præfractior atque abscisior justitia. Ad vim & cruorem usque seditiosas conciones civium pacaverat, lege cavendo, ut si quis eas cum ferro intrasset, continuo interficeretur. Interjecto deinde tempore, ex longinquo rure gladio cinctus domum repetens, subito indicta concione, sicut erat, in eam processit: ab eoque, qui proxime constiterat, solutæ à se legis suæ monitus:

INTERPRETATIO.

a *Asperior & rigidior justitia.*

NOTÆ.

1. *Clandestinis molitionibus.*] Dum ipse Lacedæmonios legatus deludit, persuasit suis, ut & urbem, & Piræum muro cingerent. Ita Thucyd. De Zaleuco l.1. c.2. n.4.

2. *Charonda.*] Fuit ille cum Zaleuco Pythagoræ discipulus, à patria Catanæus dicitur ab Aristotele; Thuriis leges dedit.

Idem ego illam, inquit, sanciam: ac protinus ferro, quod habebat, districto incubuit. Cumque liceret culpam vel dissimulare, vel errore defendere; pœnam tamen repræsentare maluit, ne qua fraus justitiæ fieret.

NOTÆ.

Thurium urbs erat magnæ Græciæ ad sinum Tarentinum.

CAP. VI.

DE FIDE PUBLICA.

QUAM COLUERE
1. *Senatus Romanus.*
2. *L. Manlius, M. Atilius Cos.*
3. *Idem Senatus Rom.*
4. *P. Africanus superior.*
5. *Idem Senatus Romanus.*

EXTERNI.
1. *Saguntini.*
2. *Petellini.*

[a] HUjus imagine ante oculos posita, venerabile fidei numen dexteram suam, certissimum salutis humanæ pignus ostentat. Quam semper in nostra civitate viguisse, & omnes gentes senserunt, & nos paucis exemplis recognoscamus.

An.M. 3853. Ol. 144. 4. Vrb.C. 552. Ant.Ch. 200.

1. Cum [1] Ptolemæus Rex tutorem populum Romanum filio reliquisset, Senatus M. Æmilium Lepidum Pont. Max. bis Consulem ad pueri tutelam gerendam Alexandriam misit: amplissimique & integerrimi viri sanctitatem Reipub usibus & sacris operatam externæ procurationi vacare voluit; ne fides civitatis nostræ frustra petita existimaretur. Cujus beneficio regia incunabula conservata pariter ac decorata, incertum Ptolemæum reddiderunt, patrisne fortuna magis, an tutoris majestate gloriari deberet.

An.M. 3798. Ol. 131. 1. Vrb.C. 497. Ant.Ch. 255.

2. Speciosa quoque illa Romana fides. Ingenti Pœnorum classe

INTERPRETATIO.

a *Imagine justitiæ ante oculos posita, fides cujus nomen venerabile est: &* quæ est *salutis humanæ pignus certissimum sese nobis offert.*

NOTÆ.

1. *Ptolemæus Rex.*] A Polybio & Iustino dissentit Valerius. Sic se res habuit. Mortuo Ptolemæo Philopatore, & Agathocle furore populari sublato, veriti Alexandrini, ne Antiochus Syriæ, & Philippus Macedoniæ Reges junctis viribus Ægyptum invaderent, Romam legatos mittunt, qui puero Regi tutorem peterent. Grata Romæ legatio fuit, missique primum, qui Philippo & Antiocho Senatus nomine nunciarent, ut abstinerent Ægypto; & biennio post sub finem belli secundi Punici electus est M. Æmilius Lepidus, qui tutorio nomine Ægyptum regeret.

[1] circa Siciliam devicta, duces ejus fractis animis [2] consilia petendę pacis agitabant. Quorum Amilcar ire se ad Consules negabat audere; ne eodem modo catenæ sibi injicerentur, quo ab ipsis Cornelio Asinæ Consuli [3] fuerant injectæ. Hanno autem certior Romani animi æstimator, nihil tale timendum ratus, maxima cum fiducia ad colloquium eorum tetendit: Apud quos cum de belli fine ageret: & Tribunus militum ei dixisset; posse illi merito evenire, quod Cornelio accidisset: uterque Consul, [4] Tribuno tacere jusso, Isto te, inquit, metu, Hanno, fides civitatis nostræ liberat. Claros illos fecerat, tantum hostium ducem vincere potuisse; sed multo clariores fecit, noluisse.

3. Adversus eosdem hostes parem fidem in jure legationis tuendo Patres Conscripti exhibuere. M. enim Æmilio Lepido, C. Flaminio Coss. L. Minucium, & L. Manlium Carthaginiensium legatis, quia manus his intulerant, [5] per feciales [6] M. Claudius Prætor ex S. C. dedendos curavit. Se tunc Senatus, non eos quibus hoc pręstabatur, aspexit. An. M. 3867. Ol. 148. 2. Vrb. C. 566. Ant. Ch. 186.

4. Hæc exempla superior Africanus secutus: cum onustam multis, & illustrium Carthaginiensium viris navem in suam potestatem redegisset, inviolatam dimisit, quia se legatos ad eum missos dicebant: Tametsi manifestum erat, illos vitandi præsentis periculi gratia falsum legationis nomen amplecti, ut Romani Imperatoris potius decepta fides, quam frustra implorata judicaretur.

5. Repræsentemus etiam illud Senatus nullo modo prætermittendum opus. Legatos ab urbe Apollonia Romam missos, Q. Fabius, & Cn. Apronius Ædiles orta contentione pulsaverunt. Quod ubi comperit, continuo eos per feciales legatis dedit, Quæstoremque cum his Brun-

NOTÆ.

1. *Circa Siciliam victa.*] Romanorum duces erant L. Manlius Vulso & M. Attilius Regulus; Pœnorum, Amilcar & Hanno: post acre prælium Romanorum 24. naves perierunt, Pœnorum 30. demersæ, 63. captæ.

2. *Consilia petenda pacis.*] Vbi vidit Amilcar Attilium Consulem in Africam tendere, Hannonem, qui Romanos spe pacis deluderet, misit.

3. *Fuerant injecta.*] Aliter alii hac de re scripserunt. Florus & Orosius volunt Cornelium Asinam simulato colloquio evocatum à Pœnis & oppressum. Polybius illum, dum Lyparæorum oppidum imprudentius aggreditur, à seniori Annibale in portu conclusum deditionem fecisse. Zonaras conclusum illum quidem, sed spe pacis in navim Punicam allectum Carthaginem missum esse.

4. *Tribuno tacere jusso.*] Si istud, inquit Hanno, feceritis, Afris jam nihilo præstantiores eritis. Ita Zonaras.

5. *Feciales.*] Sacerdotes, qui fœderibus feriendis, & bellis legitime indicendis præerant.

6. *M. Claudius Prætor.*] Aliud alio tempore super hac re Pighio visum est. In notis quidem ad Valerium legit, *Culeo Prætor*; at in Romanorum Annalibus, *M. Claudius Prætor* reponendum putat. Illius enim causæ cognitio ad M. Claudium delata est sub extremis Præturæ diebus, jam creatis in annum sequentem Consulibus M. Æmilio Lepido & C. Flaminio, de quibus antea.

dusium ire jussit, ne quam in itinere à cognatis deditorum injuriam acciperent. Illam Curiam, mortalium quis concilium, ac non Fidei Templum dixerit? Quam ut civitas nostra semper benignam præstitit; ita in sociorum quoque animis constantem recognovit.

EXTERNA.

1. Nam [1] ante duorum in Hispania Scipionum, totidemque Romani sanguinis exercituum miserabilem stragem, Saguntini victricibus [2] Annibalis armis intra mœnia urbis suæ compulsi, cum vim Punicam ul-
An.M. 3835. terius nequirent arcere; collatis in forum quæ unicuique erant carissi-
Ol. 140. 2. ma, atque undique circumdatis, accensisque ignis nutrimentis, ne à
Vrb.C. 534. societate nostra desciscerent, publico & communi rogo semet ipsi super-
Ant.Ch. 218. jecerunt. Crediderim, tunc ipsam Fidem humana negotia speculantem, mœstum gessisse vultum; perseverantissimum sui cultum iniquæ fortunæ judicio tam acerbo exitu damnatum cernentem.

2. Idem præstando [3] Petellini eundem laudis honorem meruerunt.
An.M. 3839. Ab Annibale, quia deficere à nostra amicitia noluerant, obsessi: le-
Ol. 141. 2. gatos ad Senatum auxilium implorantes miserunt. Quibus propter re-
Vrb. C. 538. centem cladem Cannensem succurri non potuit; cæterum permissum
Ant.Ch. 214. est, uti facerent, quod utilissimum incolumitati ipsorum videretur. Liberum ergo erat, Carthaginiensium gratiam amplecti. Illi tamen fœminis omnique ætate imbelli urbe ejecta, quo diutius armati [4] famem traherent, pertinacissime in muris perstiterunt; expiravitque prius eorum tota civitas, quam ulla ex parte Romanæ societatis respectum deponeret. Itaque non Petelliam, sed fidei Petellinæ sepulcrum capere contigit.

NOTÆ.

1. *Ante duorum.*] Vulgo legitur *Post duorum, &c.* qui manifestus error. Quis enim nescit Saguntum ab Annibale ante Scipionum cladem expugnatum esse, cum inde ortum sit bellum Punicum secundum.

2. *Annibalis armis.*] Belli renovandi cupidus Annibal, Saguntinos Romanorum socios aggreditur: jamque disjectis turribus & muris pacem offert, modo dirruerent oppidum, aurumque & argentum, tum privatum, tum publicum ad se deferrent: at Saguntinis mors gloriosa, quam turpis servitus potior fuit.

3. *Petellini.*] Petellia in Brutiis, de qua Virgilius: *Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro. Policastro.*

4. *Famem traherent.*] Absumptis omnibus frugibus, corticibus teneris & radicibus diu vitam ægre sustentarunt.

CAP. VII.
DE FIDE UXORUM ERGA MARITOS.

1. *Æmiliæ L. F. Tertiæ, P. Africani majoris.*
2. *Thuriæ Q. Lucretii Vespillonis.*
3. *Sulpiciæ Lentuli.*

1. Atque ut uxoriam quoque fidem attingamus : [1] Tertia Æmilia Africani prioris uxor, mater Corneliæ Gracchorum, tantæ fuit comitatis & patientiæ, ut cum sciret viro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulaverit: ne [2] domitorem orbis Africani fœmina impudicitiæ reum ageret : Tantumque à vindicta mens ejus abfuit, ut post mortem Africani [3] manumissam ancillam in matrimonium liberto suo daret. An.M.3862. Ol.147. 1. Vrb.C. 561. Ant.Ch.191.

2. [4] Q. Lucretium proscriptum à Triumviris uxor Thuria inter cameram & tectum cubiculi abditum, una conscia ancilla, ab imminente exitio, non sine magno periculo suo, tutum præstitit : Singularique fide id egit, ut cum cæteri proscripti in alienis & hostilibus regionibus per summos corporis & animi cruciatus vix evaderent ; ille in cubiculo, & in conjugis sinu salutem retineret. An.M.4011. Ol.184. 2. Vrb.C.710. Ant.Ch.42.

3. Sulpicia autem cum à matre Julia diligentissime custodiretur, ne Lentulum Crustellionem virum suum proscriptum à Triumviris in Siciliam sequeretur : nihilominus famulari veste sumpta, cum duabus ancillis, totidemque servis ad eum clandestina fuga pervenit. Nec recusavit se ipsam proscribere, ut ei fides sua in conjuge proscripto constaret. An.M.4011. Ol.184. 2. Vrb.C.710. Ant.Ch.42.

NOTÆ.

1. *Tertia Æmilia.*] L. Æmilii Pauli, qui ad Cannas cecidit, filia.

2. *Domitorem orbis.*] Non orbis totius, sed Hispaniæ & Africæ.

3. *Manumissam ancillam.*] Tradit Valerius Antias apud Gellium ancillam illam ex Hispania à Scipione abductam esse.

4. *Q. Lucretium.*] *Vespillonem*, qui Pompeii partes secutus, cum Minutio Rufo subvehendo commeatui præfuit.

CAP. VIII.

DE FIDE SERVORUM ERGA DOMINOS.

1. *M. Antonii Oratoris servus.*
2. *C. Marii C. F. Cos. servus.*
3. *C. Gracchi Philocrates.*
4. *C. Cassii Pindarus.*
5. *Cn. Plotii Planci familia.*
6. *Vrbinii Anapionis servus.*
7. *Antii Restionis servus.*

Restat ut servorum etiam erga dominos, quo minus exspectatam, hoc laudabiliorem fidem referamus.

1. [1] M. Antonius, avorum nostrorum temporibus clarissimus Orator incesti reus agebatur ; Cujus in judicio accusatores servum in quæstione perseverantissime postulabant ; quod ab eo, cum ad stuprum iret, laternam prælatam contenderent. Erat autem is etiam tum imber-

NOTÆ.

1. *M. Antonius.*] Orator. Iam illius accusationis meminimus l. c.

bis, & ſtabat coram, videbatque rem ad ſuos cruciatus pertinere; nec tamen eos fugitavit. Ille vero, ut domum quoque ventum eſt, Antonium hoc nomine vehementius confuſum & ſollicitum ultro eſt hortatus, ut ſe judicibus torquendum traderet; affirmans nullum ore ſuo verbum exiturum, quo cauſa ejus læderetur. Ac promiſſi fidem mira patientia præſtitit: plurimis etiam laceratus verberibus, eculeoque impoſitus, candentibus etiam laminis uſtus, omnem vim accuſationis, cuſtodita rei ſalute, ſubvertit. Argui fortuna merito poteſt, quod tam pium & tam fortem ſpiritum ſervili nomine incluſit.

An.M. 3972. Ol. 174. 3. Vrb.C. 671. Ant.Ch. 81.

2. [1] Conſulem autem C. Marium [2] Prӕneſtinæ obſidionis miſerabilem exitum ſortitum, cuniculi latebris fruſtra evadere conatum, levique vulnere [3] à Theleſino, cum quo commori deſtinaverat, perſtrictum, ſervus ſuus ut Syllanæ crudelitatis expertem faceret, gladio trajectum interemit, cum magna præmia ſibi propoſita videret, ſi eum victoribus tradidiſſet: Cujus dexteræ tam opportunum miniſterium nihil eorum pietati cedit, à quibus ſalus dominorum protecta eſt. Quia eo tempore Mario non vita, ſed mors in beneficio repoſita erat.

An.M. 3933. Ol. 164. 4. Vrb. C. 632. Ant.Ch. 120.

3. Æque illuſtre quod ſequitur. C. Gracchus ne in poteſtatem inimicorum veniret, [4] Philocrati ſervo ſuo cervices incidendas præbuit. Quas cum celeri ictu abſcidiſſet, gladium cruore domini madentem per ſua egit præcordia. Euporum alii hunc vocitatum exiſtimant: ego de nomine nihil diſputo, famularis tantummodo fidei robur admiror. Cujus ſi præſtantiam animi generoſus juvenis imitatus foret, ſuo, non ſervi beneficio imminentia ſupplicia vitaſſet: nunc commiſit ut Philocratis, quam Gracchi cadaver ſpecioſius jaceret.

An.M. 4012. Ol. 184. 3. Vrb C. 711. Ant.Ch. 41.

4. Alia nobilitas, alius furor, ſed fidei par exemplum: [5] Pindarus C. Caſſium Philippenſi prælio victum, nuper ab eo manumiſſus, juſſu ipſius obtruncatum, inſultationibus hoſtium ſubtraxit. Seque è conſpectu hominum voluntaria morte abſtulit, ita ut ne corpus quidem ejus abſumpti inveniretur. Quis Deorum graviſſimi ſceleris ultor, illam

NOTÆ.

1. *Conſulem autem C. Marium.*] Is C. Marii ſepties Conſulis filius à pleriſque perhibetur; illius vel ex fratre, vel ex ſorore nepos dicitur ab Appiano. *Nepos* & *Gratidianus* vocatur ab Euſebio.

2. *Prænestinæ obſidionis.*] Ingenti prælio victus à Sylla Præneſte fugerat, ubi arcte obſeſſus miro opere cuniculos (meatus ſunt ſubterranei) in diverſas agri partes duxit, ſi qua forte via evadere poſſet.

3. *A Theleſino.*] Alii ſua manu, alii à Theleſino fratre minore, alii à Syllæ militibus, cum è terra emerſiſſet, interemptum volunt.

4. *Philocrati.*] Velleio *Euporus*, Macrobio *Europus*, Aurelio Victori *Euphorus*, Plutarcho & aliis *Philocrates* dicitur. Nonnullis placet apud Plutarchum utrumque ab hoſtibus captum eſſe, & Philocratem corpus Gracchi ſuo texiſſe, donec multis confoſſus vulneribus ceciderit.

5. *Pindarus.*] Lege l.1. c.4. n.6. ubi Caſſii mortem pluribus narravimus.

dexteram,

dexteram, quæ in necem patriæ parentis exarſerat, tanto torpore illigavit, ut ſe tremebunda Pindari genibus ſubmitteret, ne publici parricidii, quas merebatur pœnas, arbitrio pii victoris exolveret? Tu profecto, tu, Dive Juli, cœleſtibus tuis vulneribus debitam exegiſti vindictam, perfidum erga te caput ſordidis auxiliis ſupplex fieri cogendo, eo animi æſtu compulſum; ut neque retinere vitam vellet, neque finire manu ſua auderet.

5. Adunxit ſe iis cladibus C. Plotius Plancus [1] Munacii Planci Conſularis & Cenſorii frater, qui cum à Triumviris proſcriptus in regione [2] Salernitana lateret, delicatiore vitæ genere, & odore unguenti, occultam ſalutis cuſtodiam detexit: Iſtis enim veſtigiis, eorum qui miſeros perſequebantur, ſagax inducta cura, abditum fugæ illius cubile odorata eſt. A quibus comprehenſi ſervi, multumque ac diu torti, negabant ſe ſcire ubi dominus eſſet. Non ſuſtinuit deinde Plancus tam fideles, tamque boni exempli ſervos ulterius cruciari: ſed proceſſit in medium, jugulumque gladiis militum objecit. Quod certamen mutuæ benevolentiæ [a] arduum dignoſci facit, utrum dignior dominus fuerit, qui tam conſtantem ſervorum fidem experiretur; an ſervi, qui tam juſta domini miſericordia quæſtionis ſævitia liberarentur.

An.M. 4011. Ol. 184. 2. Vrb C. 710. Ant.Ch. 42.

6. Quid [3] Urbinii Panopionis ſervus, quàm admirabilis fidei! Qui cum ad dominum proſcriptum occidendum, domeſticorum indicio certiores factos milites in Reatinam villam veniſſe cognôſſet; commutata cum eo veſte, permutato etiam annulo, illum poſtico clam emiſit, ſe autem in cubiculum ac lectulum recepit, & ut Panapionem occidi paſſus eſt. Brevis hujus facti narratio, ſed non parva materia laudationis. Nam ſi quis ante oculos ponere velit ſubitum militum accurſum, convulſa januæ clauſtra, minacem vocem, truces vultus, fulgentia arma; rem vera æſtimatione proſequetur. [b] Nec quam cito dicitur aliquem pro alio mori voluiſſe, tam id ex facili etiam fieri potuiſſe arbitrabitur. Panopion autem quantum ſervo deberet, amplum ei faciendo monimentum, ac teſtimonium pietatis grato titulo reddendo teſtatus eſt.

An.M. 4011. Ol. 184. 2. Vrb. C. 710. Ant.Ch. 42.

Interpretatio.

a *Facit ut difficile ſit cognoſcere, utrum, &c.*

b *Nec putabit tam eſſe facile aliquem pro alio mori potuiſſe, quam facile eſt dicere ſe id velle.*

Notæ.

1. *Munacii Planci.*] Ad quem extant multæ Ciceronis Epiſtolæ. In bello adhæſit Cæſari; & ab eo Conſul deſignatus, Galliam Comatam ſortitus eſt. Poſt bellum Mutinenſe Antonio ſe conjunxit, & paulo poſt Actiacam pugnam Romam rediit ad Auguſtum, à quo aliquanto poſt ad Cenſuram evectus eſt.

2. *In regione Salernitana.*] Salernum Picentinorum oppidum. *Salerne.*

3. *Vrbinii Panopionis.*] A Macrobio *Vrbini*, ab Appiano *Vrbani* dicitur.

An.M. 4011. 7. Contentus essem hujus generis exemplis: nisi unum me dicere
Ol. 184. 2. admiratio facti cogeret. [1]Antius Restio proscriptus à Triumviris, cum
Vrb. C. 710. omnes domesticos circa rapinam & prædam occupatos videret, quam
Ant. Ch. 42. maxime poterat dissimulata fuga se penatibus suis intempesta nocte subduxit. Cujus furtivum egressum servus ab eo vinculorum pœna coërcitus, [a] inexpiabilique literarum nota per summam oris contumeliam inustus, curiosis speculatus oculis, ac vestigia huc atque illuc errantia benevolo studio subsecutus, lateri voluntarius comes adrepsit. Quo quidem tam exquisito, tamque ancipiti officio, perfectissimum spectatæ pietatis cumulum expleverat: His enim, quorum felicior in domo status fuerat, lucro intentis, ipse, cum nihil aliud quam umbra & imago suppliciorum suorum esset; [b] maximum sibi emolumentum ejus, à quo tam graviter punitus erat, salutem judicavit. Cumque abunde foret iram remittere, adjecit etiam charitatem: nec solùm hactenus benevolentia processit, sed in eo conservando mira quoque arte usus est. Nam ut sensit cupidos sanguinis milites supervenire, amoto domino rogum extruxit: eique egentem à se comprehensum & occisum senem superjecit. Interrogantibus deinde militibus, ubinam esset Antius; manum rogo intentans, ibi illum datis sibi crudelitatis piaculis uri respondit. Quia verisimilia loquebatur, habita est voci fides: quo evenit, ut Antius statum quærendæ incolumitatis hac occasione assequeretur.

INTERPRETATIO.

a *Qui vultum deformi & indelebili literarum impressarum nota turpem habebat.*

b *Indicavit sibi magnum lucrum fore, si illius salutem tueretur, à quo tam graviter punitus erat.*

NOTÆ.

1. *Antius Restio.*] Ille ipse, ni fallor, de quo Cicero l. 4. Epist. 15. ad Atticum: *Præter Antium & Favonium liber nemo.*

CAP. IX.

DE MUTATIONE MORUM, AUT FORTUNÆ.

IN ROMANIS.

1. *T. Manlio L. F. Torquato.*
2. *P. Africano majore.*
3. *C. Valer. Flac. Flamine.*
4. *Q. Fabio Max. Allobrogico.*
5. *Q. Lutatio Catulo.*
6. *L. Cornelio Sylla Felice.*
7. *T. Aufidio.*
8. *P. Rupilio.*
9. *P. Ventidio Basso.*
10. *L. Cornelio Lentulo Lupo.*
11. *Cn. Cornelio Scipione Asina.*

12. *Licinio Crasso Divite.*
13. *Q. Servilio Cæpione.*
14. *C. Mario.*
15. *C. Iulio Cæsare.*

IN EXTERNIS.

1. *Polemone Atheniensi.*
2. *Themistocle Atheniensi.*
3. *Cimone Atheniensi.*
4. *Alcibiade Atheniensi.*
5. *Polycrate Samio.*
6. *Dionysio Syracusano.*
7. *Syphace Numidarum Rege.*

MUltum animis hominum, & fiduciæ adjicere, & solicitudinis detrahere potest morum ac fortunæ in claris viris recognita mutatio; sive nostros status, sive proximorum ingenia contemplemur. Nam cum aliorum fortunas spectando, ex conditione abjecta atque contempta emersisse claritatem videamus, quid oberit, quin & ipsi meliora de nobis semper cogitemus? memores, stultum esse, perpetuæ infelicitatis se prædemnare, spemque, quæ etiam incerta recte fovetur, interdum certam in desperationem convertere.

1. Manlius Torquatus adeo hebetis atque obtusi cordis inter initia juventæ existimatus est, ut à patre Lucio Manlio amplissimo viro, quia & domesticis & Reipub. usibus inutilis videbatur, rus relegatus agresti opere fatigaretur. Is postmodum [1] patrem reum judiciali periculo liberavit: filium victorem, quod adversus imperium suum cum hoste manum conseruerat, securi percussit: patriam Latino tumultu fessam, speciosissimo triumpho recreavit. [a] In hoc credo fortunæ malignæ nubilo adolescentię contemptu perfusum, quo senectutis ejus decus lucidius enitesceret. An.M. 3717. Ol. 110. 4. Vrb.C.416. Ant.Ch. 336.

2. Scipio autem Africanus superior, quem Dii immortales nasci voluerunt, ut esset in quo se virtus per omnes numeros hominibus efficaciter ostenderet; [2] solutioris vitæ primos adolescentię annos egisse fertur. Remotos quidem à luxuriæ crimine, sed tamen Punicis trophæis, devictæ Carthaginis cervicibus imposito jugo, teneriores. An.M. 3835. Ol. 140. 2. Vrb.C. 534. Ant.Ch.218.

INTERPRETATIO.

a *Credo illum quasi maligna adversa fortuna caligine offusum in adolescentia contemptum fuisse, ut in senectute illius virtutes majori splendore elucerent.*

NOTÆ.

1. *Patrem reum.*] Hæc omnia quæ ad M. Manlium pertinent supra multis explicuimus.

2. *Solutioris vitæ.*] Scipionem continentissimum fuisse, quod ego verius putem, auctores plerique prodiderunt. Aulus tamen Gellius in ea, quam instituit de Alexandri & Scipionis continentia, comparatione Valerio assentire videtur, cum tradit illum, cum adolescens esset, fama haud sincera fuisse, & propemodum constitisse hosce versus à Cn. Nævio Poëta in eum scriptos:

Etiam qui res magnas manu sæpe gessit gloriose,
Cujus facta viva nunc vigent, qui apud gentes solus
Præstat: cum suus pater cum pallio une ab amica abduxit.

An. M. 3819. Ol 141. 2. Vrb. C. 538. Ant.Ch.214.

3. [1] C. quoque Valerius Flaccus secundi Punici belli temporibus luxu perditam adolescentiam inchoavit. Cæterum à P. Licinio Pont. Max. flamen captus, quo facilius à vitiis recederet; ad curam sacrorum & ceremoniarum converso animo, usus duce frugalitatis religione, quantum prius luxuriæ fuerat exemplum, tantum postea modestiç & sanctitatis specimen evasit.

An M.3934. Ol. 165. 1. Vrb. C. 633. Ant. C.719.

4. Nihil [2] Q. Fabio Maximo, qui Gallica victoria cognomen Allobrogici sibimet ac posteris peperit, adolescente magis infame; nihil eodem sene ornatius, aut speciosius illo seculo nostra civitas habuit.

An.M.3976. Ol.175. 3. Vrb.C. 675. Ant.Ch.77.

5. Quis ignorat Q. Catuli auctoritatem in maximo clarissimorum virorum proventu excelsum gradum obtinuisse? Cujus si superior ætas revolvatur, multi luxus, multæ deliciæ reperientur. Quæ quidem ei impedimento non fuerunt, quo minus patriæ princeps existeret, nomenque ejus in Capitolino fastigio fulgeret, ac virtute [3] civile bellum ingenti motu oriens sepeliret.

6. L. vero Sylla usque ad quæsturæ suæ comitia [4] vitam libidine, vino, ludicræ artis amore, inquinatam perduxit. Quapropter C. Marium Consulem moleste tulisse traditur, quod sibi asperrimum in Africa bellum gerenti tam delicatus Quæstor sorte obvenisset: Ejusdem

An.M. 3972. Ol 174. 3. Vrb.C. 671. Ant.Ch. 81.

virtus quasi perruptis & disjectis nequitiæ, qua obsideretur, claustris, catenas Jugurthæ manibus injecit: Mithridatem compescuit: socialis belli fluctus repressit: Cinnæ dominationem fregit, eumque qui se in Africa Quæstorem fastidierat, illam ipsam Provinciam proscriptum & exulem petere coëgit. Quæ tam diversa, tamque inter se contraria si quis apud animum suum attentiore comparatione expendere velit, duos in uno homine Syllas fuisse crediderit: turpem adolescentem, & virum dicerem fortem, nisi ipse felicem se appellari maluisset.

7. [a] Atque ut nobilitatem beneficio pœnitentiæ se ipsam admonui-

INTERPRETATIO.

a *Atque sicut admonuimus nobiles, ut seipsos intuerentur, quo facilius meliores fiant dolore vitæ prius male actæ: ita referamus eos, qui ausi sunt sperare sua conditione altiora.*

NOTÆ.

1. *C. Valerius Flaccus.*] De quo multa Livius l. 27.

2. *Q. Fabio Maximo.*] Q. Fabii Æmiliani filio, qui Bituitum Arvernorum Regem ad Isaram vicit cæsis hostium 130. millibus. Vereor ne Valerius illum confundat cum filio, cui paternis bonis interdixit Prætor Q. Pompeius.

3. *Civile bellum.*] Dum Æmilium Lepidum in Consulatu Collegam Italia expulit, ut diximus supra.

4. *Vitam libidine.*] De Sylla scribit Plutarchus eum cum mimis & scurris ab adolescentia vixisse, seque in omni protervia iis præbuisse socium: ubi vero rerum potitus est, cum histrionibus potasse sępius, cum iisque interdum dicteriis contendere solitum. Res ab eo gestas sæpe attigimus.

mus adſpicere, ita altiora modo ſuo ſperare auſos ſubtexamus. T. Aufidius cum [1] Aſiatici publici exiguam admodum particulam habuiſſet, poſtea totam Aſiam proconſulari imperio obtinuit. Nec indignati ſunt ſocii, ejus parere faſcibus, quem aliena tribunalia adulantem viderant. Geſſit ſe integerrime atque ſplendidiſſime: eoque modo demonſtravit, priſtinum quæſtum ſuum fortunæ; pręſens vero dignitatis incrementum moribus ipſius imputari debere.

An.M. 3981. Ol. 176. 4. Vrb C. 680. Ant.Ch. 72.

8. At [2] P. Rutilius non publicanum in Sicilia egit, ſed operas publicanis dedit: [a] Idem ultimam inopiam ſuam auctorato ſociis officio ſuſtentavit. Ab hoc poſtmodum Conſule leges univerſi Siculi acceperunt, acerbiſſimoque prędonum ac fugitivorum bello liberati ſunt. Portus ipſos, ſi quis modo mutis rebus ineſt ſenſus, tantam in eodem homine varietatem ſtatus admiratos arbitror. Quem enim diurnas capturas exigentem animadverterant, eundem jura dantem, claſſeſque & exercitus regentem viderunt.

An.M. 3912. Ol. 162. 1. Vrb.C. 621. Ant.C. 131.

9. Huic tanto incremento majus adjiciam. Aſculo capto, Cn. Pompeius Magni pater [3] P. Ventidium ætate impuberem in triumpho ſuo populi oculis ſubjecit. Hic eſt Ventidius, qui poſtea Romæ [4] ex Parthis, & per Parthos [5] de Craſſi manibus in hoſtili ſolo miſerabiliter jacentibus, triumphum duxit. Itaque qui captivus carcerem exhorruerat, victor Capitolium [6] felicitate celebravit. In eodem etiam illud eximium, quod [7] eodem anno Pętor & Conſul eſt factus.

An.M. 4016. Ol. 185. 3. Vrb.C. 715. Ant.Ch. 37.

INTERPRETATIO.

a *Suſtentavit inopiam ſuam officio ab aliena auctoritate dependente.*

NOTÆ.

1. *Aſiatici publici.*] Vectigal dicitur *publicum*. Ita Cicero ad Q. fratrem: *Publicis male redemptis.*

2. *P. Rutilius.*] Vide l. 2. c. 7. n. 3. in quo ſervorum bellum narravimus.

3. *P. Ventidium Baſſum.*] Picentem genere, locoque humili natum; quem tum puerum mater à Pompeio Strabone in bello ſociali capta, ante currum triumphantis tulit. Vbi adolevit ægre ſibi quæſivit victum comparandis mulis & vehiculis, quæ conduceret Magiſtratibus. In iſto quæſtu forte innotuit C. Cæſari, à quo abductus in Galliam ad militares honores evectus eſt; & poſt bellum civile Tribunatum plebis & Præturam adeptus.

4. *Ex Parthis.*] Quos in Syriam irrumpentes duobus præliis vicit; quorum in altero cecidit Labienus, in altero Pacorus Regis Orodis filius.

5. *De Craſſi manibus.*] Eadem die, qua Craſſus à Parthis acceperat cladem, clades Parthis à Ventidio repoſita eſt, teſte Dione l. 49.

6. *Felicitate celebravit.*] Acute vidit Lipſius legendum eſſe *Felici dape.* Intelligit Valerius ſolemne illud convivium, quod à triumphantibus in Capitolio celebrari moris erat.

7. *Eodem anno & Prætor & Conſul.*] D. Brutum Mutinæ dum obſidet Antonius, Ventidius Prætor erat; qui cum graviter ferret Romæ Ciceronem in Antonium tam acriter invehi, ex veteranis Cæſaris militibus duas legiones colligit, pergitque Romam, ut Ciceronem comprehenderet: unde repulſus ad Antonium ſe contulit. Cæſis paulo poſt Panſa & Hirtio Conſulibus, Panſæ Octavius Cæſar, Hirtio P. Pedius; tum Cæſari Triumviro C. Cari-

An.M.3898. Ol. 156. 1. Vrb.C. 597. Ant.Ch.155.

10. Casuum nunc contemplemur varietatem. [1] L. Lentulus Consularis lege Cęcilia repetundarum crimine oppressus, Censor cum L. Censorino creatus est. Quem quidem fortuna inter ornamenta & dedecora alterna vice versavit, Consulatui illius damnationem, damnationi Censuram subjiciendo: & neque bonis eum perpetuis frui, neque malis æternis ingemiscere patiendo.

An.M.3800. Ol. 131. 3. Vrb.C. 499. Ant.Ch.253.

11. Iisdem viribus uti voluit in Cn. Cornelio Scipione Asina: Qui Consul à Pœnis [2] apud Liparas captus, cum belli jure omnia perdidisset; lætiore subinde vultu ejus adjutus, cuncta recuperavit; [3] Consulque etiam iterum creatus est. Quis crederet illum à duodecim securibus ad Carthaginiensium perventurum catenas? quis rursus existimaret à Punicis vinculis ad summa Imperii perventurum fastigia? sed tamen ex Consule captivus, & ex captivo Consul factus est.

12. Quid? [4] Crasso nonne pecuniæ magnitudo locupletis nomen dedit? sed eidem postea inopia [a] turpem decoctoris superlationem injunxit, si quidem bona ejus à creditoribus, quia solidum præstare non poterat, venierunt. Ita quoque amara sugillatione non caruit: quia cum egens ambularet, Dives ab occurrentibus salutabatur.

An.M. 3949. Ol. 168. 4. Vrb.C. 648. Ant.Ch.104.

13. Crassum casus acerbitate [5] Q. Cępio præcurrit. Is namque Præturæ splendore, triumphi claritate, Consulatus decore, Maximi Pontificatus sacerdotio, ut Senatus patronus diceretur, assecutus; in publicis vinculis spiritum deposuit, corpusque ejus funesti carnificis manibus laceratum, in scalis Gemoniis jacens, magno cum horrore totius fori Romani conspectum est.

14. Jam C. Marius maxima fortunæ luctatio est: omnes enim ejus impetus tam corporis quam animi robore fortissime sustinuit. [6] Arpini

Interpretatio.

a *Indidit infamem decoctoris denominationem.*

Notæ.

nas, & Pedio mortuo Ventidius suffectus est. Ita Dio. Idque populo tam ægre fuit, si Gellio credimus, ut hi versiculi per vias urbis perscriberentur:

Concurrite omnes Augures, Aruspices,
Portentum inusitatum conflatum est recens;
Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.

1. *L. Lentulus*] *Lupus*, ex gente Cornelia, qui Consul cum C. Martio Figulo, Galliam sortitus est, & repetundarum damnatus.

2. *Apud Liparas captus.*] Vide l. 6.

3. *Consulque etiam iterum.*] Cum Attilio Calatino, Panormumque expugnavit.

4. *Crasso.*] Is fuit P. Licinius Crassus, Sapientis nepos, juvenis flagitiosus, ex Cicerone.

5. *Q. Cæpio.*] Vide l. 4. c. 7. n. 3. ubi de illius clade & morte disseruimus multis. Prætor Lusitanos sæpe victos domuit, de iisque triumphavit: Consul Galliam sortitus rapuit aurum Tolosanum, unde illius clades manasse dicitur.

6. *Arpini.*] Quod Volscorum oppidum fuit, ubi natus Marius ex obscuris parentibus, qui & opifices & inopes fuisse perhibentur.

honoribus judicatus inferior, Quæsturam Romæ petere ausus est: patientia deinde repulsarum, irrupit magis in Curiam, quam venit. In Tribunatus quoque & [1] Ædilitatis petitione consimilem campi notam expertus: [a] [2] Preturæ candidatus supremo loco inhæsit, quam tamen non sine periculo obtinuit: ambitus enim accusatus vix atque ægre absolutionem à judicibus impetravit. Ex illo Mario tam humili Arpini, tam ignobili Romæ, tamque fastidiendo Candidato, ille Marius evasit, qui Africam subegit, Jugurtham Regem ante currum egit, qui Teutonorum, Cimbrorumque exercitus delevit. Cujus bina trophea in urbe leguntur, cujus septem in fastis Consulatus leguntur. Cui post exilium Consulem creari, proscriptoque facere proscriptionem contigit. Quid hujus conditione inconstantius aut mutabilius? quem si inter miseros posueris, miserrimus: inter felices, felicissimus reperietur.

An.M. 3955. Ol.169. 4. Vrb.C. 652. Ant.Ch.100.

15. C. autem Cæsar, cujus virtutes aditum sibi in cœlum struxerunt, inter primæ juventæ initia [3] privatus Asiam petens, à maritimis prædonibus circa insulam [4] Pharmacusam exceptus, [5] quinquaginta se talentis redemit. Parva igitur summa clarissimum mundi sidus in piratico myoparone rependi fortuna voluit. Quid est ergo quod amplius de ea queramur, si ne consortibus quidem divinitatis suæ parcit? Sed cœleste numen se ab injuria vindicavit: continuo enim captos prædones [6] crucibus affixit.

An.M.3974. Ol.175. 1. Vrb.C. 673. Ant.Ch. 75.

INTERPRETATIO.

a *Cum Præturæ candidatus esset, ultimo loco electus est.*

NOTÆ.

1. *Et Ædilitatis.*] Ædilitatem, tum majorem, tum minorem petiit; in utraque eodem die repulsam passus, semel in majore, iterum in minore: quod præter ipsum contigit nemini.

2. *Præturæ candidatus.*] Ex Prætura sortitus Hispaniam dicitur; deinde Metelli legatus in Africa. De rebus à Mario gestis diximus jam sæpius.

3. *Privatus Asiam petens.*] Multis nominibus Cæsar invisus Syllæ fuit; quod & Iuliam illius amitam Marius, & ipse Corneliam Cinnæ filiam duxisset: de ipso necando deliberanti Syllæ cum dixisset nescio quis, nihil esse causæ, cur tantulum puerum trucidaret, Sylla respondisse fertur, nihil ipsum sapere, qui in eo puero non videret multos inesse Marios. Monitus Cæsar in Sabinis latuit aliquandiu, & inde in Bithyniam ad Nicomedem Regem contendit.

4. *Pharmacusam.*] Insulam, non procul à Mileto, quo dum è Bithynia navigat, Cæsar à prædonibus captus est Cilicibus. *Parmosa.*

5. *Quinquaginta talentis.*] Dum prædones viginti ab eo talenta postulant, 50. ultro ipse pollicitus est: illosque quamvis captivus adeo despexisse fertur, ut quoties somni causa in lecto quiesceret, toties illis indiceret silentium.

6. *Crucibus affixit.*] Per jocum sæpe cum crucem illis minitatus esset, simul ut liberatus est, Miletum advolat, armat naves, prædones insequitur, plerosque capit, illosque agit in crucem.

EXTERNA.

1. Attento studio nostra commemoravimus: remissiore nunc animo
An.M. 3725. Ol. 112. 2. Vrb. C. 422. Ant. Ch. 330. alia narrentur. Perditæ luxuriæ Athenis adolescens [1] Polemo, neque illecebris tantummodo, sed etiam ipsa infamia gaudens; cum è convivio non post occasum solis, sed post ortum surrexisset, domumque repetens Xenocratis Philosophi patentem januam vidisset; vino gravis, unguentis delibutus, sertis capite redimito, perlucida veste amictus, refertam turba doctorum hominum scholam ejus intravit: Nec contentus tam deformi introitu, consedit etiam, ut clarissimum eloquium & prudentissima præcepta temulentiæ lasciviis eluderet. Orta deinde, ut par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omissisque de quibus disserebat, de modestia ac temperantia loqui cœpit. Cujus gravitate sermonis resipiscere coactus Polemo, primum coronam capite detractam projecit, paulo post [2] brachium intra pallium reduxit, procedente tempore oris convivalis hilaritatem deposuit; ad ultimum totam luxuriam exuit, uniusque orationis saluberrima medicina sanatus, ex infami ganeone maximus Philosophus evasit. Peregrinatus est hujus animus in nequitia, non habitavit.

2. Piget Themistoclis adolescentiam attingere, sive patrem aspiciam, [3] abdicationis inurentem notam, sive [4] matrem suspendio finire
An.M. 3574. Ol. 75. 1. Vrb. C. 273. Ant. Ch. 479. vitam propter filii turpitudinem coactam; cum omnium postea Graii sanguinis virorum clarissimus extiterit, mediumque Asiæ & Europæ vel spei, vel desperationis pignus fuerit: Hæc enim salutis eum suæ [5] patronum habuit, illa vadem victoriæ assumpsit.

An.M. 3580. Ol. 76. 3. Vrb. C. 279. Ant. Ch. 473. 3. [6] Cimonis vero incunabula opinione stultitiæ fuerunt referta: ejusdem stultitiæ imperia salutaria Athenienses senserunt: Itaque coëgit eos stuporis semetipsos damnare, qui eum stolidum crediderant.

NOTÆ.

1. *Polemo.*] Filius Philostrati, qui civitatis princeps erat. De Xenocrate supra egimus.

2. *Brachium intra pallium.*] Hoc apud Athenienses pudoris fuit & continentiæ indicium.

3. *Abdicationis.*] Quæ contumelia eum non fregit, sed erexit: cum enim judicasset sine summa industria non posse eam extingui, totum se dedit Reipublicæ. Ita Cornelius Nepos.

4. *Matrem suspendio.*] Pater illius Neocles ab omnibus appellatur, mater ab aliis Euterpe Halicarnassea, ab aliis Abrotomum Thressa; quod vero affirmat Valerius, illam laqueo sibi gulam fregisse, id secus est, cum nec Cornelius Nepos meminerit, & Plutarchus ut meram fabulam rejiciat.

5. *Patronum habuit.*] *Patronus* enim fuit patriæ, cum Xerxem ad Salaminam vicit: *vadem* vero se præstitit Asiæ, cum Persarum Regi spopondit fore, ut Græciam omnem subigeret, si suum consilium sequeretur.

6. *Cimonis.*] Qui Miltiadis filius: de quo multa narrat Plut. turpissima, quę hic referre pudor vetat. Iam illius supra meminimus.

4. Jam [1] Alcibiadem quasi duæ fortunæ partitæ sunt : Altera quæ ei nobilitatem eximiam, abundantes divitias, formam præstantissimam, favorem civium propensum, summa imperia, præcipuas potentiæ vires, flagrantissimum ingenium assignaret : altera quæ [2] damnationem, exilium, venditionem bonorum, inopiam, odium patriæ, violentam mortem infligeret : [a] Nec aut hæc, aut illa simul universa; sed varie perplexa, freto atque æstui similia.

An.M. 3639.
Ol. 91. 2.
Vr. C. 338.
Ant. Ch. 414.

5. [b] Ad invidiam usque Polycratis Samiorum tyranni abundantissimis bonis conspicuus vitæ fulgor excessit : nec sine causa. Omnes enim conatus ejus placido excipiebantur itinere : spes certum cupitæ rei fructum apprehendebant : vota nuncupabantur simul & solvebantur : velle ac posse in æquo positum erat : [c] Semel duntaxat vultum mutavit, perquam brevi tristitiæ salebra succussum; tunc cum admodum gratum sibi annulum de industria in profundum, ne omnis incommodi expers esset, abjecit : Quem tamen continuo recuperavit, [3] capto pisce, qui eum devoraverat. Sed hunc felicitatis semper plenis velis prosperum cursum tenere non potuit. Comprehensum enim Orontes Darii Regis Præfectus in excelsissimo [4] Micalensis montis vertice cruci affixit. E qua putres ejus artus, & tabido cruore manantia membra, atque illam lævam, cui Neptunus annulum piscatoris manu restituerat, situ marcidam, Samos, amara servitute aliquamdiu pressa, liberis ac lætis oculis aspexit.

6. [5] Dionysius autem cum hæreditatis nomine à patre, Syracusanorum, ac pene totius Siciliæ tyrannidem accepisset, maximarum opum dominus, exercituum dux, rector classium, equitatuum potens; propter inopiam, literas puerulos Corinthi docuit. Eodemque tempore, tanta mutatione, majores natu, ne quis nimis fortunę crederet, ma-

INTERPRETATIO.

a *Nec adversa, nec secunda fortuna* Alcibiadis *fuit continua : sed modo bonis, modo malis permixta, in eo æstui maris similis.*

b *Splendor vitæ Polycratis Samiorum tyranni omnibus bonis ad invidiam usque abundavit : omnes ejus conatus felicem habebant exitum; spes ejus rem cupitam semper assequebantur.*

c *Semel tantum fortuna ad breve tempus mutata vultum illi tristem ostendit.*

NOTÆ.

1. *Alcibiadem quasi duæ fortunæ.*] Illius ingenium & indolem eleganter expressit Cornelius Nepos; cujus verba libuit in familiis Romanorum appingere. Gesta & mortem Alcibiadis supra attigimus.

2. *Damnationem.*] Quod sacra violasse diceretur, damnatus est. Plura in notis ad Iustinum.

3. *Capto pisce.*] Paucis post diebus captus est piscis, & tyranno donatus, in cujus ventre repertus est annulus.

4. *Mycalensis montis.*] In Asia minori è regione Sami insulæ.

5. *Dionysius.*] Iunior, bis ille pulsus Syracusis : semel à Dione in Italiam; iterum à Timoleonte Corinthum, ubi pueros literas docuit, Sed de his antea.

gister ludi factus ex tyranno monuit.

7. Sequitur hunc [1] Syphax Rex, consimilem fortunę iniquitatem expertus, quem amicum hinc Roma per Scipionem, illinc Carthago per Asdrubalem ultro petitum ad penates Deos ejus venerat. Cęterum eo claritatis evectus, ut validissimorum populorum tantum non arbiter victorię existeret: parvi temporis interjecta mora, catenatus à Lęlio
An.M.3851. legato ad Scipionem Imperatorem pertractus est. Cujusque dexteram
Ol. 144. 2. regio insidens solio arroganti manu attigerat, ad ejus genua supplex
Vrb.C. 550. procubuit. Caduca nimium hęc & fragilia, [a] puerilibusque consenta-
Ant.Ch 202. nea crepundiis sunt, quę vires atque opes humanę vocantur. Affluunt subito, repente dilabuntur; nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt: sed incertissimo flatu fortunę, huc atque illuc acta, quos in sublime extulerunt, improviso decursu destitutos, profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaque neque existimari, neque dici debent bona, [b] quę ut inflictorum malorum amaritudine desiderium sui duplicent, propensiore favore primo delinitos, majore postea malorum cumulo opprimere solent.

INTERPRETATIO.

a *Similia crepitaculis è collo puerorum suspendi solitis.*

b *Quæ homines secunda fortuna favore primum ad honores evectos solent opprimere majoribus malis, ut magis augeant sui desiderium magnitudine calamitatum, quas inflixerunt.*

NOTÆ.

1. *Syphax.*] Lege lib. 5 cap. 1. ubi hæc explicuimus; bis ille victus est, primum à Scipione, deinde à Lælio & Massinissa, à quibus etiam captus est.

VALERII MAXIMI LIBER SEPTIMUS.

CAP. I.

DE FELICITATE.

1. *Q. Metelli Macedonici,* 2. *Gygis Lydorum Regis.*

VOLUBILIS fortunę complura exempla retulimus; constanter propitię admodum pauca narrari possunt. Quo patet, eam adversas res cupido animo infligere, secundas parco tribuere: [a] Eadem ubi malignitatis oblivisci sibi imperavit, non solum plurima ac maxima, sed etiam perpetua bona congerit.

1. Videamus ergo quot gradibus beneficiorum Q. Metellum à primo originis die, ad ultimum usque fati tempus nunquam cessante indulgentia, ad summum beatę vitę culmen perduxerit. Nasci eum in urbe terrarum principe voluit: parentes nobilissimos dedit: adjecit animi rarissimas dotes, & corporis vires, ut sufficere laboribus possent: uxorem pudicitia & fœcunditate conspicuam conciliavit. Consulatus decus, [1] imperatoriam potestatem, [2] speciosissimi triumphi prętextam largita est: Fecit, ut eodem tempore [3] tres filios Consulares, unum etiam Censorium, ac triumphalem, & quartum Prętorium videret. Utque [4] tres filias nuptum daret, earumque sobolem sinu suo ex-

An.M.3908.
Ol.158. 3.
Vrb.C. 607.
Ant.Ch.145.

INTERPRETATIO.

a *Eadem* fortuna *postquam firmiter constituit oblivisci malignitatis sibi innatæ.*

NOTÆ.

1. *Imperatoriam potestatem.*] Duo maxima bella gessit Metellus, Macedonicum & Celtibericum; illud Prætoria, hoc Consulari potestate. E Macedonia bis victis hostibus, captoque Pseudophilippo, Macedonici cognomen, triumphumque retulit. Rerum in Hispania ab eo gestarum meminimus sæpius.

2. *Speciosissimi triumphi.*] Tres Romanorum Imperatores de Macedonia triumpharunt; T. Flaminius de Philippo, de Perseo Æmilius Paulus, Metellus de Andrisco, qui illius triumphum cohonestavit, ut tradunt Velleius, & Appianus.

3. *Tres filios Consulares.*] Quatuor Metello fuerunt filii: Q. Metellus Balearicus, Consularis, triumphalis & Censorius; L. Metellus Dalmaticus, Consularis; M. Metellus Creticus, Consularis & triumphalis; C. Metellus Caprarius, anno post mortem patris Consul.

4. *Tres filias.*] Duas tantum appellant alii, quarum altera P. Servilii Taurici, altera Scipionis, qui in bello Mariano exul periit, mater fuit.

ciperet. [1] Tot partus, tot incunabula, tot viriles togæ, tam multæ nuptiales faces, honorum, imperiorum, omnis denique gratulationis summa abundantia; cum interim nullum funus, nullus gemitus, nulla causa tristitiæ. Cœlum contemplare: vix tamen ibi talem statum reperies, quoniam quidem luctus & dolores Deorum quoque pectoribus à maximis vatibus assignari videmus. [a] Hunc autem vitæ actum ejus consentaneus finis excepit. Nam Q. Metellum ultimæ senectutis spatio defunctum, lenique genere mortis inter oscula, complexusque charissimorum pignorum extinctum, filii & generi humeris suis per urbem latum rogo imposuerunt.

An. M. 3366. Ol. 23. 1. Vrb. C. 65. Ant. Ch. 687.

2. Clara hæc felicitas: obscurior illa, [b] sed divino splendore præposita: Cum enim [2] Gyges regno Lydiæ armis & divitiis abundantissimo inflatus Apollinem Pythium sciscitatum venisset, an aliquis mortalium se esset felicior: Deus ex abdito sacrarii specu, voce missa, Aglaum Sophidium ei prætulit. Is erat Arcadum pauperrimus, sed ætate jam senior: terminos agelli sui nunquam excesserat, parvuli ruris fructibus contentus. Verum profecto beatæ vitæ finem Apollo, non adumbratum, oraculi sagacitate complexus est. Quocirca insolenter fulgore fortunæ suæ glorianti respondit, magis se probare securitate ridens tugurium, quam tristem curis & sollicitudinibus aulam: paucasque glebas pavoris expertes, quam pinguissima Lydiæ arva metu referta: & unum aut alterum [c] jugum boum facilis tutelæ, quam exercitus & arma, & equitatum voracibus impensis onerosum: [d] & usus necessarii horreolum nulli nimis appetendum, quam thesauros omnium insidiis & cupiditatibus expositos. Ita Gyges dum adstipulatorem vanæ opinionis Deum habere concupiscit, ubinam solida & secura esset felicitas, didicit.

INTERPRETATIO.

a *Hanc autem vitam feliciter actam mors plane similis subsecuta est.*

b *Divino* Apollinis *testimonio præposita.*

c *Iugum boum, quod facile nutrire possit.*

d *Et parvum horreum sufficiens ad usum necessarium.*

NOTÆ.

1. *Tot partus.*] Sex liberos reliquit, nepotes undecim; nurus, generosque, & à quibus pater vocaretur, viginti septem.

2. *Gyges.*] Lydorum Rex: de cujus annulo multa auctores commenti sunt; quos inter Plato fingit eum, in antrum forte cum descendisset, annulum aureum è digito hominis mortui, qui in equo æneo inclusus erat, detraxisse; illiusque annuli virtute, cum à nullo videretur, & Reginæ stuprum, & mortem Candauli Regi obtulisse.

CAP. II.

DE SAPIENTER DICTIS AUT FACTIS.

A ROMANIS.

1. *Ap. Claudio.*
2. *P. Scipione Africano.*
3. *Q. Cæcilio L. F. Metello.*
4. *L. Fimbria.*
5. *L. Papirio L. F. Cursore, Cos.*
6. *Senatu Romano.*

AB EXTERNIS.

1. *Socrate Atheniensi.*
2. *Solone Atheniensi.*
3. *Biante Prienensi.*
4. *Platone Atheniensi.*
5. *Antigono Rege.*
6. *Xenocrate Philosopho.*
7. *Aristophane Comico.*
8. *Thalete Philosopho.*
9. *Anaxagora Clazomenio.*
10. *Demade Atheniensi.*
11. *Anacharse Scytha.*
12. *Agesilao Lacedæmonio.*
13. *Annone Pœno.*
14. *Herennio Pontio Samnite.*
15. *Cretensibus.*

NUnc id genus felicitatis explicabo, quod totum in habitu animi est, nec votis petitur; sed in pectoribus sapientia præditis natum, dictis, factisque prudentibus enitescit.

1. [1] Ap. Claudium crebro solitum dicere accepimus: Negotium populo Romano melius, quam otium committi; non quod ignoraret quam jucundus tranquillitatis status esset, sed quod animadverteret præpotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari, nimia quiete in desidiam resolvi. Et sane negotium nomine horridum, civitatis nostræ mores in suo statu continuit; blandæ appellationis quies plurimis vitiis respersit. An.M.3774. Ol. 125. 1. Vrb.C. 775. Ant.Ch.279.

2. Scipio vero Africanus turpe esse aiebat in re militari, dicere, *Non putaram.* [a] videlicet quia explorato & excusso consilio, quæ ferro aguntur, administrari oportere arbitrabatur: summa ratione. Inemendabilis enim est error, qui violentia Martis committitur. Idem negabat, aliter cum hoste confligi debere, quam aut si occasio obvenisset, aut necessitas incidisset: æque prudenter. Nam & prospere gerendæ rei facultatem omittere, maxima dementia est: & in angustias utique pugnandi compulsum abstinere se prælio, pestiferum ignaviæ An.M. 3851. Ol. 144. 2. Vrb.C. 551. Ant.Ch.201.

INTERPRETATIO.

[a] *Quia quæ armis geruntur, putabat fieri oportere ex consilio explorato, & summa cum diligentia examinato*: quod *justissima de causa* dicebat.

NOTÆ.

1. *Ap. Claudium.*] Cœcum; de quo sæpe antea.

adfert exitum : Eorumque qui ista committunt, alter beneficio fortunæ uti, alter injuriæ nescit resistere.

An.M. 3855. Ol. 145. 2. Vrb. C. 554. Ant.Ch. 198.

3. [1] Q. quoque Metelli cum gravis, tum etiam alta in Senatu sententia; qui devicta Carthagine, nescire se illa victoria boni-ne plus an mali Reipub. attulisset, asseveravit. Quoniam ut pacem restituendo profuisset; ita Annibalem submovendo, nonnihil nocuisset. Ejus enim transitu in Italiam, [2] dormientem jam populi Romani virtutem excitatam: metuique debere, ne acri æmulo liberata in eundem somnum revolveretur. [a] In æquo igitur malorum posuit, uri tecta, vastari agros, exhauriri ærarium; & prisci roboris nervos hebetari.

4. Quid illud factum L. Fimbriæ Consularis! quam sapiens! A.M. Lutatio Pythia splendido Equite Rom. judex aditus de sponsione, quam is cum adversario, quod vir bonus esset, fecerat; nunquam id judicium pronunciatione sua finire voluit. Ne aut probatum virum, si contra eum judicasset, fama spoliaret: aut juraret virum bonum esse, cum ea res innumerabilibus laudibus contineatur.

An.M. 3761. Ol. 121. 4. Vrb. C. 460. Ant.Ch. 292.

5. Forensibus hæc, illa militaribus stipendiis prudentia exhibita est. [3] Papirius Cursor Consul cum Aquiloniam oppugnans prælium vellet committere, pullariusque non prosperantibus avibus ementitus optimum ei auspicium renuntiasset, de fallacia illius factus certior, sibi quidem & exercitui bonum omen datum credidit, ac pugnam iniit. Cæterum mendacem ante ipsam aciem constituit: ut haberent Dii, cujus capite, si quid iræ conceperant, expiarent. Directum est autem sive casu, sive etiam cœlestis numinis providentia, quod primum è contraria parte missum erat telum, in ipsum pullarii pectus, eumque exanimem prostravit. Id ubi Consul cognovit, fidente animo & [4] hostes invasit, & [5] Aquiloniam cepit. Tam cito animadvertit, quo pacto injuria Imperatoris vindicari deberet, quemadmodum violata religio expianda foret,

INTERPRETATIO.

a *Putavit non minus mali & detrimenti nasciturum, si virtus pristina languesceret, quam si tecta urerentur, &c.*

NOTÆ.

1. *Q. quoque Metelli.*] Qui Metelli Macedonici pater, & in bello Punico secundo Magister Equitum & Dictator fuit.

2. *Dormientem jam populi.*] Deleta enim Carthagine, Asiaque domita, Romanorum mores corrupit otium. Unde Iuvenalis:

Nunc patimur longæ pacis mala, sævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.

3. *Papyrius cursor.*] Illius, qui bis Dictator fuerat, filius.

4. *Hostes invasit.*] Cæsa hostium 30. millia, capta quatuor, & 97. signa militaria.

5. *Aquiloniam cepit.*] Dum Consul victorem exercitum in castra recipit, hinc Volumnius castra diripit hostium; inde Cornelius urbem invadit. Ipse primus pergit ad portam: sequuntur alii, factaque testudine in urbem irrumpunt; domus à milite direptæ, tectisque ignis injectus.

& qua ratione victoria apprehendi posset. Egit virum severum, Consulem religiosum, Imperatorem strenuum: [a] timoris modum, pœnæ genus, spei viam, uno mentis impetu rapiendo.

6. Nunc ad Senatus acta transgrediar. Cum adversus Annibalem An.M.3847.
Senatus [1] Claudium Neronem & Livium Salinatorem Consules mitteret; Ol. 143. 2.
eosque ut virtutibus pares, ita inimicitiis acerrime inter se dissidentes Vrb. C. 546.
videret, summo studio in gratiam reduxit, ne propter privatas Ant.Ch.206.
dissensiones Rempub. parum utiliter administrarent. [b] Quia consimili imperio, nisi concordia inest, major aliena opera interpellandi, quam sua edendi cupiditas nascitur: ubi vero etiam pertinax intercedit odium, alter alteri, quam è contrariis castris utrique certior hostis proficiscitur. An.M. 3850.
Eosdem Senatus, cum ob nimis aspere actam Censuram à Cn. Bæ- Ol.144. 1.
bio Tribuno plebis pro Rostris agerentur rei; causæ dictione decreto suo Vrb.C. 549.
liberavit. Vacuum omnis judicii metu eum honorem reddendo, qui Ant. Ch 203.
exigere debet rationem, non reddere. Par illa sapientia Senatus, quia Ti. Gracchum Tribunum plebis Agrariam legem promulgare ausum, An.M. 3921.
morte multavit: Idem, ut [2] secundum legem ejus per Triumviros ager Ol. 161. 4.
populo viritim divideretur, egregie censuit. Siquidem gravissimæ se- Vrb.C. 620.
ditionis eodem tempore & auctorem & causam sustulit. Ant.Ch. 132.

Quam deinde se prudenter in Rege Massanisa gessit? Nam cum An.M. 3853.
promptissima & fidelissima ejus opera adversus Carthaginienses usus Ol. 144. 4.
esset, eumque in dilatando regno avidiorem cerneret; legem ferre Vrb C. 552.
jussit, qua Massanisæ ab imperio populi Romani solutam libertatem Ant. Ch.200.
tribueret. Quo facto cum optime meriti benevolentiam retinuit, [c] tum Mauritaniæ & Numidiæ, ceterarumque illius tractus gentium nunquam fida pace quiescentem feritatem, à valvis suis repulit.

INTERPRETATIO.

a *Videndo uno mentis intuitu, quatenus ob pullarii mendacium deberet & timere iram deorum, & fallacem punire, & sperare victoriam.*

b *Quia inter duos homines pari imperio præditos, si non sit concordia, major libido oriri solet, impediendi alterius opera, quam sua edendi: si vero odio pertinaci dissideant, alter certior hostis alteri ad bellum proficiscitur, quam ipse hostis patriæ contra quem uterque bellum gerit.*

c *Perfecit, ut gentes barbaræ Mauritaniæ, Numidiæ & illarum regionum nunquam diuturnam pacem servantes, Romam querelas sæpe non deferrent.*

NOTÆ.

1. *Claudium Neronem & Livium Salinatorem.*] Consule l.2. c.9. n.6

2. *Secundum legem ejus.*] Ti. enim Gracchus legem tulerat, ut ager à Triumviris divideretur. Vide l.1. c.4. num.2. De Massanisa l.1. c.1. Ext. n.2.

EXTERNA.

1. Tempus deficiet domestica narrantem: quoniam imperium no-

ſtrum non tam robore corporum, quam animorum vigore incrementum ac tutelam ſui comprehendit. Majore itaque ex parte Romana prudentia in admiratione tacite reponatur, alienigeniſque hujus generis exemplis detur aditus. Socrates humanæ ſapientiæ quaſi quoddam terreſtre oraculum nihil ultra petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent. Quia ii demum ſcirent quid unicuique

An.M. 3650. Ol. 94. 1. Vrb.C. 349. Ant.Ch.403. eſſet utile: nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetraſſe melius foret. Etenim, denſiſſimis tenebris involuta mortalium mens, in quam late patentes errores cœcas precationes tuas ſpargis! Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt: honores concupiſcis, qui complures peſſum dederunt: [a] regna tecum ipſa volvis, quorum exitus ſæpenumero miſerabiles cernuntur: [b] ſplendidis conjugiis injicis manus, at hæc ut aliquando illuſtrant, ita nonnunquam funditus domos everterunt. Deſine igitur ſtulta, futuris malorum tuorum cauſis, quaſi feliciſſimis rebus inhiare, teque totam cœleſtium arbitrio permitte: Quia qui tribuere bona ex facili ſolent, etiam eligere aptiſſima poſſunt.

Idem expedita & compendiaria via eos ad gloriam pervenire dicebat, qui id agerent, ut quales videri vellent, tales etiam eſſent. Qua quidem prædicatione aperte monebat, ut homines ipſam potius virtutem, quam umbram ejus conſectarentur. Idem ab adoleſcentulo quodam conſultus, uxorem duceret, an ſe omni matrimonio abſtineret; reſpondit, utrum eorum feciſſet, acturum pœnitentiam. Hîc te, inquit, ſolitudo, hîc orbitas, hîc generis interitus, hîc hæres alienus excipiet: illic perpetua ſolicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, [c] affinium grave ſupercilium, garrula ſocrus lingua, [d] ſubſeſſor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus. [e] Non paſſus eſt juvenem in contextu rerum aſperarum, quaſi lætæ materiæ facere delectum.

An.M. 3654. Ol. 95. 1. Vrb.C. 353. Ant.Ch. 399. Idem cum Athenienſium ſcelerata dementia triſtem de capite ejus ſententiam tuliſſet, fortique animo & conſtanti vultu potionem veneni è manu carnificis accepiſſet; admoto jam labris poculo, uxori [1] Xantippæ inter fletum & lamentationem vociferanti [2] innocentem eum perimi,

INTERPRETATIO.

a *Meditaris quomodo regiam poteſtatem habere poſſis.*

b *Ardenter appetis ſplendida conjugia.*

c *Affinium nimia ſeveritas.*

d *Inſidiator matrimonii alieni.*

e *Sicque dum juvenem admonet utrimque res aſperas imminere; fecit ut non eligeret, quaſi ex utraque parte res proſperæ futura eſſent.*

NOTÆ.

1. *Xantippæ.*] Socrati duæ fuerant uxores; Xantippe & Myrtho.

2. *Innocentem eum perimi.*] Vix venenum ebiberat Socrates, cum populum illius mortis pœnituit, indicitur publicus mœror, clauduntur officinæ & gymnaſia, fit impetus in accuſatores; alii occiſi, fugati alii; æreaque ſtatua, Lyſippi opus, Socrati erigitur.

Quid,

Quid ergo? inquit, nocenti mihi mori satius esse duxisti? O immensam illam sapientiam, quæ ne in ipso quidem vitæ excessu oblivisci sui potuit!

2. Age, quam prudenter Solon, neminem, dum adhuc viveret, beatum dici debere arbitrabatur! quod ad ultimum usque fati diem ancipiti fortunæ subjecti essemus. [a] Felicitatis igitur humanæ appellationem rogus consummat, qui se incursui malorum objicit. Idem cum ex amicis quemdam graviter mœrentem videret, in arcem perduxit, hortatusque est, ut per omnes subjectorum ædificiorum partes oculos circumferret: Quod ut factum animadvertit, Cogita nunc tecum, inquit, quam multi luctus sub his tectis & olim fuerint, hodieque versentur, insequentibusque seculis sint habitaturi: ac mitte mortalium incommoda tanquam propria deflere. Qua consolatione demonstravit, urbes esse humanarum cladium consepta miseranda. Idem aiebat, si in unum locum cuncti mala sua contulissent; futurum, ut propria deportare domum, quam ex eo communi miseriarum acervo portionem suam ferre mallent. Quo colligebat, [b] non oportere nos quæ fortuito patimur, præcipue & intolerabilis amaritudinis judicare.

An.M. 3488. Ol. 53. 3. Vrb. C. 187. Ant.Ch. 565.

3. Bias autem, cum patriam ejus Prienem hostes invasissent, omnibus, quos modo sævitia belli incolumes abire passa fuerat, pretiosarum rerum pondere onustis fugientibus, interrogatus, quid ita nihil ex bonis suis secum ferret: Ego vero (inquit) bona mea mecum porto. Pectore enim illa gestabat, non humeris: non oculis visenda, sed æstimanda animo. Quæ domicilio mentis inclusa; nec mortalium, nec Deorum manibus labefactari queunt: & ut manentibus præsto sunt, ita fugientes non deserunt.

An.M. 3484. Ol. 52. 3. Vrb C. 183. Ant.Ch. 569.

4. [c] Jam Platonis verbis adstricta, sed sensu prævalens sententia. Qui tum demum beatum terrarum orbem futurum prędicavit; cum aut sapientes regnare, aut Reges sapere cœpissent.

An.M. 3680. Ol. 101. 3. Vrb C. 379. Ant.Ch. 373.

5. Rex etiam ille subtilis judicii; quem ferunt traditum sibi diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu considerasse, ac di-

Interpretatio.

a *Mors felicitatem humanam perfectam reddit, quia impedit ne mala incurrant.*

b *Non oportere nos judicare, quæ fortuito patimur, esse intolerabilia, & sine summo animi mœrore ferri non posse.*

c *Iam Platonis sententia paucis verbis comprehensa.*

Notæ.

1. *Beatum dici debere.*] Cum in Lydiam ad Crœsum venisset, ex eo Crœsus quæsisse fertur, num quemquam se beatiorem unquam vidisset? ille respondit, Talem quemdam, qui pro patria una cum filiis occubuerat. Tum Crœsus. *Nonne beatus*, inquit, *tibi videor?* Cui Solon. *Felicem te judico, beatum omnino negaverim; beatum enim dicimus, qui ad extremum usque diem in felicitate permanserit.*

xisse : O nobilem magis quam felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quam multis solicitudinibus & periculis, & miseriis sit refertus; ne humi quidem jacentem tollere vellet.

An.M.3715. Ol. 110. 2. Vrb.C.414. Ant.Ch. 338.

6. Quid? Xenocratis responsum, quam laudabile! cum maledico sermoni quorundam summo silentio interesset; uno ex his quærente, cur solus ita linguam suam cohiberet: [1] Quia dixisse me, inquit, aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.

An.M.3626. Ol. 88. 1. Vrb. C. 325. Ant.Ch.427.

7. Aristophanis quoque altioris est prudentiæ præceptum, qui in comœdia introduxit remissum ab inferis Atheniensem [2] Periclem, vaticinantem, non oportere in urbe nutriri leonem; sin autem sit alitus, obsequi ei convenire. Monet enim, ut præcipuæ nobilitatis & concitati ingenii juvenes refrenentur. [a] Nimio vero favore ac profusa indulgentia pasti, quo minus potentiam obtineant, ne impediantur: quod stultum sit & inutile, eas obtrectare vires, quas ipse foveris.

An.M.3415. Ol. 35. 2. Vrb.C. 114. Ant.Ch.638.

8. Mirifice etiam Thales. Nam interrogatus, an facta hominum Deos fallerent: Nec cogitata, inquit. Ut non solum manus, sed etiam mentes puras habere vellemus; cum secretis cogitationibus nostris numen adesse credidissemus.

An.M. 3577. Ol. 75. 4. Vrb.C. 276. Ant.Ch.476.

Ac ne quod sequitur quidem minus sapiens. Unicæ filiæ pater Themistoclem consulebat, utrum eam pauperi, sed ornato: an locupleti parum probato collocaret? Cui is, Malo, inquit, virum pecunia, quam pecuniam viro indigentem. Quo dicto stultum monuit, ut generum potius, quam divitias generi legeret.

An.M. 3776. Ol. 125. 3. Vrb C.475. Ant.Ch.277.

Age, Philippi quam probabilis epistola, in qua Alexandrum quorundam Macedonum benevolentiam largitione ad se attrahere conatum sic increpuit: Quæ te, fili, ratio in hanc tam vanam spem induxit, ut eos tibi fideles futuros existimares, quos pecunia ad amorem tui compulisses? à charitate istud præstatur. At vero ante Philippus majore ex parte mercator Græciæ, quam victor.

An.M.3720. Ol. 111. 3. Vrb.C. 419. Ant.Ch. 333.

Aristoteles autem [3] Callisthenem auditorem suum ad Alexandrum dimittens monuit, ut cum eo aut rarissime, aut quam jucundissime loqueretur: quo scilicet apud regias aures vel silentio tutior, vel sermone

INTERPRETATIO.

a Adolescentes vero nimia indulgentia educati, ne impediantur quominus dignitatem summam acquirant, quod stultum sit & inutile iis viribus resistere, quas ipse foveris.

NOTÆ.

1. *Quia dixisse.*] Id Simonidi tribuit Plutarchus.

2. *Periclem vaticinantem.*] Aristophanes in ranis Aeschylo hanc sententiam adscribit; quam his verbis expressit Erasmus:

Catulum ne alas in Republica;
Ac maxime leonem ne alas ib.
Quod si quis alitus, obsequendum moribus.

3. *Callisthenem.*] Genere Olynthium, Aristotelis affinem, virum summa dicendi facultate præditum.

esset acceptior. At ille dum Alexandrum Persica Macedonum salutatione gaudentem objurgat, & ad majorum mores invitum revocare perseverat; [1] spiritu carere jussus, seram neglecti salubris consilii pœnitentiam egit.

Idem Aristoteles de semetipso in neutram partem loqui debere prædicabat, quoniam laudare se, vani: vituperare, stulti esset. Ejusdem est utilissimum præceptum, Ut voluptates abeuntes consideremus. Quas quidem sic ostendendo minuit: Fessas enim, pœnitentiæque plenas animis nostris subjecit, quo minus cupide repetantur.

9. Nec parum prudenter Anaxagoras interroganti cuidam, quisnam esset beatus: Nemo, inquit, ex his quos tu felices existimas: sed eum in illo numero reperies, qui à te ex miseris constare creditur. Non erit ille divitiis & honoribus abundans: sed aut exigui ruris, aut non ambitiosæ doctrinæ fidelis ac pertinax cultor, in secessu quam in fronte beatior. An.M. 3585. Ol. 77. 4. Vrb.C.284. Ant.Ch.468.

10. [2] Demadis quoque dictum sapiens: nolentibus enim Atheniensibus divinos honores Alexandro decernere, Videte (inquit) ne, dum cœlum custoditis, terram amittatis. An.M. 3728. Ol. 103. 3. Vrb. C.427. Ant.Ch.325.

11. Quam porro subtiliter [3] Anacharsis leges aranearum telis comparabat: Nam ut illas infirmiora animalia retinere, valentiora transmittere; ita his humiles & pauperes constringi, divites & præpotentes non alligari, videmus. An.M. 3462. Ol. 47. 1. Vrb. C. 161. Ant.Ch. 591.

12. Nihil etiam Agesilai facto sapientius: siquidem cum adversus Rempub. Lacedæmoniorum [4] conspirationem ortam noctu comperisset, leges Lycurgi continuo abrogavit, quæ de indemnatis sup- An.M. 3683. Ol. 102. 2. Vrb. C. 382. Ant.Ch.370.

NOTÆ.

1. *Spiritu carere jussus.*] Tam multa multi de cæde Callisthenis scripserunt, ut cui famæ, quibusve scriptis assentiar, non habeam. Quare satius visum est, quæ quisque de illo scripserit, breviter hic apponere. Dum adorari se vellet Alexander, idque suaderent Agis poëtaster Argivus, Cleo Siculus, & Anaxarchus Sophista, qui Herculem, Liberum & Castorem novo deo cessuros jactitabant: orationem Anaxarchi Callisthenes refutavit, eoque nomine invisus Alexandro, Hermolai conjurationis falso insimulatur; vinctusque compedibus aliquanto post morbo decessit, ex Aristobulo apud Arrianum. Tortus, & deinde suspensus, ex Ptolemæo apud eundem. Septem menses in vinculis custoditus morbo pediculari periit, ex Charete apud Plutarchum. Cavea ferrea circumductus, pædore ac squallore obsitus, tandem leoni objectus est, ex Laërtio. Truncatis membris omnibus, abscissisque auribus, naso & labiis, cum cane in cavea inclusus, ad metum cæterorum circumductus est, ex Iustino.

2. *Demadis.*] Orator Atheniensis jussu Antipatri occisus dicitur.

3. *Anacharsis.*] Scytha, qui Solonem Athenas invisit; eum à fratre sagitta ideo confossum refert Laërtius, quod Atheniensium leges Scythis præscribere vellet.

4. *Conspirationem ortam.*] Longe aliter Plutarchus, qui conjurationis nusquam meminit: Spartæ, cum lege cautum esset, ne quis ex acie fugeret, multique ex Leuctrica pugna fugissent, Agesilaus eos, ne qui patriam deinde armis tutarentur, non essent, capitis pœna liberavit.

plicium sumi vetabant: Comprehensis autem & interfectis sontibus, easdem è vestigio restituit, atque utrumque simul providit, ne salutaris animadversio vel injusta esset, vel jure impediretur. Itaque ut semper esse possent, aliquando non fuerunt.

13. Sed nescio an Hannonis excellentioris prudentiæ consilium. Magone enim Cannensis pugnæ exitum Senatui Pœnorum nunciante, inque tanti successus fidem annulos aureos [1] trium modiorum mensuram explentes effundete, qui interfectis nostris civibus detracti erant; quæsivit an [2] aliquis sociorum post tantam cladem à Romanis defecisset: Atque ut audivit neminem ad Annibalem transisse, suasit protinus, ut legati Romam, per quos de pace ageretur, mitterentur: cujus si sententia valuisset, neque secundo Punico bello victa Carthago, neque tertio deleta foret.

An.M. 3838. Ol. 141. 1. Vrb.C. 537. Ant.Ch. 215.

14. Nec Samnites quidem parvas pœnas consimilis erroris pependerunt, quod [3] Herennii Pontii salutare consilium neglexerunt: Qui auctoritate & prudentia cæteros præstans, ab exercitu & ejus duce filio suo consultus, quidnam fieri de legionibus Romanis apud Furcas Caudinas inclusis deberet, inviolatas dimittendas respondit. Postero die eadem de re interrogatus, deleri eas oportere dixit: ut aut maximo beneficio gratia hostium emeretur, aut gravissima jactura vires confringerentur: sed improvida temeritas victorum, dum utramque partem spernit utilitatis, sub jugum missas in perniciem suam accendit.

An.M. 3733. Ol. 114. 4. Vrb.C. 432. Ant.Ch. 320.

Multis & magnis sapientiæ exemplis parvulum adjiciam. Cretenses cum acerbissima execratione adversus eos, quos vehementer oderunt, uti volunt; ut mala consuetudine delectentur, optant; modestoque voti genere efficacissimum ultionis eventum reperiunt. Inutiliter enim aliquid concupiscere, & in eo perseveranter morari, exitio vicina dulcedo est.

NOTÆ.

1. *Trium modiorum.*] Ita etiam Eutropius & Orosius; duos modios habet Florus, nonnulli dimidium supra tres modios explesse volunt: tenuit fama, quæ propior vero est, haud plus fuisse modio.

2. *Aliquis sociorum.*] Quæsivit ecquis Latini nominis populus defecerit? deinde ecquis homo ex 35. tribubus ad Annibalem fugerit? cum utrumque Hanno negasset, subjecit ecquos legatos ad Anibalem Romam miserint de pace? cum id quoque negasset: *bellum igitur*, inquit, *tam integrum habemus, quam habuimus, qua die Annibal in Italiam est transgressus.* Hæc Livius.

3. *Herennii Pontii.*] De clade ad Furcas Caudinas jam egimus.

Cap. III.

DE VAFRE DICTIS AUT FACTIS.

[a] EST aliud factorum dictorumque genus à sapientia proximo deflexu ad Vafri nomen progressum: quod nisi fallacia vires assumpserit, fidem propositi non invenit: laudemque occulto magis tramite, quam aperta via petit.

1. Ser. Tullio regnante, cuidam patrifamilias in agro Sabino præcipuæ magnitudinis & eximiæ formæ vacca nata est. Quam oraculorum certissimi auctores in hoc à Diis immortalibus editam responderunt, ut quisquis eam [1] Aventiniensi Dianæ immolasset, ejus patria totius terrarum orbis Imperium obtineret. Lætus eo dominus, bovem cum summa festinatione Romam actam, in Aventino ante aram Dianæ constituit, Sabinis regimen humani generis daturus. De qua re Antistes templi certior factus, [b] religionem hospiti intulit, [2] ne prius victimam cæderet, quam proximi amnis aqua se abluisset. Eoque alveum Tiberis petente, vaccam ipse immolavit, & urbem nostram tot civitatum, tot gentium

An.M.3486. Ol. 53. 1. Vrb C. 185. Ant.Ch. 567.

Interpretatio.

a *Est aliud genus factorum dictorumque, quod à sapientia quidem procedit; sed ad vafre dicti aut facti appellationem deflectit: quod genus nisi cum fallacia conjunctum sit, non assequitur quod sibi proposuit.*

b *Injecit hospiti scrupulum.*

Notæ.

1. *Aventiniensi Dianæ.*] Cujus templum erat in Aventino monte.

2. *Ne prius victimam.*] *Quidnam tu hospes paras*, inquit, *inceste Dianæ sacrificium facere, quin tu ante vivo perfunderis flumine? infima valle perfluit Tiberis.*

dominam, pio sacrificii furto reddidit.

An M. 3535. Ol. 65. 2. Vrb. C. 234. Ant. C. 518.

2. Quo in genere acuminis in primis Junius Brutus referendus est. Nam cum à Rege Tarquinio [1] avunculo suo [a] omnem nobilitatis indolem excerpi, interque cæteros etiam fratrem suum, quod vegetioris ingenii erat, interfectum animadverteret; [2] obtusi se cordis esse simulavit: eaque fallacia maximas virtutes suas texit. Profectus etiam Delphos cum Tarquinii filiis, quos is [3] ad Apollinem Pythium muneribus, sacrificiisque honorandum miserat, aurum Deo nomine doni clam cavato baculo inclusum tulit: quia timebat ne sibi cœleste numen aperta liberalitate venerari tutum non esset. Peractis deinde mandatis patris, Apollinem juvenes consuluerunt; quisnam ex ipsis Romæ regnaturus videretur. At is penes eum summam Urbis nostræ potestatem futuram respondit, qui ante omnes [4] matri osculum dedisset. Tunc Brutus, perinde atque casu prolapsus, de industria se abjecit, terramque communem omnium matrem existimans, osculatus est. Quod tam vafre telluri impressum osculum, Urbi libertatem, Bruto primum in fastis locum tribuit.

An.M. 3850. Ol. 144. 1. Vrb.C. 549. Ant.Ch. 203.

3. Scipio quoque superior præsidium calliditatis amplexus est. Ex Sicilia enim petens Africam, cum ex fortissimis peditibus Romanis trecentorum equitum numerum complere vellet, neque tam subito posset eos instruere: quod temporis angustiæ negabant, sagacitate consilii assecutus est. Namque ex iis juvenibus, quos secum ex tota Sicilia nobilissimos & ditissimos, sed inermes habebat, trecentos speciosa arma & electos equos quam celerrime expedire jussit; velut eos continuo secum ad oppugnandam Carthaginem avecturus: Qui cum imperio ut celeritate, ita longinqui & periculosi belli respectu solicitis animis paruissent; remittere se Scipio illam expeditionem, si arma & equos militibus suis traderent, edixit. [5] Rapuit conditionem imbellis ac timida

INTERPRETATIO.

a *Nobilissimos quosque juvenes interfici.*

NOTÆ.

1. *Avunculo suo.*] Tarquinia enim sorore Regis natus erat.

2. *Obtusi se cordis.*] Ex industria factus ad imitationem stultitiæ, cum se suaque Regi prædæ esse sineret; Bruti quoque haud abnuit cognomen.

3. *Ad Apollinem.*] Portentum terribile visum in regia; anguis ex columna lignea elapsus cum terrorem & fugam fecisset in regiam, ipsius Regis non tam subito pavore perculit pectus, quam anxiis implevit curis: quare Delphos mittere statuit; neque responsa sortium ulli alii committere ausus, duos filios Titum & Aruntem misit.

4. *Matri osculum.*] Tarquinii, ut Sextus, qui Romæ relictus fuerat, ignarus responsi, expersque imperii esset, rem summa ope taceri jubent; ipsi inter se, uter prior, cum Romam rediissent, matri osculum daret, sorti permittunt. Ita Livius.

5. *Rapuit conditionem.*] Hoc attigimus superius.

juventu, instrumentoque suo cupide nostris cessit. Ergo calliditas providit, ut si quid protinus imperaretur, grave prius, deinde remisso militiæ metu maximum beneficium fieret.

4. Quod sequitur, narrandum quoque est. [1] Q. Fabius Labeo arbiter à Senatu finium constituendorum inter Nolanos & [2] Neapolitanos datus, cum in rem præsentem venisset, [a] utrosque separatim monuit, ut omissa cupiditate, regredi modo controverso, quam progredi mallent. Idque cum utraque pars auctoritate viri mota fecisset, aliquantum in medio vacui agri relictum est. Constitutis deinde finibus ut ipsi terminaverant; quicquid reliqui soli fuit, populo Romano adjudicavit: Cæterum etsi circumventi Nolani ac Neapolitani queri non potuerunt, secundum ipsorum demonstrationem dicta sententia; improbo tamen præstigiarum genere novum civitati nostræ vectigal accessit. Eundem ferunt, cum à Rege Antiocho, [3] quem bello superaverat, ex fœdere icto dimidiam partem navium accipere deberet, medias omnes secuisse, ut eum tota classe privaret. An. M. 3865. Ol 147. 4. Vrb.C. 564. Ant.Ch.188.

5. Jam M. Antonio remittendum convicium est: qui idcirco se aiebat nullam orationem scripsisse, ut, si quid, superiore judicio actum, ei, quem postea defensurus esset, nociturum foret, non dictum à se, affirmare posset: Qui facti vix prudentis, tolerabilem causam habuit: pro periclitantium enim capite, non solum eloquentia sua uti, sed etiam verecundia abuti erat paratus. An.M. 3959. Ol.171. 2. Vrb.C. 658. Ant.Ch.94.

6. Sertorius vero corporis robore, atque animi consilio parem naturæ indulgentiam expertus, proscriptione Syllana [4] dux Lusitanorum fieri coactus, cum eos oratione flectere non posset, ne cum Romanorum universa acie confligere vellent, vafro consilio ad suam sententiam

INTERPRETATIO.

a *Monuit utrosque separatim, ut abjecta cupiditate, à limite de quo lis erat, regrederentur potius, quam ultra progrederentur.*

NOTÆ.

1. *Q. Fabius Labeo.*] Fabii Cunctatoris nepos, vir eruditus, & Poëta, ut temporibus illis insignis, Consul anno Vrbis 570.

2. *Neapolitanos.*] Neapolis Campaniæ urbs clarissima secundum maris littus, à Cumana juventute condita, & Parthenope nuncupata: à Cumanis aliquanto post & eversa, & oraculi jussu restaurata, Neapolis dicta est.

3. *Quem bello superaverat.*] Antiochum à Fabio Labeone victum nusquam, nisi mea me fallit opinio, reperias. Prætor Labeo anno Vrbis 564. classem & oram maritimam Græciæ sortitus est; at jam victo Antiocho nulla belli cum esset materies, trajecit in Cretam, ubi Romanos cives captivos redemit: unde à C. Manlio Pataram missus, Antiochi naves 50. quas ex fœdere retinere illi nefas erat, concîdit, cremavitque; deinde Romam reversus Labeo, navalem triumphum obtinuit, cum nec bellum ullum gessisset, nec vicisset hostem. Hæc Livius ex Valerio Antiate.

4. *Dux Lusitanorum.*] In Africam incertus quid ageret, fugerat Sertorius, cum à Lusitanis per legatos accitur, ut illis contra Romanos bellum gerentibus imperaret.

An.M. 3976. Ol. 175. 3. Vrb.C. 675. Ant.Ch. 77.

perduxit. Duos enim in conspectu eorum constituit equos, alterum validissimum, alterum infirmissimum: ac deinde validi caudam ab imbecillo sene paulatim carpi, infirmi à juvene eximiarum virium universam convelli jussit. Obtemperatum imperio est. Sed dum adolescentis dextera irrito se labore fatigat, senio confecta manus ministerium executa est. Tunc barbaræ concioni, quorsum ea res tenderet cognoscere cupienti, subjecit: [1] Equi caudæ consimilem esse Romanorum exercitum, cujus partes aliquis aggrediens opprimere possit: universum conatus prosternere, celerius tradiderit victoriam, quam occupaverit. Ita gens barbara, aspera, & regi difficilis, in exitium suum ruens, [a] quam utilitatem auribus respuerat, oculis prævidit.

An. M. 3840. Ol. 141. 3. Vrb.C. 539. Ant Ch. 213.

7. Fabius autem Maximus, cujus non dimicare, vincere fuit; cum præcipuæ fortitudinis [2] Nolanum peditem dubia fide suspectum, & strenuæ operę Lucanum equitem amore scorti deperditum in castris haberet: ut utroque potius bono milite uteretur, quam in utrumque animadverteret; alteri suspicionem suam dissimulavit; in altero, disciplinam paululum à recto tenore deflexit: Nam illum plene [3] pro tribunali laudando, omnique genere honoris prosequendo animum suum à Pœnis ad Romanos coëgit revocare; & hunc clam meretricem redimere passus, paratissimum pro nobis excursorem reddidit.

An.M. 4011. Ol. 184. 2. Vrb C. 710. Ant.Ch. 42.

8. Veniam nunc ad eos, quibus salus astutia quæsita est. M. Volusius Ædilis plebis proscriptus, assumpto [4] Isiaci habitu, per itinera viasque publicas stipem petens, quisnam revera esset, occurrentes dignoscere passus non est. Eoque fallaciæ genere tectus, in M. Bruti castra pervenit. Quid illa necessitate miserius, quæ Magistratum populi Romani, abjecta honoris prætexta, alienigenæ religionis obscuratum insignibus, per urbem jussit incedere; [b] Omnes autem hi suæ vitæ, aut illi alienæ mortis cupidi, qui talia vel ipsi sustinuerunt, vel alios perpeti coëgerunt.

INTERPRETATIO.

a Per hanc similitudinem *oculis subjectam prævidit utilitatem, quam prius verbis explicatam auribus respuerat.*

b *Omnes autem, qui tam* infamem fugiendi rationem *quæsierunt, cupidi fuerunt vitæ suæ conservandæ: & qui alios coëgerunt perpeti talia*, fuerunt *cupidi mortis alienæ.*

NOTÆ.

1. *Equi caudæ.*] *Cernitis-ne*, inquit, *socii? perseverantia plus effici, quam violentia; multaque, quæ simul opprimi nequeunt, paulatim atteri.* Plut. in Sertorio.

2. *Nolanum peditem.*] Marsum facit Plutarchus, & nobilem.

3. *Pro tribunali.*] *Nunc duces*, inquit, incuso, *qui magis pro suo studio honores habent, quam pro virtutis merito, &c.* Sub his dictis illi equum donat, &c.

4. *Isiaci habitu.*] Isiaci Isidis erant Sacerdotes, qui per urbem & vicos vagari solebant, & obviis futura, modo daretur assis, prædicere.

9. Aliquanto

9. Aliquanto speciosius [1] Sentii Saturnini Vetulionis in eodem genere casus ultimæ sortis auxilium. Qui cum à Triumviris inter proscriptos nomen suum propositum audisset; continuo Præturæ insignia invasit: præcedentibusque in modum lictorum & apparitorum, publicorumque servorum subornatis, vehicula comprehendit, hospitia occupavit, obvios submovit, ac tam audaci usurpatione imperii, in maxima luce densissimas hostilibus oculis tenebras offudit. Idem ut [2] Puteolos venit, perinde ac publicum ministerium agens, summa cum licentia correptis navibus in Siciliam, certissimum tunc proscriptorum profugium, penetravit.

An.M. 4011. Ol. 184. 2. Vrb. C. 710. Ant.Ch. 42.

10. His uno adjecto levioris notæ exemplo, ad externa convertar. Amantissimus quidam filii, cum eum inconcessis ac periculosis facibus accensum, ab insana cupiditate inhibere vellet; salubris consilii astutia patriam indulgentiam temperavit. Petiit enim ut prius quam ad eam, quam diligebat, iret; vulgari ac permissa Venere uteretur. Cujus precibus obsecutus adolescens, infelicem animi impetum satietate concubitus liciti resolutum; ad id, quod non licebat, tardiorem, pigrioremque afferens paulatim deposuit.

NOTÆ.

1. *Sentii Saturnini.*] Idem omnino de Pomponio quodam narrat Appianus.

2. *Vt Puteolos.*] Campaniæ oppidum ad littus maris, aquis calidis celeberrimum.

EXTERNA.

1. Cum Alexander Macedonum Rex sorte monitus, ut eum qui sibi porta egressa primus occurrisset, interfici juberet: asinarium forte ante omnes obviam factum, ad mortem arripi imperavit. Eoque quærente quidnam se immerentem capitali supplicio, innocentemque addiceret; cum ad excusandum factum suum oraculi præceptum retulisset; asinarius, Si ita est, inquit, Rex, alium sors huic morti destinavit: nam asellus, quem ego ante me agebam, prior tibi occurrit. Delectatus Alexander & illius tam callido dicto, & quod ab errore ipse revocatus erat; [a] occasionem in aliquanto viliore animali expiandæ religionis rapuit. Summa in hoc cum calliditate mansuetudo, summa quoque in alterius Regis equisone calliditas.

2. Sordida Magorum dominatione oppressa, [1] Darius Rex adjutori-

An.M. 3532. Ol. 64. 3. Vrb.C. 231. Ant.Ch. 521.

INTERPRETATIO.

a *Rapuit occasionem exolvendæ religionis morte animalis multo vilioris. In hoc* exemplo *summa est & mansuetudo Regis, & asinarii calliditas.*

NOTÆ.

1. *Darius Rex.*] Nondum Rex erat Darius, sed regni, ut alii Principes, candidatus. De Magis diximus lib 3. c.2. num.2.

bus ejusdem dignitatis assumptis, pactum cum praeclari operis consortibus fecit, ut equis insidentes, solis ortu cursum in quendam locum dirigerent; isque regno potiretur, cujus equus in eo primus hinnisset. Caeterum maximae mercedis competitoribus fortunae beneficium expectantibus, solus acumine [1] equisonis sui Ebaris prosperum exoptatae rei effectum assecutus est: quia in equae genitalem partem demissam manum, cum ad eum locum ventum esset, naribus equi admovit. Quo odore irritatus, ante omnes hinnitum edidit: Auditoque eo, sex reliqui summae potestatis candidati continuo equis delapsi (ut est mos Persarum) humi prostratis corporibus Darium Regem salutaverunt. Quantum imperium, [a] quam parvo interceptum est vaframento!

An.M.3460. Ol. 46. 3. Vrb.C. 159. Ant.Ch. 593.

3. [2] Bias autem, cujus sapientia diuturnior inter homines est, quam patria Priene fuit siquidem illa etiam nunc spirat, (hujus perinde atque extinctae vestigia tantummodo extant) ita aiebat oportere homines in usu amicitiae versari, ut meminissent, eam ad gravissimas inimicitias posse converti. Quod quidem praeceptum prima specie nimis fortasse callidum videtur, inimicumque simplicitati qua praecipue familiaritas gaudet: [b] sed si altioribus animis cogitatio demissa fuerit, perquam utile reperietur.

An.M.3720. Ol. 111. 3. Vrb.C.419. Ant.Ch. 333.

4. Lampsacenae vero urbis salutis unius vaframenti beneficio constitit. Nam cum ad excidium ejus summo studio Alexander ferretur, progressumque extra moenia [3] Anaximenem praeceptorem suum vidisset; quia manifestum erat, futurum, ut preces suas irae ejus opponeret, non facturum se, quod petiisset, juravit. Tunc Anaximenes, Peto, inquit, ut [4] Lampsacum [5] diruas. Haec velocitas sagacitatis, oppidum vetusta nobilitate inclytum, exitio, cui destinatum erat, [6] subtraxit.

An.M.3708. Ol. 108. 3. Vrb.C.407. Ant.Ch. 345.

5. Demosthenis quoque astutia mirifice cuidam ancillae succursum

INTERPRETATIO.

a *Quam parva calliditate acquisitum est.*

b *Sed si quis diligentius hoc consilium in mente perpenderit.*

NOTAE.

1. *Equisoni sui Ebaris.*] Aliquanto aliter Iustinus & Herodotus.

2. *Bias autem.*] Quod Bianti Valerius, idem Chiloni Plutarchus tribuit; dicere enim solebat: *ames eatenus, quasi aliquando sis odio habiturus: item, hactenus oderis, tanquam sis amaturus.*

3. *Anaximenem.*] Tres hoc nomine fuerunt: unus is qui Anaximandri discipulus Sapientum aetati suppar fuit; alter Orator & Sophista Philippo & Alexandro notus, quo de hic agitur: tertius, hujus nepos, Historicus, qui res ab Alexandro gestas scripsit.

4. *Lampsacum.*] Lampsacus urbs Asiae minoris ad Hellespontum, inter Simoëntem & Granicum. *Lampsico.*

5. *Diruas.*] *Hac in re*, inquit, *mihi gratificare, ô Rex, vendas sub hasta mulieres Lampsacenorum & liberos; totum oppidum solo diruas, templa deorum incendas.* Ita Pausan. l.6.

6. *Subtraxit.*] Alexander enim, cum nihil contra dolum Anaximenis comminisci posset, veniam dedit Lampsacenis, vel invitus.

est, quæ pecuniam depositi nomine à duobus hospitibus acceperat, ea conditione, ut illam simul utrisque redderet. Quorum alter interjecto tempore, tanquam mortuo socio squalore obsitus, decepta ea omnes nummos abstulit. Supervenit deinde alter, & depositum petere cœpit. Hærebat misera in maxima & pecuniæ & defensionis penuria: jamque de laqueo & suspendio cogitabat; Sed opportune Demosthenes ei patronus adfulsit: qui ut in advocationem venit, Mulier, inquit, parata est depositi se fide solvere: sed nisi socium adduxeris, id facere non potest. Quoniam, ut ipse vociferaris, hæc dicta est lex, ne pecunia alteri sine altero numeretur.

6. Ac ne illud parum quidem] prudenter. Quidam Athenis universo populo invisus, causam apud eum de capitali crimine dicturus, maximum honorem subito petere cœpit: Non quod speraret se illum consequi posse; [a] sed ut haberent homines ubi procursum iræ, qui acerrimus esse solet, effunderent. Neque eum hæc tam callidi consilii ratio fefellit: comitiis enim clamore infesto, & crebris totius concionis sibilis vexatus, nota etiam denegati honoris perstrictus, ejusdem plebis paulo post in discrimine vitæ clementissima suffragia expertus est. [b] Quod si adhuc ei ultionem sitienti, capitis sui periculum objecisset, nullam partem defensionis odio obseratæ aures reperissent.

7. Huic vaframento consimilis illa calliditas. Superior [1] Annibal à Duilio Consule navali prælio victus, timensque classis amissæ pœnas dare; offensam astutia mire avertit: Nam ex illa infelici pugna prius quam cladis nuntius domum perveniret, [2] quendam ex amicis compositum & ornatum Carthaginem misit. Qui postquam civitatis ejus curiam intravit: Consulit, inquit, vos Annibal, cum dux Romanorum magnas secum maritimas trahens copias advenerit, an cum eo confligere debeat: Acclamavit universus Senatus, non esse dubium quin oporteret. Tum ille: Conflixit, inquit, & superatus est. Ita liberum iis non reliquit id factum damnare, quod ipsi fieri debuisse judicaverant.

An.M. 3794. Ol. 130. 1. Vrb.C. 493. Ant.Ch 259.

INTERPRETATIO.

a *Vbi effunderent primum iræ impetum, qui solet esse maximus.*

b *Quod si prius* apud plebem *adhuc cupientem eum punire, egisset causam, in qua de suo capite agebatur; illius aures ob nimium odium clausæ, ipsius defensionem non admisissent.*

NOTÆ.

1. *Annibal.*] Senior dicitur ab Orosio, Gisconis filius à Polybio & Zonara. Non Annibali, sed Himilconi id tribuit Aurelius Victor.

2. *Quendam ex amicis.*] Ipse post cladem Carthaginem venit, ex Plinio & Zonara; sicque pœnam crucis effugit: puduit enim punire, quod ipsis auctoribus factum esset. Abrogatum tamen illi imperium, ut auctor est Zonaras.

An.M. 3837. Ol. 140. 4. Vrb. C. 536. Ant.Ch. 216.

8. Alter item Annibal Fabium Maximum invictam armorum suorum vim saluberrimis cunctationibus pugnæ ludificantem, ut aliqua suspicione trahendi belli respergeret; totius Italiæ agros ferro atque igni vastando, unius ejus fundum immunem ab hoc injuriæ genere reliquit. Profecisset aliquid tanti beneficii insidiosa adumbratio, nisi Rom. urbi & [1] Fabii pietas, & Annibalis vafri mores fuissent notissimi.

An.M. 3674. Ol. 100. 1. Vrb.C. 373. Ant.Ch. 379.

9. Tusculanis etiam acumine consilii incolumitas parta est: Cum enim [2] crebris rebellationibus meruissent, ut eorum urbem funditus Romani evertere vellent, atque id ad exequendum Furius Camillus dux, validissimo instructus exercitu venisset; universi ei togati obviam processerunt, commeatusque & cætera pacis munia benignissime præstiterunt: Armatum etiam [3] intrare mœnia passi sunt, nec vultu, nec habitu mutato. Qua constantia tranquillitatis non solum ad amicitiæ nostræ jus; sed etiam ad communionem civitatis, quam usque cupierant, penetraverunt. Sagaci hercule usi simplicitate; quoniam aptius esse intellexerant, metum officio dissimulare, quam armis protegere.

An M. 3566. Ol. 73. 1. Vrb.C. 265. Ant.Ch. 487.

10. At Volscorum ducis [4] Tullii execrabile consilium: Qui ad bellum inferendum Romanis maxima cupiditate accensus, cum aliquot adversis præliis contusos animos suorum, & ob id paci proniores animadverteret: insidiosa ratione, quo volebat, compulit. Nam cum spectandorum ludorum gratia magna Volscorum multitudo Romam convenisset; Consulibus dixit, vehementer se timere, ne quid hostile subito molirentur: monuitque ut essent cautiores, & protinus ipse urbe egressus est. Quam rem Consules ad Senatum retulerunt, qui, tametsi nulla suspicio suberat, auctoritate tamen Tullii commotus, ut ante noctem Volsci abirent, decrevit. Qua contumelia irritati, facile [5] impelli potuerunt ad rebellandum. Ita mendacium versuti ducis, simulationé

INTERPRETATIO.

a *Fallax tanti beneficii simulatio Fabio nocuisset.*

NOTÆ.

1. *Fabii pietas.*] Qui hunc agrum, ne suspecta civibus sua fides esset, pro captivis redimendis vendidit.

2. *Crebris rebellationibus*] Cum Volscos vicisset Camillus, in recensendis captivis Tusculani aliquot deprehensi sunt, qui publico consilio militasse faterentur: quare jubetur à Senatu Camillus in eos arma vertere.

3. *Intrare passi sunt.*] Vocato eorum Senatu: *Soli adhuc*, inquit, *Tusculani veræ arma, verasque vires, quibus ab ira Romanorum vestra tutaremini, invenistis.* Tum eos ad Senatum Romam mittit, à quo pacem in præsentia, & nec ita multo post civitatem etiam impetraverunt. Livius l. 6.

4. *Tullii.*] Hanc fraudem non ipse Tullus, sed Coriolanus tum exul apud Volscos commentus est.

5. *Impelli potuerunt.*] Ipse enim Tullus prægressus ad caput Ferentinum, ut quisque veniret, primores eorum excipiens, in Romanos invehitur; queriturque Volscos cum insigni injuria solos omnium hospitum urbe pulsos; idque

benevolentiæ involutum, duos simul populos fefellit: Romanum, ut insontes notaret: Volscum, ut deceptus irasceretur.

NOTÆ.

Indignando, obtinuit ut Romanis bellum indiceretur.

CAP. IV.

DE STRATAGEMATIS.

ILla vero pars calliditatis egregia, & ab omni reprehensione procul remota; cujus opera, quia appellatione nostra vix apte exprimi possunt, Græca pronuntiatione *Stratagemata* dicuntur.

1. Omnibus militaribus copiis Tullo Hostilio [1] Fidenas aggresso; An.M. 3387.
[a] quæ surgentis Imperii nostri incunabula crebris rebellationibus torpere passi non sunt, finitimisque trophæis ac triumphis alitam virtutem Ol. 28. 2. Vrb.C. 86.
ejus, spes suas ulterius promovere docuerunt; Metius Suffetius dux Ant.Ch. 696.
Albanorum, dubiam & suspectam semper societatis suæ fidem repente in ipsa acie detexit: Detecto enim Romani exercitus latere, [2] in proximo colle consedit, pro adjutore speculator pugnæ futurus; ut aut victis insultaret, aut victores fessos aggrederetur. Non erat dubium quin ea res militum nostrorum animos debilitatura esset; cum eodem tempore & hostes confligere, & auxilia deficere cernerent. Itaque ne id fieret, Tullus providit: concitato enim equo omnes pugnantium globos præcurrit, prædicans suo jussu secessisse Metium, eumque, cum ipse

INTERPRETATIO.

a *Quæ bellis sæpius illatis impedierunt, ne Imperii nostri nascentis primordia otio torperent; & docuerunt illius virtutem, quasi nutritam triumphis ex proximo locis partis, extendere spes suas ulterius.*

NOTÆ.

1. *Fidenas.*] Vrbem Latinorum Mediterraneam. Tum Fidenates junctis cum Vejentibus copiis, bellum in Romanos gerebant.

2. *In proximo colle.*] Ad confluentes Anienis & Tyberis castra Tullus posuerat; Romani Vejentibus, Fidenatibus Albani oppositi. Metius neque manere, neque transire ad hostes ausus, sensim ad montes succedit, ordinesque, ut tempus tereret, explicat.

ſignum dediſſet, invaſurum Fidenatium terga. Quo imperatoriæ artis conſilio metum fiducia mutavit; proque trepidatione, alacritate ſuorum [1] pectora replevit.

An. M. 3533. Ol. 64. 4. Vrb.C. 232. Ant.Ch.520.

2. At ne continuo à noſtris Regibus recedam, [2] Sex. Tarquinius Tarquinii filius indigne ferens, quod patris viribus expugnari [3] Gabii nequirent, valentiorem armis excogitavit rationem, qua interceptum id oppidum Romano Imperio adjiceret. Subito namque ſe ad Gabinos contulit, tanquam parentis ſævitiam & verbera, quæ voluntate ſua perpeſſus erat, fugiens: Ac paulatim uniuſcujuſque fictis & compoſitis blanditiis alliciendo benevolentiam, ut apud omnes plurimum poſſet, conſecutus, familiarem ſuum ad patrem miſit, indicaturum, quemadmodum in ſua manu haberet univerſa: & quæſiturum quidnam fieri vellet. Juvenili calliditati ſenilis aſtutia reſpondit. Siquidem re eximia delectatus Tarquinius, fidei autem nuntii parum credens, nihil reſpondit; ſed ſeducto eo in hortum, maxima & altiſſima papaverum capita baculo decuſſit. Cognito adoleſcens ſilentio patris, ſimul ac facto, cauſam altioris argumenti pervidit: nec ignoravit, præcipi ſibi, ut excellentiſſimum quemque Gabinorum aut exilio ſummoveret, aut morte conſumeret. [a] Ergo ſpoliatam bonis propugnatoribus civitatem tantum non vinctis manibus [4] ei tradidit.

An.M. 3665. Ol. 97. 4. Vrb.C.364. Ant.Ch. 388.

3. Illud quoque à majoribus & conſilio prudenter, & exitu feliciter proviſum, cum Urbe capta Galli Capitolium obſiderent, ſolamque potiendi ejus ſpem in fame obſeſſorum repoſitam animadverterent: Perquam callido enim genere conſilii, unico perſeverantiæ irritamento victores ſpoliaverunt. Panes enim jacere compluribus ex locis cœperunt. Quo ſpectaculo obſtupefactos, infinitamque frumenti abundantiam noſtris ſupereſſe credentes; ad pactionem omittendæ obſidionis compulerunt. [5] Miſertus eſt tunc profecto Jupiter Romanæ virtu-

INTERPRETATIO.

a *Ergo ſpoliatam defenſoribus urbem tam facile patri tradidit, quam ſi civium omnium manus vincta fuiſſent.*

NOTÆ.

1. *Pectora replevit.*] Relata victoria Metius flagris fœde laceratus, & bigis humi raptatus eſt, moxque diſcerptus; Alba diruta, civeſque Romam tranſlati.

2. *Sex. Tarquinius.*] Is ipſe, qui Lucretiæ ſtuprum obtulit.

3. *Gabii nequirent.*] Septem jam annis contra Gabinos (Volſcorum oppidum erat) bellum gerebatur, cum Sex. Tarquinius valida amicorum manu ſtipatus, ab iis recipitur; indeque in Romanum agrum identidem excurrens, multas prædas agere cœpit.

4. *Ei tradidit.*] Poſtquam civium fortiſſimos quoſque, alios alia de cauſa, vel exilio vel morte mulctavit, patrem ut veniat admonet, eumque intempeſta nocte in urbem admittit: omnibus vita, bonaque conceſſa, iiſque Sextus Princeps datus eſt.

5. *Miſertus eſt.*] Ideo Iovi Piſtori ara poſita eſt, quod in quiete eos monuiſſet,

tis, presidium ab astutia mutuantis; cum in summa alimentorum inopia, projici præsidia inopiæ cerneret. Igitur ut vafro, ita periculoso consilio salutarem exitum dedit.

4. Idemque Jupiter postea præstantissimorum ducum nostrorum sagacibus consiliis propitius aspiravit. Nam cum [1] alterum Italiæ latus Annibal laceraret, alterum invasisset Asdrubal; ne duorum fratrum junctæ copiæ intolerabili onere fessas simul res nostras urgerent, hinc Claudii Neronis vegetum consilium, illinc Livii Salinatoris inclyta providentia effecit. Nero enim [2] compresso à se in Lucanis Annibale, præsentiam suam (quoniam ita ratio belli desiderabat) [3] mentitus hosti; ad opem collegæ ferendam per longum iter mira celeritate tetendit. Salinator in Umbria apud [4] Metaurum flumen proximo die dimicaturus, summa cum dissimulatione Neronem castris noctu recepit: Tribunos enim à Tribunis, Centuriones à Centurionibus, equites ab equitibus, pedites à peditibus excipi jussit, ac sine ulla tumultuatione, solo vix unum exercitum capiente, alterum inseruit. Quo evenit, ne Asdrubal [5] cum duobus se Consulibus præliaturum prius sciret, quam ab utrisque prosterneretur. Ita illa toto terrarum orbe infamis Punica calliditas frustrata fuit: Romana prudentia [6] Annibalem Neroni, Asdrubalem Salinatori decipiendum tradidit.

An.M. 3847. Ol.145. 2. Vrb.C. 546. Ant.Ch.106.

5. Memorabilis etiam consilii [7] Q. Metellus. Qui cum pro Consule bellum in Hispania adversus Celtiberos gereret, urbemque Contrebiam caput ejus gentis viribus expugnare non posset; intra pectus suum diu multumque consiliis agitatis, viam reperit, qua propositum ad exitum perduceret. Itinera magno impetu ingrediebatur, deinde alias atque alias regiones petebat. Modo hos obsidebat montes, paulo post ad illos transgrediebatur. Cum interim tam suis omnibus, quam ipsius hostibus ignota erat causa inopinatæ ejus ac subitæ fluctuationis. In-

An.M. 3912. Ol. 159. 3. Vrb.C. 611. Ant.C. 141.

NOTÆ.

ut ex omni frumento panem conficerent, & in castra projicerent hostium, ut tradit Lactantius: unde etiam Ovid. l. 7.

Posse fame vinci spes excidit; hoste repulso
Candida Pistori ponitur ara Iovi.

1. *Alterum Italiæ latus.*] Apuliam, Lucaniam, Samnium vastabat Annibal; Galliam Cispadanam & Vmbriam Asdrubal.

2. *Compresso à se.*] Primum levibus Annibalem præliis fuderat; deinde justo prælio vicit, occisis hostium octo millibus, captis 700.

3. *Mentitus hosti.*] Sex peditum millia, equitesque mille secum duxit: jussitque legatis, ut eædem in castris stationes, eædem vigiliæ agerentur.

4. *Metaurum.*] Vmbriæ fluvium, qui in sinum Adriaticum profluit. *Metaro.*

5. *Cum duobus Consulibus.*] Novarum tamen copiarum indicia notavit Asdrubal: quare incertus quid factum esset Annibale, pugnam detrectabat. De Asdrubalis clade diximus alias.

6. *Annibalem Neroni.*] Neronis è castris discessum, fratrisque mortem non prius audiit Annibal, quam in castra rediit Nero: tum enim Asdrubalis caput ante stationes Pœnorum projectum est; & à captivis, quos Nero dimiserat, admonitus, rerum Carthaginiensium vicissitudinem agnoscere se dixit.

7. *Q. Metellus.*] Macedonicus, ex

terrogatus quoque à quodam amicissimo sibi, quid ita sparsum & incertum militiæ genus sequeretur: Absiste, inquit, ista quærere: nam si hujus consilii mei interiorem tunicam consciam sensero, continuo eam cremari jubebo. Quorsum igitur ista dissimulatio erupit, aut quem finem habuit? Postquam vero & exercitum suum ignorantia, & totam Celtiberiam errore implicavit; cum alio cursum direxisset, subito ad Contrebiam reflexit, eamque inopinatam & attonitam oppressit. Ergo nisi mentem suam dolos scrutari coëgisset, ad ultimam ei senectutem apud mœnia Contrebiæ armato sedendum foret.

NOTÆ.

Floro & Aurelio Victore; non Metellus Pius, ut indicare videtur Frontinus: nec enim in Celtiberos ille, sed in Lusitanos & Sertorium bellum gessit.

EXTERNA.

1. [1] Agathocles autem Syracusanorum Rex audaciter callidus. Cum
An.M. 3756. Ol. 120. 3. Vrb.C. 456. Ant.Ch. 296. enim [2] urbem ejus majore ex parte Carthaginienses occupassent, exercitum suum in Africam trajecit: ut metum metu, vim vi discuteret; neque sine effectu: Nam repentino ejus adventu [3] perculsi Pœni, libenter incolumitatem suam salute hostium redemerunt: pactique sunt, ut eodem tempore & Africa Siculis, & [4] Sicilia Punicis armis liberaretur. Age si Syracusarum mœnia tueri perseverasset, [a] illa belli malis urgerentur, bona pacis fruenda securæ Carthagini reliquisset. Nunc inferendo quæ patiebatur, dum alienas potius lacessit opes, quam suas tuetur; quo æquiore animo regnum deseruit, eo tutius recepit.

An.M. 3838. Ol. 141. 1. Vrb.C. 537. Ant.Ch. 215. 2. Quid Annibali Cannensi prælio? nonne prius quam ad dimicandum descenderet, aciem populi Romani compluribus astutiæ implicatam laqueis ad tam miserabilem perduxit exitum? Ante omnia enim providit, ut & solem [5] & pulverem, qui ibi vento multus excitari solet, ad-

INTERPRETATIO.

a *Illa* mœnia *belli incommodis premerentur.*

NOTÆ.

1. *Agathocles.*] Carcino Figulo prognatus, qui collectis omnibus per Italiam profugis Syracusas ingressus, nobilissimos quosque occidit, diripuit urbem, sibique Principatum vindicavit.

2. *Vrbem ejus.*] Ab Amilcare Gisconis filio duobus præliis victus Syracusis obsidebatur.

3. *Perculsi Pœni.*] Agros vastavit Agathocles; multas cepit urbes, duasque de Pœnis victorias retulit; alteram de Hannone, de Bomilcare alteram.

4. *Sicilia Punicis armis, &c.*] Post multas & illatas & acceptas clades, deserto exercitu in Siciliam refugit, ibique pace cum Pœnis composita, tota fere Sicila potitus est. Narrant hæc pluribus Diodorus & Iustinus.

5. *Et pulverem.*] *Cum comperisset Vulturnum ingentes auras mane proflare, quæ arenarum, pulverisque ingentes vortices agerent, sic direxit aciem, ut tota vis à*

versum

versum haberet. Deinde partem copiarum suarum, inter ipsum prælii tempus de industria fugere jussit: quam cum à reliquo exercitu abruptam legio Romana sequeretur, trucidandam eam ab iis, quos in insidiis collocaverat, curavit. Postremo quadringentos equites subornavit, qui simulata transitione petierunt Consulem, à quo jussi more transfugarum depositis armis in ultimam pugnæ partem secedere; districtis gladiis, quos inter tunicas & loricas abdiderant, poplites pugnantium Romanorum ceciderunt. Hæc fuit Punica fortitudo, dolis & insidiis & fallacia instructa. Quæ nunc certissima circumventæ virtutis nostræ excusatio est: quoniam decepti magis, quam victi fuimus.

NOTÆ.

tergo suis, Romanis in oculos incideret. Ita Frontinus l.II. c.2.

CAP. V.

DE REPULSIS.

1. *Q. Ælii Tuberonis.*
2. *P. Scipionis Nasicæ.*
3. *L. Æmilii Pauli.*
4. *Q. Metelli Macedonici.*
5. *L. Cornelii Syllæ.*
6. *M. Catonis Uticensis.*

[a] CAmpi quoque repræsentata conditio, ambitiosam ingredientes viam, ad fortius sustinendos parum prosperos comitiorum eventus utiliter instruxerit. Ut propositis ante oculos clarissimorum virorum repulsis, non minore cum spe honores, ac prudentiore cum animi judicio petant: Meminerintque, nefas non esse, aliquid ab omnibus uni negari: cum sæpenumero singuli cunctorum voluntatibus resistere fas esse duxerint. Scientes etiam, patientia quæri debere, quod gratia impetrari nequierit.

1. [1] Q. Ælius Tubero, à Q. Fabio Maximo, epulum populo nomine P. Africani patrui sui dante, rogatus ut triclinium sterneret: [2] lectulos Punicanos pellibus hœdinis stravit: & pro argenteis vasis Samia expo- An. M. 3915. Ol. 161. 4. Vrb.C. 624. Ant.Ch.128.

INTERPRETATIO.

a Varius quoque eventus, qui in campo Martio contingit, oculis subjectus potest utiliter instruere eos, qui ambitiose honores appetunt ad fortius ferendos comitiorum exitus ipsis infelices.

NOTÆ.

1. *Q. Ælius Tubero à Q. Fabio Maximo.*] Africani minoris ille ex sorore, hic ex fratre nepos fuit. Fabius Allobrogicus vulgo dictus.

2. *Lectulos Punicanos.*] Ligneos, ex Seneca ep. 96. parvos & humiles, ex Isidoro l. 20.

fuit. Cujus rei deformitate sic omnes offendit, ut cum alioqui vir egregius haberetur, comitiisque Prætoriis candidatus in campum L. Paulo avo & P. Africano avunculo nixus descendisset, [1] repulsa inde notatus abierit. Nam ut privatim semper continentiam probabant, ita publice maxima cura splendoris habita est: [a] Quocirca non unius convivii numerum, sed totam se in illis pelliculis jacuisse credens civitas, ruborem epuli suffragiis suis vindicavit.

2. P. autem Scipio Nasica, togatæ potentiæ clarissimum lumen; [2] is qui Consul Jugurthæ bellum indixit, qui matrem Idæam Phrygicis sedibus ad nostras aras focosque migrantem sanctissimis manibus excepit: qui multas & pestiferas seditiones auctoritatis suæ robore oppressit: quo principe Senatus per aliquot annos gloriatus est: cum Æ-
An.M. 3908. Ol. 158. 3. Vrb.C. 607. Ant. Ch 145. dilitatem Curulem adolescens peteret, manumque cujusdam rustico opere duratam more candidatorum tenacius apprehendisset, joci gratia interrogavit eum, num manibus solitus esset ambulare. Quod dictum à circumstantibus exceptum, ad populum manavit, causamque repulsæ Scipioni attulit. Omnes namque [3] rusticæ tribus paupertatem sibi ab eo exprobratam judicantes, iram suam adversus contumeliosam ejus

INTERPRETATIO.

a *Quocirca cives arbitrati non solum paucos invitatos ad hoc convivium, sed se omnes in illis pellibus hœdinis sedisse, sordidi hujus epuli* auctorem *suffragiis suis* ipsi negatis *punierunt.*

NOTÆ.

1. *Repulsa notatus.*] Hac tamen repulsa non deterritus Præturam iterum petiit, & obtinuit.

2. *Is qui Consul Iugurthæ.*] Cum his & sequentibus verbis multa subesse vitia certum sit, librariorum, Valerii-ne ipsius aut negligentia, aut inscitia depravatus sit hic locus affirmare non ausim: errorem certe objecit hominibus nominum similitudo; cum quæ à quatuor Scipionibus gesta sunt, uni errore turpissimo tribuantur. Ad corrigendum hunc locum cum nihil opis afferant codices antiqui, ex historiæ veritate optime, ut solet, ita emendavit Pighius. *P. autem Scipio Nasica, togatæ potentiæ clarissimum lumen, pater ejus qui Consul Iugurthæ bellum indixit; ejusque nepos, qui matrem Idæam Phrygiis sedibus ad nostras aras focosque migrantem sanctissimis manibus excepit; is ipse qui multas & pestiferas seditiones auctoritatis suæ robore oppressit; cujus patre principe Senatus per aliquot annos gloriatus est: cum Ædilitatem Curulem, &c.* Quod ut paulo planius fiat, de his Scipionibus pauca libet addere. De quatuor Scipionibus hic agitur, quibus omnibus idem Nasicæ cognomen fuit; tres tamen agnomine inter se distincti: quartus non item. Vnus enim * *Vir optimus* vulgo nuncupatus; alter *Corculum*; tertius *Serapio*. *Vir optimus* matrem Idæam excepit; *Corculum* fuit princeps Senatus; *Serapio* occidit Ti. Gracchum: quartus Iugurthæ bellum indixit. *Viri optimi* filius *Corculum* fuit, *Serapio* nepos; is qui Iugurthæ bellum indixit, abnepos. De Serapione hic potissimum agitur, qui ob joculare verbum repulsam passus est. Ad hujus loci intelligentiam hoc dixisse satis erit.

* Consul *Vir optimus* anno Vrbis 563. *Corculum* 592. *Serapio* 616. & quartus 642.

3. *Rusticæ tribus.*] Erant enim tribus urbanæ, quæ civium; & suburbanæ, quæ libertinorum; & rusticæ, quæ ingenuorum.

urbanitatem distrinxerunt. Igitur civitas nostra nobilium juvenum ingenia ab insolentia revocando, magnos & utiles cives fecit; honoribusque, non patiendo eos à securis peti, debitum auctoritatis pondus adjecit.

3. Nullus error talis in L. Æmilio Paulo conspectus est: sed tamen [1] aliquoties frustra Consulatum petiit. Idemque, cum jam campum repulsis suis fatigasset, [2] bis Consul & Censor factus, amplissimum dignitatis gradum obtinuit. Cujus virtutem injuriæ non fregerunt, sed acuerunt. Quoniam quidem ipsa nota accensus, cupiditatem summi honoris ardentiorem ad comitia detulit; ut populum, quia nobilitatis splendore & animi bonis movere non poterat, pertinacia vinceret. An.M.3874. Ol.150. 1. Vrb.C. 573. Ant.Ch.179.

4. Q. autem Cæcilium [3] Metellum pauci & mœsti amici [a] Consulatus repulsa afflatum, tristitia ac rubore plenum, domum reduxerunt: quem de [4] Pseudo-Philippo triumphantem universus Senatus lætum & alacrem in Capitolium prosecutus erat. An.M 3909. Ol. 158. 4. Vrb.C. 608. Ant.Ch.144.

[5] Achaici etiam belli, cui summam manum L. Mummius adjecit, maxima pars ab hoc viro profligata fuerat. Eine ergo populus Consulatum negare potuit, cui mox [6] duas clarissimas Provincias aut debebat, aut erat debiturus? Et quidem hoc facto, meliore eo cive usus est. Intellexit enim, quam industrie sibi gerendus esset Consulatus, quem tanto labore impetrari senserat.

5. Quid tam excellens, quid tam opulentum, quam L. Sylla? Divitias & imperia largitus est: leges vetustas abrogavit, novas tulit: An.M. 3960 Ol. 171. 3. Vrb.C. 659. Ant.Ch.93.

INTERPRETATIO.

a *Propter repulsam Consulatus afflictum.*

NOTÆ.

1. *Aliquoties frustra.*] Aliter Plutarcho, aliter Auctori de viris illustribus placet: ille post primum Consulatum, hic ante, ter repulsam passum affirmat: utri assentiri malis, ipse videris.

2. *Bis Consul.*] In primo Consulatu Ligures, in secundo Persen vicit.

3. *Metellum.*] Macedonicum, de quo paulo ante.

4. *Pseudo-Philippo.*] *Andrisco*, qui se Philippi Regis ex pellice filium mentiebatur.

5. *Achaici etiam belli.*] Quod ortum est ob Romanos legatos Corinthi violatos; à Metello Prætore cœptum, à quo Achæi eorumque socii Bæotii & Chalcidenses, duobus præliis superati, semel ad Thermopylas; iterum ad Chæronæam: altero prælio dux erat Critolaus, altero Diæus; deinde omnis Achaia à L. Mummio Consule, victo rursus Diæo, in deditionem accepta, Corinthus ipsa caput gentis incensa est. Ex quo tempore sublato Græciæ concilio, & Prætor juris dicundi gratia missus est, & Græcia omnis Achaiæ nomen accepit.

6. *Duas clarissimas provincias.*] Macedoniam & Hispaniam citeriorem, quarum alteram capto Andrisco Prætor jam subegerat; alteram victis sæpe Celtiberis Proconsul aliquanto post in potestatem redegit: unde de illo Florus: *Metellus ille, cui ex Macedonia cognomen, meruerat & Celtibericus fieri.*

Hic quoque in eo campo, cujus postea dominus extitit, [1] repulsa Præturæ sugillatus est: [a] omnia loca petiti honoris, si quis modo Deorum formam & imaginem futuræ ejus potentiæ populo Romano repræsentasset, impetraturus.

An. M. 3998. Ol. 181. 1. Vrb. C. 697. Ant. Ch. 55.

6. Sed ut comitiorum maximum crimen referam, M. Portius Cato, plus moribus suis Præturæ decoris adjecturus, quam prætexta ejus splendoris ipse laturus: consequi illam [2] à populo aliquando non potuit. Proxima dementię suffragia, quæ satis quidem graves pœnas erroris sui pependerunt! quoniam quem honorem Catoni negaverant, Vatinio dare coacti sunt. Ergo si vere æstimare volumus, non Catoni tunc Prætura; sed Præturæ Cato negatus.

INTERPRETATIO.

a *Qui obtinuisset omnes Magistratus quos petebat, si quis deorum ostendisset populo Romano imaginem quandam potentiæ illius futuræ.*

NOTÆ.

1. *Repulsa Prætura.*] Iam sub Mario, & in bello Iugurthino Quæstor, & in Cimbrico Legatus fuerat, cum repulsam passus est; rationem ipse attulit in commentariis apud Plutarchum, quod Præturam peteret omissa Ædilitate à populo vehementer expetita, ob spem muneris magnificentissimi, & belluarum Africanarum, cum & ipse per sese Sylla esset magnificus, & Boccho Mauritaniæ Regi gratissimus.

2. *A populo non potuit.*] Vbi vidit Pompeium & Crassum juncta cum Cæsare societate petere Consulatum: illis primum, quantum maxime potuit, obstitit; deinde, ut frustra se esse videt, ipse petit Prętura: jamque suffragiis superior erat, cum Pompeius tonitru se audisse mentitur: sicque concione dimissa die sequenti bonis quibusque vi à comitio depulsis per homines pecunia corruptos Vatinium eligi curavit. Hæc fere Plut.

CAP. VI.

DE NECESSITATE.

1. *Populi Romani post cladem Cannensem.*
2. *Casilinatum in obsidione.*
3. *Prænestinorum militum in eadem obsidione.*
4. *Populi Romani in bello Mariano.*
5. *C. Cæsaris ad Mundam.*
6. *Populi Asiatici bello Parthico.*

EXTERNORUM

1. *Cretensium à Q. Metello obsessorum.*
2. *Numantinorum à P. Scipione.*
3. *Calagurritanorum à Cn. Pompeio.*

ABominandæ quoque necessitatis amarissimæ leges, & truculentissima imperia, tum Urbem nostram, tum etiam exteras gentes, multa, non intellectu tantum, sed etiam gravia, perpeti coegerunt.

1. Nam aliquot adversis præliis secundo Punico bello exhausta militari juventute Romana, Senatus auctore [1] Ti. Graccho Consule designato censuit; uti publice servi adversus propulsandorum hostium impetum emerentur: Eaque de re per Tribunos plebis ad populum lata rogatione, tres creati sunt viri, qui [2] quatuor & viginti millia servorum comparaverunt: adactosque jurejurando, strenuam se, fortemque operam daturos, quoad Pœni essent in Italia, datis armis in castra miserunt. Et Apulia quoque & [3] Fidiculis septuaginta atque ducenti ad supplementum equitatus sunt empti: Quanta violentia est casus acerbi! Quę civitas ad id tempus ingenuæ quoque originis capite censos habere milites fastidierat: eadem [4] cellis servilibus extracta corpora, & à pastoralibus casis collecta mancipia, velut præcipuum firmamentum, exercitui suo adjecit. Cedit ergo interdum generosus spiritus utilitati, & fortunæ viribus succumbit; [a] ubi nisi tutiora elegerit consilia, speciosa sequenti concidendum est. Cannensis autem clades adeo urbem nostram vehementer confudit, ut [5] M. Junii opera, Dictatura Remp. administrantis, spolia hostium affixa templis, Deorum numini consecrata, instrumenta militiæ futura convellerentur, ac prætextati pueri arma induerent: [6] addictorum etiam & capitali crimine damnatorum sex millia conscriberentur. Quæ si per se aspiciantur, aliquid ruboris habent: si autem admotis necessitatis viribus ponderentur, sævitiæ temporis convenientia præsidia videbuntur. Propter eandem cladem Senatus [7] Otacilio, qui Siciliam, & Cornelio Mammulæ, qui Sardiniam pro Prætoribus obtinebant; querentibus quod neque stipendium, neque frumentum classibus eorum & exercitibus [8] socii præberent: affirmantibus etiam, ne habere quidem

An.M. 3839.
Ol. 141. 2.
Vrb C. 538.
Ant. Ch. 214.

INTERPRETATIO.

a Vbi nisi sequaris tutiora consilia; necesse est ut pereas, si eligas honesta.

NOTÆ.

1. *Ti. Graccho.*] Longo, qui bis copias Annibalis fudit; ipseque postea proditione oppressus est, ut diximus l. 1. c. 6. n. 8.

2. *Quatuor & viginti millia.*] Octo tantum millia habet Livius, cui Macrobius assentitur: quatuor millia legit Lipsius.

3. *Fidiculis.*] Melius, opinor, legeris cum Cluverio *Pediculis*, qui populi Italiæ, Apulis & Salentinis contermini. De capite censis vide l. 2. c. 3. n. 1.

4. *Cellis servilibus.*] Quibus servi à dominis includebantur.

5. *M. Iunii.*] Peræ ex plebeia Iuniorum gente, qui Consul anno 523.

6. *Addictorum.*] Addicti dicebantur, qui propter debita in temporariam servitutem creditoribus sententia Prætoris addicebantur: unde Plautus in Pœnulo.

Vbi in jus veneris,
Addicet Prætor familiam totam tibi.

Per prætextatos intelligit nobiles adolescentes, qui necdum decimum septimum ætatis annum attigissent.

7. *Otacilio.*] T. Otacilio Crasso, qui Siciliam diu magna prudentia administravit; Consulatus tamen repulsam passus est.

8. *Socii præberent.*] Aliter Livius. Scribebat Otacilius L. Furium Prætorem cum classe ex Africa Lilybæum venisse; ipsum graviter saucium; militibus & navalibus, neque stipendium, neque frumentum ad diem dari, neque unde detur, esse. Ea-

eos, unde id præstare possent; rescripsit, ærarium longinquis expensis non sufficere: Proinde, quo pacto tantæ inopiæ succurrendum esset, ipsi viderent. His literis quid aliud quam imperii sui gubernacula è manibus abjecit? Siciliamque & Sardiniam, benignissimas [1] urbis nostræ nutrices, gradus & stabilimenta bellorum, tam multo sudore & sanguine in jus ac potestatem redactas, paucis verbis, ita scilicet necessitate jubente, dimisit.

An.M. 3838. Ol. 141. 1. Vrb. C. 537. Ant.Ch. 215.

2. Eadem [2] Casilinates obsidione Annibalis clausos, alimentorumque facultate defectos, [3] lora necessariis vinculorum usibus subducta, éque scutis detractas pelles ferventi resolutas aqua, mandere voluisti. Quid illis, si acerbitatem casus intueare, miserius? si constantiam respicias, fidelius? qui ne à Romanis descíscerent, tali cibi genere uti sustinuerunt; cum pinguissima arva sua, fertilissimosque campos mœnibus suis subjectos intuerentur. [a] Itaque [4] Campanæ urbis, quæ Punicam feritatem deliciis suis cupide fovit, in propinquo situm Casilinum, modo rara virtute clarum, [5] perseverantis amicitiæ pignore impios oculos verberavit.

3. In illa obsidione & fide, cum [6] trecenti Prænestini permanerent, evenit ut ex his quidam murem captum [7] ducentis potius denariis vendere, quam ipse leniendæ famis gratia consumere mallet. Sed credo, Deorum providentia & venditori & emptori, quem uterque merebatur exitum attribuit. Avaro enim fame consumpto, [b] manubiis sordium sua-

INTERPRETATIO.

a Itaque Casilinum raræ virtutis exemplo illustre, fidelis amicitiæ perseverantia levitatem exprobravit Capuæ vicinæ urbi Campaniæ, quæ deliciis suis Pœnos feroces fovit.

b Fructu avaritiæ suæ uti non licuit.

NOTÆ.

demque ferme à Mammula de stipendiis & frumento scripta: quæ cum Senatus negasset, Otacilio Hiero, Mammulæ sociæ civitates benigne contulerunt.

1. *Vrbis nostræ nutrices.*] Sicilia, ut frugum admodum ferax, multum laudatur, cum à Cicerone in Verrinis sæpius, tum à Catone, Strabone, & aliis. Laudatur etiam hoc nomine Sardinia à Strabone & Horatio, licet ex parte aspera sit.

2. *Casilinates.*] Casilinum non procul à Capua, *Castellazzo*. Illuc 540. Prænestini fugerant; & cohors Perusina, à quibus Maherbal fusus est: ipsi paulo post ab Annibale tota hieme obsessi.

3. *Lora necessariis.*] A Sempronio primum dolia vino, frumentoque plena per Vulturnum missa sunt; deinde nuces in amnem projectæ, ut aquæ cursu in urbem deferrentur, sed ab hostibus cratibus exceptæ sunt.

4. *Campanæ urbis.*] Capuæ, cujus deliciis fracta Annibalis virtus est.

5. *Perseverantis amicitiæ.*] Cum ad muros rapas seminassent, Annibal dixisse fertur: *Eóne, usque dum ea nascantur, ad Cassilinum sessurus sum*: eorumque permotus constantia, de liberorum capitum redemptione agi passus est, & data fide urbe potitus.

6. *Trecenti Prænestini.*] 540. Strabo; 570. Livius numerat.

7. *Ducentis denariis.*] Ita etiam Frontinus: Strabo ducentis drachmis; Plinius ducentis nummis emptum murem memorat.

tum frui non licuit: æqui animi vir, ad salutarem impensam faciendam; care quidem, verum necessarie, comparato cibo vixit.

4. C. autem Mario & Cn. Carbone Consulibus, bello civili cum L. Sylla dissidentibus; quo tempore non Reip. victoria quærebatur, sed premium victoriæ res erat publica; Senatus consulto aurea atque argentea templorum ornamenta, ne militibus stipendia deessent, conflata sunt. Digna enim erat causa, hic, an illi crudelitatem suam proscriptione civium satiarent, ut Dii immortales spoliarentur. Non ergo Patrum Conscriptorum voluntas: [a] sed tua, teterrima necessitas, truculenta manus illi consulto stylum impressit.

An.M. 3968. Ol. 173. 3. Vrb.C. 667. Ant.Ch. 85.

5. Divi Julii exercitus, idem [1] invicti ducis invicta dextera, cum armis [2] Mundam [3] clausisset, aggerique extruendo materia deficeret, congerie hostilium cadaverum quam desideraverat, altitudinem instruxit. Eamque tragulis & pilis, quia roboreæ sudes deerant, magistra novæ molitionis necessitate usus, vallavit.

An.M. 4009. Ol. 183. 4. Vrb.C. 708. Ant.Ch. 44.

6. Atque ut divinam filii mentionem cœlestis patris recordationi subnectam: cum effusurus se in nostras Provincias Parthorum Rex [4] Phraates videretur, vicinæque imperio ejus regiones subita indicti tumultus denuntiatione quaterentur: tanta in [5] Bosphorano tractu commeatus penuria incessit ut à militibus, singulis olei frumentique modiis, totidem mancipia permutarentur. Sed amarissimam tempestatem Augusti cura, tutelæ tunc terrarum vacans, dispulit.

INTERPRETATIO.

a *Sed tua violenta manus illud decretum in tabella scripsit.*

NOTÆ.

1. *Invicti ducis.*] Nunquam majus periculum adiit Cæsar: illius enim veterani milites post quatuordecim victorias, tum primum retro gradum tulerunt; quod simul ut animadvertit Cæsar, continuo remoto equo, rejectaque galea, in primam progressus aciem, illos hortatur, ne se pueris proderent. Ita Florus. Post prælium amicis ingenue confessus est, sæpe se pro victoria; in præsentia vero pro vita primum dimicasse.

2. *Mundam.*] Oppidum Hispaniæ Bæticæ, hac pugna nobilitatum. *Munda.*

3. *Clausisset.*] A Fabio Legato Mundam obsideri jussit, à quo maxima civium cæde expugnata est.

4. *Phraates.*] Orodis filius; qui, quo & citius & tutius regnaret, patrem, fratresque multos seu veneno, seu ferro sustulit.

5. *Bosphorano tractu.*] Geminus est; Thracius, qui angustia maris efficitur inter Byzantium & Chalcedonem, *détroit de Constantinople*: Cimmerius, angustia maris inter Chersonesum Tauricam in Europa, & Sarmatiam in Asia, *détroit de Caffa*: à quo Bosphorani dicuntur.

EXTERNA.

An.M. 3988. Ol. 178. 3. Vrb.C. 687. Ant.Ch. 65.

1. Cretensibus nihil tale præsidii affulsit : qui [1] obsidione Metelli ad ultimam usque penuriam compulsi, sua, jumentorumque suorum urina sitim torserunt, justius dixerim, quam sustentarunt : Quia dum vinci timent, id passi sunt, quod eos ne victor quidem pati coëgisset.

An.M. 3921. Ol. 161. 4. Vrb. C. 620. Ant.Ch. 132.

2. Numantini autem à Scipione vallo & aggere circumdati, cum omnia, quæ famem eorum trahere poterant, consumpsissent; ad ultimum humanorum corporum dapibus usi sunt. Quapropter capta jam urbe, complures inventi sunt, artus & membra trucidatorum corporum sinu suo gestantes. Nulla est in his necessitatis excusatio : nam quibus mori licuit, sic vivere necesse non fuit.

An.M. 3982. Ol. 177. 1. Vrb.C. 681. Ant.Ch. 71.

3. Horum trucem pertinaciam in consimili facinore [2] Calagurritanorum execrabilis impietas supergressa est : Qui quo perseverantius interempti Sertorii cineribus, obsidionem Cn. Pompeii frustrantes, fidem præstarent : quia nullum jam aliud in urbe eorum supererat animal, uxores suas, natosque ad usum nefariæ dapis verterunt. Quoque diutius armata juventus viscera sua visceribus suis aleret, infelices cadaverum reliquias salire non dubitavit. Eámne unquam aliquis in acie hortaretur, ut pro salute conjugum & liberorum fortiter dimicaret? [a] Ex hoc nimirum hoste, tanto duci pœna magis quàm victoria petenda fuit; quia plus vindicatus libertatis, quam victus gloriæ afferre potuit : cum omne serpentum ac ferarum genus comparatione sui, titulo feritatis superarit: Nam quæ illis dulcia vitæ pignora proprio spiritu chariora sunt, ea Calagurritanis prandia, atque cœnæ extiterunt.

INTERPRETATIO.

a *Tantus dux Cn. Pompeius debuit potius ex hoste tam barbaro pœnam sumere, quam quærere victoriam; quia talis hostis merita pœna affectus plus libertatis, quam victus gloriæ afferre potuit; quia immanitate superavit omne genus ferarum & serpentum, si cum ipso comparentur.*

NOTÆ.

1. *Obsidione Metelli.*] Bellum his indictum est dominandi cupiditate potius, quam ulla justa de causa; favisse tamen Mithridati videbantur. Ita Florus. Metellus Cretici cognomen adeptus est. De Numantinorum clade lege lib. 2. cap. 7. num. 1.

2. *Calaguritanorum.*] Hispaniæ populos fuisse liquet; ubi habitarint, obscurum est.

CAP. VII.

CAP. VII.

DE TESTAMENTIS RESCISSIS.

[a] VAcemus nunc negotio, quod actorum hominis & præcipuæ curæ, & ultimi est temporis: consideremusque quæ testamenta aut rescissa sunt legitime facta; aut cum merito rescindi possent, rata manserunt: quæve ad alios quam qui exspectabant, honorem hæreditatis transtulerunt.

1. Atque ista, ut ordine, quo proposui, exequar: militantis cujusdam pater, cum de morte filii falsum è castris nuntium accepisset, aliis hæredibus scriptis decessit. Peractis deinde stipendiis, adolescens reversus, domum errore patris impudentiaque amicorum sibi clausam reperit. Quid enim illis inverecundius? florem juventæ pro Republica absumpserat, maximos labores & plurima pericula toleraverat, adverso corpore exceptas ostendebat cicatrices: [b] & postulabat, ne avitos ejus lares otiosa urbi onera possiderent. Itaque depositis armis, coactus est in foro togatam ingredi militiam. Acerbe. Cum improbissimis enim hæredibus de paternis bonis [1] apud centumviros contendit: omnibusque, non solum consiliis, sed etiam sententiis superior discessit.

2. Item M. Anneius M. Carseolani splendidissimi Equitis Romani filius, à Sufenate avunculo suo adoptatus, testamentum naturalis patris, quo præteritus erat, apud centumviros rescidit, cum in eo Tul- An.M. 3998.
lianus Pompeii Magni familiaris, ipso quidem [2] Pompeio signatore, Ol. 181. 1. Vrb. C. 697.
hæres scriptus esset. Itaque plus illi in judicio cum excellentissimi viri Ant.Ch.55.

INTERPRETATIO.

a *Nunc rem persequamur, quam homines & maxima cura, & extremo vitæ tempore faciunt.*

b *Et petebat, ne illi otiosi hæredes scripti à patre, qui civitati erant oneri, possiderent domum ejus ab avis acceptam.*

NOTÆ.

1. *Apud centumviros.*] Iudices erant ex 35. tribubus terni delecti; quorum numerus, teste Plinio juniore, ad 180. crevit: horum erat de tutelis, agnationibus, gentilitate, testamentis, & aliis id genus cognoscere.

2. *Pompeio signatore.*] Testamenta fieri coram septem testibus moris erat, quorum quisque suum testamento signum imprimeret.

gratia, quam cum parentis cineribus negotii fuit: Cæterum quamvis utraque hæc adversus eum nitebantur, tamen paterna bona obtinuit. Nam L. quidem Sextilius & P. Popilius, quos M. Anneius sanguine sibi conjunctos eadem ex parte, qua Tullianum, hæredes fecerat, sacramento cum adolescentulo contendere ausi non sunt: tametsi præcipuis eo tempore Magni viribus ad defendendas tabulas testamenti invitari poterant. Et aliquantulum adjuvabat hæredes, quod M. Anneius in Sufenatis familiam ac sacra transierat: sed arctissimum inter homines procreationis vinculum, patris simul voluntatem, & principis viri auctoritatem superavit.

An.M. 4032. Ol. 189. 3. Vrb. C. 731. Ant.Ch. 21.

3. C. autem Tettium infantem à patre exhæredatum, Petronia matre, quam Tettius quoad vixit, in matrimonio habuerat, natum, Divus Augustus in bona paterna ire decreto suo jussit patris patriæ animo usus: Quoniam Tettius in proprio jure procreato filio summa cum iniquitate paternum nomen abrogaverat.

An.M. 4044. Ol. 192. 3. Vrb C. 743. Ant.Ch. 9.

4. Septicia quoque mater Trachalorum Ariminensium filiis irata, in contumeliam eorum, cum jam parere non posset, Publicio seni admodum nupsit, testamento etiam utrumque præteriit. A quibus aditus Divus Augustus, & nuptias mulieris, & suprema judicia improbavit. Nam hæreditatem maternam filios habere jussit; dotem, quia non creandorum liberorum causa conjugium intercesserat, virum retinere vetuit. Si ipsa æquitas hac de re cognosceret, posset-ne justius aut gravius pronuntiare? Spernis quos genuisti: nubis effœta, testamenti ordinem violento animo confundis: neque erubescis ei totum patrimonium addicere, cujus [1] pollincto jam corpori marcidam senectutem tuam substravisti. [a] Ergo dum sic te geris, ad inferos usque cœlesti fulmine afflata es.

An.M. 3843. Ol. 142. 2. Vrb. C. 542. Ant.Ch. 210.

5. Egregia est quoque C. Calpurnii [2] Pisonis Prætoris Urb. constitutio. Cum enim ad eum Terentius ex octo filiis, quos in adolescentiam perduxerat, ab uno in adoptionem dato [3] exhæredatum se querelam detulisset: bonorum adolescentis possessionem ei dedit, hæredesque

INTERPRETATIO.

a *Quandoquidem tam improbe te geris*, sententia Augusti, *quasi cœlesti fulmine, prostrata es.*

NOTÆ.

1. *Pollincto.*] Ita legit Pighius. *Pollincire* Plauto, aliisque veteribus est ungere cadavera; & *Pollinctores* sunt funerum curatores. Corpus *pollinctum* appellat senis corpus morti & rogo vicinum.

2. *Pisonis Prætoris urbis.*] Sunt, qui legant *Præfecti urbis*; & intelligant de Pisone illo, qui sub Tiberio urbis Præfectus fuit: at ille Lucius, hic Caius vocatur.

3. *Exhæredatum.*] Nam si filii decedant sine liberis, eorum bona ad parentes pervenire notum est; si parentes non habeant, ad fratres; idque etiam ab intestato.

lege agere passus non est. Movit profecto Pisonem patria majestas, donum vitæ, beneficium educationis: seu aliquid etiam flexit circumstantium liberorum numerus, quod cum patre septem fratres impie exhæredatos videbat.

6. Quid [1] Mamerci Æmilii Lepidi Consulis, quam grave decretum! Genucius quidam, [2] Matris Magnæ Gallus, à Cn. Oreste Prætore Urbis impetraverat, ut restitui se in bona Næviani juberet, quorum possessionem secundum tabulas testamenti ab ipso acceperat. Appellatus Mamercus à Surdino, cujus libertus Genucium hæredem fecerat, Prætoriam jurisdictionem abrogavit: quod diceret, Genucium amputatis sui ipsius sponte genitalibus corporis partibus, neque virorum, neque mulierum numero haberi debere. Conveniens Mamerco, conveniens principi Senatus decretum; quo provisum est, ne obscœna Genucii præsentia, inquinataque voce, tribunalia Magistratuum sub specie petiti juris polluerentur.

An.M. 3977. Ol. 175. 4. Vrb C. 676. Ant.Ch. 76.

7. Multo Q. Metellus Prætorem urbanum severiorem egit, quam Orestes gesserat: Qui Vecilio lenoni bonorum Juventii possessionem secundum tabulas testamenti non dedit; quia vir nobilissimus & gravissimus, fori ac lupanaris separandam conditionem existimavit: Nec aut factum illius comprobare voluit; qui fortunas suas in stabulum contaminatum projecerat: aut huic tanquam integro civi jura reddere, qui se ab omni honesto vitæ genere abruperat.

An.M. 3999. Ol. 181. 2. Vrb.C. 698. Ant.Ch. 54.

N O T Æ.

1. *Mamerci Æmilii Lepidi.*] Ego *Marci* libentius legerim: Æmiliorum enim Lepidorum qui Mamercus vocaretur, offendi neminem.

2. *Matris Magnæ.*] Cybeles, quæ magna mater, hoc est deorum omnium vulgo dicebatur; illiusque Sacerdotes *Galli.* Quis Orestes ille, quis Q. ille Metellus divinare non possum, nisi forte ille sit Aufidius Orestes; hic vero Q. Metellus Scipio, de quo sæpe antea.

Cap. VIII.

DE RATIS TESTAMENTIS.

ROMANORUM.

1. *Sempronii Tuditani.*
2. *Æbuciæ.*
3. *Q. Metelli.*
4. *Fratris Pompeii Rhegini.*
5. *Q. Cæcilii.*
6. *T. Marii.*
7. *L. Valerii Heptachordi.*
8. *T. Barruli.*
9. *M. Popillii.*

HIS rescissorum testamentorum exemplis contenti, attingamus ea quæ rata manserunt, cum causas haberent propter quas rescindi possent.

An.M.3964. Ol. 172. 3. Vrb.C. 663. Ant.Ch. 89.

1. Quam certæ, quam etiam [1] notæ insaniæ [2] Tuditanus; utpote qui populo nummos sparserit, togamque velut tragicam vestem in foro trahens, maximo cum hominum risu conspectus fuerit, ac multa his consentanea fecerit. Testamento [3] is filium instituit hæredem: quod Ti. Longus sanguine proximus, [4] hastæ judicio subvertere frustra conatus est. Magis enim centumviri, quid scriptum esset in tabulis, quam quis eas scripsisset, considerandum existimaverunt.

2. Vita Tuditani demens, Æbuciæ autem, quæ [5] L. Menenii Agrippæ uxor fuerat, tabulæ testamenti plenæ furoris. Nam cum haberet simillimæ probitatis filias, Plætoriam & Afraniam: animi sui potius inclinatione provecta, quam ullis alterius injuriis aut officiis commota, Plætoriam tantummodo hæredem instituit: Filiis autem Afraniæ ex suo admodum amplo patrimonio viginti millia nummûm legavit. Afrania tamen cum sorore sua [6] sacramento contendere noluit; testamentumque matris patienter honorare, quam judicio convellere satius esse duxit: Eo se ipsa indigniorem injuria ostendens, quo eam æquiore animo sustinebat.

An.M.4013. Ol.184. 4. Vrb.C.712. Ant.Ch. 40.

3. Minus mirandum errorem muliebrem [7] Q. Metellus fecit. Is namque plurimis & celeberrimis ejusdem nominis viris in urbe nostra vigentibus, Claudiorum etiam familia quam arctissimo sanguinis vinculo contingebat, florente; [8] Carinatem solum hæredem reliquit, nec hocce ejus testamentum quisquam attentavit.

4. Item [9] Pompeius Rheginus, vir transalpinæ regionis, cum testamento fratris preteritus esset; & ad coarguendam iniquitatem ejus, binas tabulas testamentorum suorum in comitio incisas, habita utriusque ordinis maxima frequentia, recitasset; in quibus magna ex parte hæres frater erat scriptus, prelegabaturque ei centies & quinquagies sestertium: multum ac diu inter assentientes indignationi suæ amicos questus, quod ad hastæ judicium attinuit, cineres fratris quie-

NOTÆ.

1. *Notæ insaniæ.*] Furioso enim & insano testari non licebat.

2. *Tuditanus.*] Ex gente Sempronia, qui avus fuit Fulviæ uxoris M. Antonii.

3. *Is filium.*] Si filium habuit Tuditanus, Ti. Longo nullum jus fuit ad hæreditatem: quare Lipsius legendum putat non *filium*, quem Tuditanus ille nullum genuit; sed *Ofilium*, quem ille testamento hæredem scripserat.

4. *Hastæ judicio.*] Iudicio centumvirorum, quorum unus hastam, insigne potestatis, manu tenebat.

5. *L. Menenii Agrippæ.*] Multi hoc nomine ex patricia Meneniorum gente.

6. *Sacramento contendere.*] Hoc est, jurare apud centumviros se injuste exhæredatum à matre.

7. *Q. Metellus.*] Celer, Prætor Cicerone Consule, & Consul biennio post, cujus uxor Clodia fuit, P. Clodii soror.

8. *Carinatem.*] Qui legatus C. Cæsaris Iberiæ præfuit.

9. *Pompeius Rheginus.*] Illius Varro & Plinius meminerunt.

tos esse passus est. Et erant ab eo instituti hæredes, neque sanguine patrio pares, neque proximi: sed alieni & humiles: [a] ut non solum flagitiosum silentium, sed etiam prælatio contumeliosa videri posset.

5. Æque felicis impunitatis, sed nescio an tetrioris hæc delicti testamenta. [1] Q. Cęcilius L. Luculli promptissimo studio, maximaque liberalitate, & honestum dignitatis gradum, & amplissimum patrimonium consecutus: cum præ se semper tulisset, unum illum sibi esse hæredem, moriens etiam annulos ei suos tradidisset, [2] Pomponium Atticum testamento adoptavit, omniumque bonorum reliquit hæredem. Sed fallacis & insidiosi cadaver populus Romanus cervicibus reste circumdatum, per viam traxit: Itaque nefarius homo filium quidem, & hæredem habuit quem voluit; funus autem & exequias quales meruit. An. M. 3992. Ol. 179. 3. Vrb. C. 691. Ant. Ch. 61.

6. Neque aliis dignus fuit [3] T. Marius Urbinas, qui ab infimo militiæ loco, beneficiis Divi Augusti Imperatoris ad summos castrenses honores perductus, eorumque uberrimis questubus locuples factus; non solum cæteris vitę temporibus ei se fortunas suas relinquere, à quo acceperat, prædicavit; sed etiam pridie quam expiraret, idem istud ipsi Augusto dixit: cum interim ne nomen quidem ejus tabulis testamenti adjecerit. An. M. 4053. Ol. 194. 4. Vrb. C. 752. Ant. Ch. 1.

7. L. autem Valerius, cui cognomen Heptachordo fuit, togatum hostem [4] Cornelium Balbum expertus, utpote opera ejus & consilio compluribus privatis vexatus litibus, ad ultimumque [b] subjecto accusatore capitali crimine accusatus; preteritis advocatis & patronis suis, solum hęredem reliquit, [c] nimia consternatione, quæ animum ejus An. M. 3993. Ol. 179. 4. Vrb C. 692. Ant. Ch 60.

INTERPRETATIO.

a *Ut non solum silentium fratris, qui* ipsum hæredem non scripserat, *flagitiosum; sed etiam prælatio* alienorum & humilium *contumeliosa videri posset.*

b *Clam immisso accusatore.*

c Id egit, *quia nimio terrore illius ratio perturbata, animam ejus extra rectam æquitatis viam impulit.*

NOTÆ.

1. *Cæcilius.*] Romanus Eques, Pomponii Attici avunculus.

2. *Pomponium Atticum.*] Virum doctissimum, ad quem etiam nunc extant Ciceronis epistolæ; qui ob Græcæ linguæ peritiam Attici cognomen Athenis retulit: Q. Cæcilius, nomine illius à quo adoptatus est, nonnunquam appellatur: illius soror Q. Ciceroni nupsit, filia M. Agrippæ: unde nata Vipsania, Tiberii Cæsaris uxor, & Drusi mater; ipse sub Augusto morbo & senio confectus interiit.

3. *T. Marius.*] Ego sententiæ Coleri lubens subscripserim, qui *Tarium* legendum suspicatur: fuit enim his temporibus L. Tarius Rufus, qui Consulatum militari industria adeptus, immensas opes, cum sua parsimonia, tum maxime Augusti liberalitate congessit, teste Plinio l. 8. c. 6.

4. *Cornelium Balbum.*] Duo potissimum hoc nomine Romæ floruerunt; ambo Gaditani, quorum alter alterius patruus fuit, & Consul: uter horum hic

transversum egit, depravatus. Amavit enim sordes suas, & dilexit pericula, & damnationem votis expetivit: auctorem harum rerum benevolentia, propulsatores odio insecutus.

An.M. 3999. Ol. 181. 2. Vrb C. 698. Ant. Ch. 54.

8. T. Barrulus Lentulo Spintheri, cujus amantissimum animum, liberalissimamque amicitiam senserat, decedens suos annulos perinde atque unico hæredi tradidit, quem nulla ex parte heredem relinquebat. Quantum illo momento temporis conscientia, (si modo vires, quas habere creditur, possidet) à teterrimo homine supplicium exegit! Inter ipsam enim fallacis & ingratæ culpæ cogitationem, spiritum posuit, quasi tortore aliquo mentem ejus intus cruciante: Quod animadvertebat è vita ad mortem transitum suum, & superis Diis invisum esse, & inferis detestabilem futurum.

9. M. vero Popillius Senatorii Ordinis Oppium Gallum ab ineunte ætate familiarissimum sibi, moriens, pro vetusto jure amicitiæ, & vultu benigno respexit, & verbis magnum præ se amorem ferentibus prosecutus est. Unum etiam de multis, qui assidebant, ultimo complexu & osculo dignum judicavit; insuperque annulos suos ei tradidit: videlicet ne quid ex ea hæreditate, quam non erat aditurus, amitteret. Quos ocyus [a] vir diligens, sed morientis amici plenum contumeliæ ludibrium, in locellum repositos, & à præsentibus assignatos diligentissime hæredibus illius, exheres ipse reddidit. Quid hoc joco inhonestius, aut quid intempestivius? Senator populi Romani Curia egressus, homo vitæ fructibus continuo cariturus, [b] sanctissime jura familiaritatis, morte pressis oculis, & spiritu supremos anhelitus reddente, scurrili lusu sugillanda sibi desumpsit.

INTERPRETATIO.

a *Vir diligens, sed qui ab amico moriente cum magna contumelia ludibrio habitus fuerat.*

b *Ausus est scurrili fallacia deridere sacra amicitiæ jura, cum jam ipsius oculi morte vicina clauderentur, & illius anima extremos anhelitus emitteret.*

NOTÆ.

fuerit, an quis alius, obscurum est. Lentuli Spintheris meminimus l. 1. c. 4. n. 6.

VALERII MAXIMI
LIBER OCTAVUS.

CAP. I.
DE JUDICIIS PUBLICIS INSIGNIBUS.

QUIBUS ABSOLUTI.	DAMNATI.
1. *M. Horatius Tergeminus.*	1. *L. Scipio Asiaticus.*
2. *Ser. Sulpitius Galba.*	2. *C. Decianus.*
3. *A. Gabinius.*	3. *Sex. Titius.*
4. *P. Claudius Pulcher.*	4. *Claudia Ap. Caci F.*
5. *Tuccia virgo Vestalis.*	5. *M. Mulvius, Cn. Lollius, L. Sextilius, triumviri.*
6. *L. Calpurnius Piso.*	6. *P. Villius triumvir.*
7. *Q. Flavius augur.*	7. *M. Æmilius Porcina.*
8. *C. Cosconius Callidianus.*	8. *Paterfamilias quidam.*
9. *A. Atilius Calatinus.*	AMBUSTÆ DUÆ.
10 *M. Æmilius Scaurus.*	1. *Mulier matricida.*
11. *L. Aurelius Cotta.*	2. *Materfamilias quadam.*
12. *Callidius Bononiensis.*	
13. *Clœlii duo T. F. Tarracinenses.*	

ABSOLUTI.

NUNC quoque ut æquiore animo ancipites judiciorum motus tolerentur, recordemur invidia laborantes, quibus de causis aut absoluti sunt, aut damnati.

1. M. Horatius interfectæ sororis crimine à Tullo Rege damnatus, ad populum provocato judicio absolutus est. Quorum alterum atrocitas necis movit, alterum causa flexit: quia immaturum virginis amorem severe magis, quam impie punitum existimabat. [a] Itaque forti punitione liberata fratris dextera, tantum consanguineo, quantum hostili cruore glorię haurire potuit. An.M.3385. Ol. 27. 4. Vrb.C. 84. Ant.Ch 668.

2. Acrem se tunc pudicitię custodem populus Rom. postea plus An.M. 3905. Ol. 157. 4. Vrb.C. 604. Ant.Ch. 148.

INTERPRETATIO.

[a] *Itaque tam fere gloriosum fuit Horatio liberari à pœna, quam meruerat ob occisam sororem, quam hostes patria interfecisse.*

justo placidum judicem præstitit. Cum à [1] Libone Trib pleb. [2] Ser. Galba pro rostris vehementer increparetur, quod Lusitanorum magnam manum interposita fide Prætor in Hispania [3] interemisset; actionique Tribunitiæ [4] M. Cato ultimæ senectutis, oratione sua, quam in Origines retulit, subscriberet: reus pro se jam [5] nihil recusans, parvulos liberos suos, & [6] Galli sanguine sibi conjunctum filium, flens [7] commendare cœpit: Eoque facto mitigata concione, qui omnium consensu periturus erat, pene nullum triste suffragium habuit. Misericordia ergo illam quæstionem, non æquitas rexit: quoniam quæ innocentiæ tribui nequierat absolutio, respectui puerorum data est.

An. M. 4000. Ol. 181. 3. Vrb. C. 699. Ant. Ch. 53.

3. Consentaneum est quod sequitur. A. Gabinius in maximo [8] infamiæ suæ ardore suffragiis populi C. Memmio accusatore subjectus, [a] abruptæ esse spei videbatur: quoniam & accusatio partes suas plene exhibebat, & defensionis præsidia invalida fide nitebantur: & qui judicabant, ira præcipiti pœnam hominis cupide expetebant. Lictor igitur & carcer ante oculos obversabantur: cum interim omnia ista propitiæ fortunæ interventu dispulsa sunt. Filius namque Gabinii Si-

INTERPRETATIO.

a *Nullam fere spem salutis habebat.*

NOTÆ.

1. *Libone.*] Scribonius Libo fuit aliquanto post & Ædilis & Prætor.

2. *Ser. Galba.*] Orator, de quo tam multa Cicero, tum in Bruto, tum in libris de Oratore. Illius etiam supra meminimus.

3. *Interemisset.*] Cum Lusitanis temere congressus victus erat, amissis suorum septem millibus; illi tamen fessi bello, pacem petunt: tum Galba rem dolo agendam ratus, juventutem ex oppidis advocat, deinde armis exuit; immissis denique militibus, trucidari imperat: cæsa, vel novem millia, ex Valerio, vel triginta, ex Suetonio; multi venumdati, pauca fuga elapsi, quos inter Viriathus fuit, tum ad modum juvenis. Ita Appian. in Ibericis, & Oros. l. 4. c. 21.

4. *M. Cato.*] Censorius, tum annos natus 85.

5. *Nihil recusans.*] In oratione quam ipse dixit contra Cornelium Cethegum, fatetur ideo cæsos à se Lusitanos, quod ab iis structas sibi insidias compertum haberet.

6. *Galli.*] Fuit is C. Sulpitius Gallus, qui in exercitu Æmilii Pauli Tribunus militum Lunæ defectum prædixit; & Consul domuit Ligures: vir literis Græcis, ut temporibus illis, eruditissimus.

7. *Commendare cœpit.*] Populum Romanum tutorem palam instituit, tum Galli, tum suorum liberorum orbitati, ex Quintilano l. 2. c. 16.

8. *Infamia sua ardore.*] Bis hoc anno accusatus est Gabinius, ut diximus l. 4. c. 2. n. 4. primum majestatis à Mummio apud Alsium Prætorem, quod Ptolemæum spreta religione reduxisset cum exercitu; iterum repetundarum apud Catonem Prætorem: in primo judicio in Pompeii gratiam absolutus est; in altero damnatus: de primo hic agitur. Hoc judicium describit Cicero l. 3. epist. ad Q. fratrem. *Omnino nihil accusatore Lentulo, subscriptoribusque ejus infantius: nihil illo consilio sordidius: sed tamen nisi incredibilis contentio, & preces Pompeii, & Dictatura etiam rumor plenus timore fuisset, ipsi Lentulo non respondere. Sed vides, nullam esse Rempublicam, nullum Senatum, nulla judicia.*

senna

ſenna, a conſternationis impulſu ad pedes ſe Memmii ſupplex proſtravit: b inde aliquod fomentum procellæ petens, unde totus impetus tempeſtatis eruperat: Quem truci vultu à ſe victor inſolens repulſum, 1 excuſſo è manu annulo humi jacere aliquandiu paſſus eſt. Quod ſpectaculum fecit, ut Lælius Tribunus plebis approbantibus cunctis Gabinium dimitti juberet; ac documentum daretur, neque ſecundarum rerum proventu inſolenter abuti, neque adverſis propere quemquam debilitari oportere.

4. Idque proximo exemplo æque patet. 2 P. Claudius, neſcio religionis major, an patriæ injuria (ſiquidem illius vetuſtiſſimum morem neglexit, hujus pulcherrimam claſſem amiſit) infeſto populo objectus, cum effugere debitam pœnam nullo modo poſſe crederetur, ſubito coorti imbris beneficio tutus fuit à damnatione: diſcuſſa enim quæſtione, aliam velut Diis interpellantibus, de integro inſtaurari non placuit. Ita cui maritima tempeſtas cauſæ dictionem contraxerat, cœleſtis ſalutem attulit. An.M. 3805. Ol. 132. 4. Vrb.C. 504. Ant.Ch. 248.

5. Eodem auxilii genere Tucciæ virginis Veſtalis inceſti criminis reæ caſtitas infamiæ nube obſcurata emerſit: quæ conſcientia certæ ſinceritatis ſuæ, ſpem ſalutis ancipiti argumento auſa petere eſt. Arrepto enim cribro, Veſta, inquit, ſi ſacris tuis caſtas ſemper admovi manus, effice, ut hoc hauriam è Tiberi aquam, & in ædem tuam perferam. Audaciter & temere jactis votis ſacerdotis, rerum ipſa 3 natura ceſſit.

6. Item 4 L. Piſo 5 à P. Claudio Pulchro accuſatus, quod graves & intolerabiles 6 injurias ſociis intuliſſet: haud dubiæ ruinæ metum for- An.M. 3999. Ol. 181. 2. Vrb.C. 698. Ant.C. 54.

INTERPRETATIO.

a *Impetu mentis conſternata periculo patris.*

b *Petens aliquid auxilii* ab ipſo Mummio, *qui ſolus illius accuſationis in patrem ipſius author fuerat.*

NOTÆ.

1. *Excuſſo humi annulo.*] Indigne enim ferebat, quod annulum reus non depoſuiſſet.

2. *P. Claudius.*] Pulcher, Cœci filius, qui neglectis auſpiciis, pullos in aquam mergi juſſit, ut biberent, quoniam eſſe nollent. Illius cladem deſcripſimus l. 1. c. 4. n. 3.

3. *Natura ceſſit.*] Aquam cribro hauſtam è flumine ad Pontificum pedes in foro effudit. Illius accuſator diu multumque quæſitus, nec vivus, nec mortuus inventus eſt, ex Dionyſio.

4. *L. Piſo.*] Cæſoninus Gabinii in Conſulatu collega, in quem extat Ciceronis oratio.

5. *A P. Claudio Pulchro.*] Aliquid vitii his vocibus ſubeſſe ſuſpicor: vix enim adduci poſſum ut credam Piſonem ab eodem P. Claudio accuſatum eſſe, à quo tot Provincias, Macedoniam, Achaiam, Græciam acceperat; quare legerim libentius, à C. Claudio Pulchro, qui P. Claudii frater erat.

6. *Injurias ſociis.*] Hæc Piſoni criminibus data ſunt, Thracibus & Dardanis pacem auro vendidiſſe, è Dyrrachinis collegiſſe pecunias, Theſſalos ſpoliaſſe;

tuito auxilio vitavit. Namque per id tempus, quo tristes de eo sententiæ ferebantur; repentina vis nimbi incidit. Cumque prostratus humi pedes judicum oscularetur; os suum cœno replevit. Quod conspectum, totam quæstionem à severitate ad clementiam & mansuetudinem transtulit: quia satis jam graves eum pœnas sociis dedisse arbitrati sunt huc deductum necessitatis, ut abjicere se tam suppliciter, aut attollere tam deformiter cogeretur.

An.M.3724. Ol. 112. 3. Vrb.C. 423. Ant.Ch. 329.

7. Subnectam duos accusatorum suorum culpa absolutos. [1] Q. Flavius Augur [2] à C. Valerio Ædile ad populum reus actus, cum quatuordecim tribuum suffragiis damnatus esset; proclamavit se innocentem opprimi. Cui Valerius æque clara voce respondit, nihil sua interesse, nocens-ne an innoxius periret, dummodo periret. a Qua violentia dicti, reliquas tribus adversario donavit. Abjecerat inimicum: eundem, dum pro certo pessundatum credidit, erexit: victoriamque in ipsa victoria perdidit.

8. C. etiam Cosconium Servilia lege reum, propter plurima & evidentissima facinora, sine ulla dubitatione nocentem, [3] Valerii Valentini accusatoris ejus recitatum in judicio carmen, quo puerum prætextatum, & ingenuam virginem à se corruptam poëtico joco significaverat, erexit. Siquidem judices iniquum rati sunt, eum victorem dimittere; qui palmam non ex alio ferre, sed de se dare merebatur. Magis ergo Valerius in Cosconii absolutione damnatus, quam Cosconius in causa sua liberatus est.

An.M. 3839. Ol. 141. 2. Vrb.C. 538. Ant.Ch. 214.

9. Attingam eos quoque, quorum salus propriis obruta criminibus, proximorum claritati donata est. [4] A. Atilium Calatinum [5] Soranorum oppidi proditione reum admodum infamem, imminentis damnationis periculo, Q. Maximi soceri pauca verba subtraxerunt: quibus affirmavit, si in eo crimine sontem illum ipse comperisset, diremptur[um]

INTERPRETATIO.

a *Qua dicti insolentia commota reliquæ tribus, illius adversarium absolverunt.*

NOTÆ.

Acheis impetasse tributum in annos singulos; & alia quæ fusius Cicero persequitur in orat. de prov. Consul.

1. *Q. Flavius Augur.*] A Livio dicitur M. Flavius, ab ipso Valerio l. 9. c.10. M. Fulvius.

2. *A C. Valerio*] Potito Flacco, qui tum secundum Ædilis erat; jam enim & Ædilis fuerat & Prætor, & Consul. Stupratæ matrisfamiliæ ab eo Flavius insimulatus est.

3. *Valerii Valentini.*] Hujus Scriptoris qui meminerit præter Festum Pompeium vidi neminem: Tappulam legem convivalem ficto nomine conscripsit jocoso carmine.

4. *A. Attilium Calatinum.*] Attilii Calatini Consulis, Dictatoris & Censoris filium, Fabii Cunctatoris generum.

5. *Soranorum oppidi.*] Cum enim Soræ (Campaniæ oppidum est) præesset, cives ad Annibalem defecerunt.

ſe fuiſſe affinitatem. Continuo enim populus pene jam exploratam ſententiam ſuam unius judicio conceſſit: indignum ratus ejus teſtimonio non credere, cui difficillimis Reipublicæ temporibus bene ſe exercitus credidiſſe meminerat.

10. M. quoque Æmilius Scaurus repetundarum reus, adeo perditam & comploratam defenſionem in judicium attulit; ut accuſator diceret, lege ſibi centum atque viginti hominibus denuntiare teſtimonium licere, ſeque non recuſare quo minus abſolveretur, ſi totidem nominaſſet, quibus in Provincia nihil abſtuliſſet. Licet tam bona conditione uti non potuerit; tamen propter vetuſtiſſimam [1] nobilitatem, & recentem memoriam patris, abſolutus eſt. An.M.4000. Ol.181. 3. Vrb.C. 699. Ant.Ch.53.

11. Sed quemadmodum ſplendor ampliſſimorum virorum in protegendis reis plurimum valuit; ita in opprimendis non ſane multum potuit. Quin etiam evidenter noxiis, dum eos acrius impugnat, profuit. [2] P. Scipio Æmilianus L. Cottam [3] ad Prætorem accuſavit. Cujus cauſa, quamquam graviſſimis criminibus erat confoſſa: [a] ſepties [4] ampliata, & ad ultimum octavo judicio abſoluta eſt. Quia homines ſapientiſſimi verebantur, ne præcipuæ accuſatoris amplitudini damnatio ejus donata exiſtimaretur. Quos hæc ſecum locutos crediderim: Nolumus caput alterius petentem, in judicium triumphos & trophæa, ſpoliaque ac devictarum navium roſtra deferre: Terribilis ſit is adverſus hoſtem: civis vero ſalutem, tanto fulgore gloriæ ſubnixus, ne inſequatur. An.M. 3921. Ol 162. 1. Vrb. C. 621. Ant.Ch. 131.

12. Tam vehementes hi judices adverſus excellentiſſimum accuſatorem, quam illi mites in longe inferioris fortunæ reo. Callidius Bononienſis in cubiculo mariti noctu deprehenſus, cum ob id cauſam adulterii diceret; inter maximos & graviſſimos infamiæ fluctus emerſit, tanquam fragmentum naufragii, leve admodum genus defenſionis ample-

INTERPRETATIO.

[a] *Septies in aliud tempus dilata.*

NOTÆ.

1. *Nobilitatem & recentem.*] Fuit enim ex patricia Æmiliorum gente, & M. Scaurum Senatus principem patrem habuit. De illo judicio jam ſæpe.

2. *P. Scipio Æmilianus.*] Iam Cenſor, biſque Conſul fuerat, Carthagine, Numantiaque everſis clariſſimus, teſte Cicerone: cum Aurelium Cottam Galbæ haud multo ante Collegam, repetundarum accuſavit.

3. *Ad Prætorem.*] Bene emendavit Pighius: hoc enim Romæ diſcrimen in iis, quæ ad judicia pertinerent, inter Magiſtratum & privatum hominem, quod Magiſtratus apud populum, privatus apud Magiſtratus reos accuſare tenerentur: cum vero id temporis privatus eſſet Scipio, non apud populum, ſed apud Prætorem Cottam accuſavit.

4. *Ampliata.*] Cauſa dicitur ampliata, cum à judicibus protrahitur; comperendinatio vero eſt, cum partium altera poſtulat, ut in diem alterum differatur judicium, eo quod judices cauſam non probe teneant. In tabulis ſcripta litera *A.* abſolutionem ſignificabat, *D.* damnationem, *N.* & *L.* dilationem, hoc eſt, *Non liquet.*

xus. Affirmavit enim, se ob amorem pueri servi eo esse perductum. Suspectus erat locus, suspectum tempus, suspecta matrisfamiliæ persona, suspecta etiam adolescentia ipsius: sed crimen adulterii, libidinis intemperantis confessio liberavit.

13 Remissioris hoc, illud aliquanto gravioris materiæ exemplum. Cum parricidii causam duo fratres Clœlii dicerent, splendido [1] Tarracinæ loco nati, quorum pater T. Clœlius in cubiculo quiescens, filiis altero lecto cubantibus, erat interemptus: neque aut servus quisquam, aut liber inveniretur, ad quem suspicio cædis pertineret: hoc uno nomine absoluti sunt, quia judicibus planum factum est, illos aperto ostio inventos esse dormientes. Somnus innoxię securitatis certissimus index miseris opem tulit. [a] Judicatum est enim, rerum naturam non recipere, ut occiso patre, supra vulnera & cruorem ejus, quietem capere potuerint.

INTERPRETATIO.

a *Iudicatum est rerum naturam non pati, ut filii occiso patre dormire potuerint post vulnera illi illata & effusum ejus sanguinem.*

NOTÆ.

1 *Tarracinæ.*] Oppidum erat in Volscis, olim *Trachina* dictum, postea *Anxur*, quod ibi Iupiter imberbis coleretur; nunc *Tarracina.*

DAMNATI.

1. Percurremus nunc eos, quibus in causæ dictione, magis quæ extra quæstionem erant, nocuerunt, quam sua innocentia opem tulit.
An.M.3867. Ol. 148. 2. Vrb.C. 566. Ant.Ch.186. L. Scipio post speciosissimum triumphum de Rege Antiocho ductum, perinde ac pecuniam ab eo accepisset, damnatus est. Non puto quod pretio corruptus fuerat, ut illum totius Asiæ dominum & jam Europæ victrices manus injicientem, ultra Taurum montem summoveret: sed alioqui vir sincerissimæ vitæ, & ab hac suspicione procul remotus, invidiæ, quæ tunc in duorum fratrum [1] inclytis cognominibus habitabat, resistere non potuit.

An.M. 3955. Ol. 170. 2. Vrb.C. 654. Ant.Ch. 98. 2. At Scipioni quidem maximus fortunæ fulgor, C. autem [2] Deciano spectatæ integritatis viro, vox sua exitium attulit. Nam cum P. Furium inquinatissimæ vitæ pro Rostris accusaret, quia quadam in parte

NOTÆ.

1. *Inclytis cognominibus.*] Quod Publius ob victum Annibalem Africanus; Lucius ob superatum Antiochum, Asiaticus diceretur. Lege quæ superius de illorum damnatione scripsimus.

2. *Deciano.*] Fit illius mentio apud Ciceronem pro Rabirio.

actionis de morte L. [1] Saturnini queri ausus fuerat: nec reum damnavit, & insuper ei pœnas addictas pependit.

3. [2] Sex. quoque Titium similis casus prostravit: Erat innocens, Agraria lege lata gratiosus apud populum. Tamen quia Saturnini imaginem domi habuerat, suffragiis eum tota [3] cognitio oppressit. An M. 3956. Ol. 170. 3. Vrb. C. 655. Ant. Ch. 97.

4. Adjiciatur his [4] Claudia, quam insontem crimine, votum impium subvertit: Quia cum à ludis domum rediens turba elideretur, optaverat, [a] ut frater suus maritimarum virium nostrarum præcipua jactura reviviscеret: sæpiusque Consul factus, infelici ductu nimis magnam urbis [5] frequentiam minueret. An. M. 3808. Ol. 133. 3. Vrb. C. 507. Ant. Ch. 245.

5. Possumus & ad illos brevi diverticulo transgredi, quos leves ob causas damnationis incursus abripuit. M. Mulvius, Cn. Lollius, L. Sextilius Triumviri, quod ad incendium in [6] Sacra via ortum extinguendum tardius venerant; à Tribuno plebis die dicta ad populum damnati sunt. An. M. 3886. Ol. 153. 1. Vrb. C. 585. Ant. Ch. 167.

6. Item P. Villius Triumvir nocturnus [7] à P. Aquilio Tribuno plebis accusatus, populi judicio concidit: quia vigilias negligentius circumierat. An. M. 3999. Ol. 181. 2. Vrb. C. 698. Ant. Ch. 54.

7. Admodum severæ notæ & illud populi judicium, cum [8] M. Æmilium Porcinam à L. Cassio accusatum crimine [9] nimis sublime extructæ villæ An. M. 3924. Ol. 162. 3. Vrb. C. 623. Ant. Ch. 129.

INTERPRETATIO.

a *Qui maritimas Romanorum vires amissa classe attriverat.*

NOTÆ.

1. *Saturnini.*] Qui Tribunus plebis Metellum Numidicum urbe expulit, & aliquanto post à populo cæsus est.

2. *Sex. Titium.*] Nepotem Tribunum plebis seditiosum, M. Antonio Oratore Consule: de quo multa Cicero tum in l. 2. de Oratore, tum in Bruto. *Sex. Titius homo loquax sane & satis acutus: sed tam solutus & mollis in gestu, ut saltatio quadam nasceretur; cui saltationi Titius nomen esset.*: se Cassandram esse dicebat, qui vera non creditus prædiceret.

3. *Cognitio.*] Vulgo legitur *Concio*: à populo tamen non damnatus est, ut patet ex Ciceronis Rabiniana; sed ab equitibus penes quos id temporis judicia erant: ab aliis legitur *Cognatio*, à Pighio *Cognitio.*

4. *Claudia.*] Appii Cœci filia, & P. Claudii Pulchri soror, qui classem ob neglecta auspicia amisit: de quo paulo ante.

5. *Frequentiam minueret.*]. *Vtinam*, inquit, *frater meus revivіscat, iterumque classem ducat, & istam multitudinem perditum eat.* Ita Gellius l. 10. c. 6. Ab Ædilibus accusata æris gravis 25. millibus mulctata est.

6. *Sacra via.*] Quæ ab Amphitheatro juxta templum pacis & forum Cæsaris recta tendit in Capitolium. De Triumviris diximus antea.

7. *A P. Aquilio.*] Gallo, qui Catoni, saniorique civium parti adhæsit contra Pompeium & Crassum Consules.

8. *M. Æmilium Porcinam.*] Ex Lepidorum familia, qui Consul cum C. Hastilio Mancino à Vaccæis victus est: Orator fuit, ex Cicerone in Bruto, in quo Latinorum omnium primo & lenitas illa Græcorum apparuerit, & verborum comprehensio cum artifice stylo.

9. *Nimis sublime extructa.*] A Cassio & Cepione Censoribus damnatus est, si Velleio credimus, quod ædes sex millibus

in [1] Alsiensi agro, gravi multa affecit.

8. Non supprimenda illius quoque damnatio, qui pueruli sui nimio amore correptus, rogatus ab eo ruri ut [2] omasum in cœnam ferri juberet, cum bubulæ carnis in propinquo emendæ nulla facultas esset; domito bove occiso, desiderium ejus explevit. Eoque nomine publica quæstione afflictus est: innocens, nisi tam prisco seculo natus esset.

NOTÆ.

conduxisset.

1. *In Alsiensi agro.*] Alsium maritimum Tusciæ oppidum. *Cere* vel *Palo*.

2. *Omasum.*] Ferculum ex intestinis bubulis. Gallicam vocem esse putat Colerus.

AMBUSTÆ.

1. Atque ut eos quoque referamus qui in discrimine capitis adducti, neque damnati, neque absoluti sunt.[1] Apud M. Popilium Lęnatem Prę-

An. M. 3911. torem quædam, quod matrem fustim interemerat, causam dixit: de qua
Ol. 159. 2. neutram in partem latæ sententiæ sunt. Quia abunde constabat, eandem
Vrb. C. 610. veneno necatorum liberorum dolore commotam, (quos avia filiæ infensa
Ant. Ch. 142. sustulerat) parricidium ultam esse parricidio. Quorum alterum ultione dignum, alterum absolutione non dignum judicatum est.

2. Eadem hæsitatione [2] P. Dolabellæ Proconsulari imperio Asiam obtinentis, animus fluctuatus est. Materfamilias Smyrnæa virum & filium interemit, cum ab his optimæ indolis juvenem, quem ex priore viro enixa fuerat, occisum comperisset. Quam rem Dolabella ad se delatam, Athenas ad Areopagi cognitionem relegavit: quia ipse neque liberare cædibus duabus contaminatam, neque punire eam justo dolore impulsam, sustinebat. Consideranter & mansuete populi Romani Magistratus; sed Areopagitę quoque non minus sapienter. Qui inspecta causa, & accusatorem & ream post centum annos adesse jusserunt: eodem affectu moti, quo Dolabella. Sed ille transferendo quęstionem, [a] hi differendo damnandi atque absolvendi inexplicabilem cunctationem invitabant.

INTERPRETATIO.

a *Illius mulieris, vel damnationem, vel absolutionem tamdiu differebant, ut nemo finem illius causa visurus esset.*

NOTÆ.

1. *Apud Popilium.*] Qui Consul à Numantinis fusus est.

2. *P. Dolabella.*] Asiæ etiam Proconsulem appellat Gellius; sed Cneium Dolabellam vocat. De Areopago consule l. 3. c. 6. n. 4.

Cap. II.

DE PRIVATIS JUDICIIS INSIGNIBUS.

Quibus Damnati.
1. *T. Claudius Centumalus.*
2. *Otacilia Laterensis.*
3. *C. Titinius Minturnensis.*
4. *Quidam ob equi vecturam longiorem.*

PUblicis judiciis adjiciam privata, quorum magis ęquitas quęrentium delectare, quam immoderata turba lectorem offendere poterit.

1. [1] Claudius Centumalus ab auguribus jussus altitudinem domus suę, quam [2] in Cœlio monte habebat, submittere, quia his ex arce [3] augurium capientibus officiebat, vendidit eam Calpurnio Lanario: nec indicavit quod imperatum à collegio Augurum erat. A quibus Calpurnius demoliri domum coactus, [4] M. Porcium Catonem inclyti Catonis patrem, arbitrum Claudio adduxit, & formulam QUIDQUID SIBI DARE FACERE OPORTERET EX BONA FIDE. Cato ut est edoctus, de industria Claudium edictum sacerdotum suppressisse; continuo illum Calpurnio damnavit. Summa quidem cum ęquitate, quia bonę fidei venditorem nec commodorum spem augere, nec incommodorum cognitionem obscurare oportet. An.M. 3962. Ol. 172. 1. Vrb.C. 661. Ant.Ch. 91.

2. Notum suis temporibus judicium commemoravi: sed nec quod relaturus quidem sum, obliteratum est silentio. C. Visellius Varro gravi morbo correptus, trecenta millia nummûm ab Otacilia Laterensi, cum qua commercium libidinis habuerat, expensa ferri sibi passus est: Eo consilio, ut si decessisset, ab hęredibus eam summam peteret, quam legati genus esse voluit, libidinosam liberalitatem debiti nomine colorando. Evasit deinde Visellius ex illa tempestate adversus vota Otacilię. Quę offensa quod spem prędæ suæ morte non maturasset; ex amica An.M. 3989. Ol. 178. 4. Vrb.C. 688. Ant.Ch 64.

Notæ.

1. *Claudius Centumalus.*] T. Claudius Cento ab aliis dicitur, ex patricia Claudiorum gente. *Centumalus* enim cognomen est gentis Fulviæ, non Claudiæ.

2. *In Cœlio monte.*] Cui nomen factum est à Cœlio Vibeno Thusco duce, qui Romulo contra Tatium auxilio venerat: à Tullo Hostilio urbi additus est.

3. *Augurium capientibus.*] Augur auguria capturus in saxo Tarpeio sedebat, & quatuor in aëre designabat spatia; in Oriente anticam, in Occidente posticam; dextram in meridie, in septentrione sinistram: tum concipiebat animo, quæ signa mitti vellet, vultures, aut aquilas, aut columbas: si quid hujusmodi appareret, rem diis acceptam esse prædicabat; sin minus, ingratam.

4. *M. Porcium Catonem.*] Saloniani Catonis filium, & Vticensis patrem, qui Tribunus plebis cum fuisset, dum Præturam petit, mortuus est.

obsequenti, subito districtam fœneratricem agere cœpit, nummos petendo; quos ut fronte inverecunda, ita [1] inani stipulatione captaverat. De qua re [2] C. Aquilius, vir magnæ auctoritatis, & scientia juris civilis excellens, judex adductus, adhibitis in consilium principibus civitatis, prudentia & religione sua mulierem repulit. Quod si eadem formula & Varro damnari, & adversaria absolvi potuisset; ejus quoque non dubito quin turpem & inconcessum errorem libenter castigaturus fuerit. Nunc privatæ actionis calumniam ipse compescuit, adulterii crimen publicæ quæstioni vindicandum reliquit.

An. M. 3955. Ol. 170. 2. Vrb. C. 654. Ant. Ch. 98.

3. Multo animosius, & ut militari spiritu dignum erat, se in consimili genere judicii C. Marius gessit: Nam cum C. Titinius Minturnensis [3] Fanniam uxorem, quam impudicam de industria duxerat, eo crimine repudiatam, dote spoliare conaretur: sumptus inter eos judex, in conspectu habita quæstione, subductum Titinium monuit, ut incepto desisteret, ac mulieri dotem redderet. Quod cum sæpius frustra fecisset, coactus ab eo sententiam pronunciare: mulierem impudicitiæ ream sestertio nummo, Titinium summa totius dotis damnavit: Præfatus, idcirco se hunc judicandi modum secutum, quod liqueret sibi, Titinium patrimonio Fanniæ insidias struentem, impudicæ conjugium expetisse. Fannia autem hæc est, quæ postea Marium hostem à Senatu judicatum, cœnoque paludis, qua extractus erat, oblitum, etiam in domum suam custodiendum Minturnis deductum, ope quantacunque potuit, adjuvit: Memor quod impudica judicata esset, suis moribus; quod dotem servasset, illius religioni acceptum fieri debere.

An. M. 3966. Ol. 173. 1. Vrb. C. 665. Ant. Ch. 87.

4. Multus sermo eo etiam judicio manavit, in quo quidam furti damnatus est; quod equo, cujus usus illi usque [4] Ariciam commodatus fuerat, ulteriore ejus municipii clivo vectus esset. Quid aliud hoc loci quam verecundiam illius seculi laudemus, in quod tam minuti à pudore excessus puniebantur?

NOTÆ.

1. *Inani stipulatione.*] Hoc est, *vana promissione.* Stipulatio enim ex Pomponio est conceptio verborum; quibus is, qui interrogatur, daturum facturumve id quod interrogatum est, respondet.

2. *C. Aquilius.*] Iuris peritissimus, discipulus Mutii, & Ciceronis in Prætura collega.

3. *Fanniam.*] De Fannia, Minturnis, & Marii fuga, lege l. 1. c. 5. n. 5.

4. *Ariciam.*] Latii oppidum post montem Albanum in via Appia. L'*Ariccia.*

CAP. III.

DE MULIERIBUS QUÆ CAUSAS APUD MAGISTRATUS EGERUNT.

1. *Amæsia Sentia.* 2. *Afrania Licinii Buccionis.* 3. *Hortensia Q. F.*

NE de his quidem fœminis tacendum est; quas conditio naturæ, & [1] verecundiæ stola, ut in foro & judiciis tacerent, cohibere non potuit.

1. Amæsia Sentia rea, causam suam, L. Titio Prætore judicium cogente, maximo populi concursu egit: partesque omnes ac numeros defensionis non solum diligenter, sed etiam fortiter executa, prima actione, cunctis pene sententiis liberata est: Quam, quia sub specie fœminæ virilem animum gerebat, *Androgynem* appellabant. An. M. 3977. Ol. 175. 4. Vrb. C. 676. Ant. Ch. 76.

2. Afrania vero [2] Licinii Buccionis Senatoris uxor prompta ad lites contrahendas, pro se semper apud Prætorem verba fecit: non quod advocatis deficiebatur, sed quod impudentia abundabat. Itaque inusitatis foro latratibus assidue tribunalia exercendo, muliebris calumniæ notissimum evasit exemplum: adeo ut pro crimine improbis fœminarum moribus, Afraniæ nomen objiciatur. Prorogavit autem spiritum suum [3] ad C. Cæsarem iterum atque P. Servilium Coss. Tale enim monstrum magis quo tempore extinctum, quam quo sit ortum, memoriæ tradendum est. An. M. 4001. Ol. 181. 4. Vrb C. 700. Ant. Ch. 52.

3. Hortensia vero Q. Hortensii filia, cum ordo matronarum gravi tributo [4] à Triumviris esset oneratus, nec quisquam virorum patrocinium eis accommodare auderet; causam fœminarum apud Triumviros & constanter & feliciter egit. Repræsentata enim patris facundia, impetravit ut major pars imperatæ pecuniæ his remitteretur. Revixit tum muliebri stirpe Q. Hortensius, verbisque filiæ aspiravit: cujus si virilis sexus posteri vim sequi voluissent, Hortensianæ eloquentię tanta hæreditas una fœminæ actione abscissa non esset. An. M. 4012. Ol. 184. 3. Vrb. C. 711. Ant. Ch. 41.

NOTÆ.

1. *Verecundiæ stolæ.*] Ne in Senatum quidem venire fœminis fas erat.

2. *Licinii Buccionis.*] Non fuit ex nobili Liciniorum stemmate. Buccio à bucca, sicut à labiis Labio dictus est.

3. *Ad C. Cæsarem iterum.*] Postquam fugit in Græciam Pompeius, Cæsar abdicata post diem undecimum Dictatura, Consul iterum cum Servilio Isaurico creatus est: Servilius ille, non ipse Isauros domuit; at illius pater, Servilius Vacia Isauricus. Plura reperies in Serviliorum gente.

4. *A Triumviris.*] Antonio, Lepido, & Octavio.

CAP. IV.

DE QVÆSTIONIBVS.

HABITIS A
1. *M. Agrii servo.*
2. *Alexandro C. Fannii.*
3. *Philippo Fulvii Flacci.*

ATque ut omnes judiciorum numeros exequamur, quæstiones quibus aut creditum non est, aut temere habita fides est, referamus.

1. M. Agrii argentarii servus Alexandrum C. Fannii servum occidisse insimulatus est; eoque nomine tortus à domino, admisisse se id facinus constantissime asseveravit: Itaque [1] Fannio deditus, supplicio affectus est. Parvulo deinde tempore interjecto, ille, cujus de nece creditum erat, domum rediit.

2. Contra Fannii servus Alexander, cum in suspicionem C. Flacci Equitis Romani occisi venisset, sexies tortus pernegavit ei se culpæ affinem fuisse. Sed perinde atque confessus, & à judicibus damnatus, & à L. Calpurnio Triumviro in crucem actus.

3. Item [2] Fulvio Flacco causam dicente, Philippus servus ejus, in quo tota quæstio nitebatur, octies tortus, nullum omnino verbum quo dominus perstringeretur, emisit: Et tamen reus damnatus est: cum certius argumentum innocentiæ unus octies tortus exhiberet, quam octo semel torti præbuissent.

NOTÆ.

1. *Fannio deditus.*] Lege enim cautum erat, ne servi, si quid deliquissent, supplicio negarentur: dominis enim satius visum est, puniri servos, quam eorum præstare crimina.

2. *Fulvio Flacco.*] Quem Cicero defendit. Præcipua accusationis capita fuerunt, quod classis nomine pecuniam civitatibus imperasset; quod Heracliensibus aurum abstulisset, &c.

CAP. V.

DE TESTIMONIIS IRRITIS VEL RATIS.

1. *Cæpionum ac Metellorum in Q. Pompeium.*
2. *M. Æmilii Scauri in diversos.*
3. *L. Crassi in M. Marcellum.*
4. *Q. Metelli, Lucullorum, Hortensii & Lepidi in C. Cornelium.*
5. *M. Ciceronis in P. Clodium.*
6. *P. Servilii Isaurici in quendam reum.*

1. SEquitur ut ad testes pertinentia exempla commemorem. [1] Cn. & Q. Serviliis Cæpionibus iisdem parentibus natis, & per omnes honorum gradus ad summam amplitudinem provectis: item fratribus [2] Q. & L. Metellis Consularibus & Censoriis, altero etiam triumphali: in [3] Q. Pompeium A. F. [4] repetundarum reum acerrime dicentibus testimonium, non abrogata fides, absoluto Pompeio; sed ne potentia inimicum oppressisse videretur, occursum est.

An.M. 3916. Ol. 160. 3. Vrb. C. 615. Ant.Ch. 137.

2. M. etiam Æmilius Scaurus princeps Senatus [5] C. Memmium repetundarum reum districto testimonio insecutus est. Item [6] C. Flavium eadem lege accusatum testis proscidit. Jam [7] C. Norbanum majestatis crimine publicæ quæstioni subjectum, ex professo opprimere conatus est: nec tamen aut auctoritate, qua plurimum pollebat, aut religione, de qua nemo dubitabat, quemquam illorum affligere potuit.

An.Vrb. 650. An.Vrb. 656. An.Vrb. 659.

3. L. quoque Crassus tantus apud judices, quantus apud Patres Conscriptos Æmilius Scaurus: namque eorum suffragia robustissimis & felicissimis eloquentiæ stipendiis regebat, eratque sic fori, ut ille curiæ princeps. Cum vehementissimum [8] testimonii fulmen in [9] M. Marcellum reum injecisset; impetu gravis, exitu vanus apparuit.

An.M 3961. Ol. 17:. 4. Vrb.C. 660. Ant.Ch.92.

4. Age Q. Metellus Pius, L. M. Luculli, Q. Hortensius, M. Lepidus, [10] C. Cornelii majestatis rei, quam non onerarunt tantummodo testes salutem; sed etiam negantes illo incolumi stare Rempublicam posse, depoposcerunt? [a] Quæ decora civitatis (pudet referre) umbone

An.M. 3989. Ol.178. 4. Vrb.C. 688. Ant.Ch.64.

INTERPRETATIO.

a *Qui homines licet ornamenta urbis essent, repulsi sunt integritate judicum.*

NOTÆ.

1. *Cn. & Q. Serviliis.*] Vterque Consul; ille anno Vrbis 6:3. hic 614. Quintus Viriatum dolo necari jussit.

2. *Q. & L. Metellis.*] *Macedonico & Calvo*, qui Numidici pater extitit.

3. *Q. Pompeium.*] *Nepotem*, qui filius tibicinis vulgo dicebatur, primusque ex gente Pompeia Consulatum adeptus est.

4. *Repetundarum.*] Bis accusatus est; semel ob fœdus initum cum Numantinis, à quibus victus fuerat; iterum repetundarum, bisque absolutus est: factus etiam postea Censor cum Q. Metello Macedonico. Dicitur à Cicerone in Bruto, homo per se genitus, nulla commendatione majorum summos honores adeptus; & tolerabilis Orator.

5. *C. Memmium.*] Qui Tribunus plebis nobilitati infestissimus fuit; cujus facundia tum clara Romæ pollensque fuit, ex Sallust.

6. *C. Flavium.*] Pusionem, qui M. Druso Tribuno plebis restitit.

7. *C. Norbanum.*] A P. Sulpitio majestatis accusatus, quod Tribunus plebis seditionem excitasset, in qua Scaurus lapide percussus est: à M. Antonio defensus, ab Equitibus absolutus. Multa de hoc judicio habet Cicero in l. 2. de Orat.

8. *Testimonii fulmen.*] Quod inimico animo testimonium dixerit, ideo non probatus est. Ita Cicero pro Fonteio.

9. *M. Marcellum.*] Qui Prætor in Achaia & Græcia fuerat. De Metello, Lucullis & Hortensio jam supra diximus sæpissime.

10. *C. Cornelii.*] Qui Tribunus plebis legem tulit, ne quis nisi à populo legibus solveretur: quare duobus annis post à Cominiis fratribus reus majestatis factus

judiciali repulſa ſunt.

An.M. 3995. Ol. 180. 2. Vrb. C. 690. Ant.Ch. 58.

5. Quid, M. Cicero forenſi militia ſummos honores ampliſſimumque dignitatis locum adeptus, [a] nonne in ipſis eloquentiæ ſuæ caſtris, teſtis abjectus eſt, dum [1] P. Clodium Romæ apud ſe fuiſſe juravit, illo ſacrilegum flagitium uno abſentię argumento tuente? Siquidem judices Clodium inceſti crimine, quam Ciceronem infamia perjurii liberare maluerunt.

An.M. 3991. Ol. 179. 2. Vrb C. 694. Ant.Ch.62.

6. [b] Tot elevatis teſtibus, unum, cujus nova ratione judicium ingreſſa auctoritas confirmata eſt, referam. [2] P. Servilius Conſularis, Cenſorius triumphalis, qui majorum ſuorum titulis *Iſaurici* cognomen adjecit; cum forum præteriens teſtes in reum dari vidiſſet, loco teſtis conſtitit, ac inter ſummam patronorum pariter & accuſatorum admirationem ſic orſus eſt. Hunc ego, Judices, qui cauſam dicit, cujas ſit, aut quam vitam egerit, quamque merito vel injuria accuſetur, ignoro: illud tantum ſcio, cum occurriſſet mihi Laurentina via iter facienti, admodum [3] anguſto loco equo deſcendere noluiſſe. Quod an aliquid ad religionem veſtram pertineat, ipſi æſtimabitis: ego id ſupprimendum non putavi. Judices reum, vix auditis cæteris teſtibus, damnaverunt. Valuit enim apud eos, cum ampliſſimi viri, tum gravis neglectæ dignitatis ejus indignatio: eumque qui venerari Principes neſciret, in quodlibet facinus procurſurum crediderunt.

INTERPRETATIO.

a *Nonne in ipſo foro, ubi eloquentiam ſuam ſæpe oſtentabat, teſtis rejectus eſt.*

b *Tot teſtibus, quibus non eſt creditum, ſubjungam unum, cujus teſtimonium in conſeſſu Iudicum prolatum inſolita forma probatum eſt.*

NOTÆ.

eſt apud Q. Gallum Prætorem.

1. *P. Clodium Romæ apud ſe.*] Cum multis variiſque caſibus nobilitata fuerit M. Ciceronis & P. Clodii inimicitia, operæ pretium futurum me putavi, ſi quænam fuerit illius cauſa, id enim non notum omnibus, breviter explicuerim. Erat Ciceroni maxima cum P. Clodio amicitia; tum quod egregiam contra Catilinæ conjurationem navaſſet operam, tum quod Cicero illius ſororis Clodiæ ingenio & moribus multum delectaretur: haud multo poſt Ciceronis Conſulatum in ſacris Bonæ deæ cum veſte muliebri Clodius domi Cæſaris deprehenditur; illius nomen continuo à Cæſare defertur ad Iudices. Reſpondet Clodius ſe ne Romæ quidem hoc die fuiſſe: tum Ciceronis uxor Terentia, cum timeret vehementer, ne ſe repudiata Clodiam Cicero duceret uxorem, maritum hortatur, ut rem, ſicut erat, aperiat Iudicibus; ille paret uxori, officiorum Clodii immemor, teſtaturque Clodium eo ipſo die ad ſe veniſſe domum: hinc capitale in ipſum odium Clodii, Ciceronis exilium, Clodii cædes, & ingentes ſub hæc in urbe coorti tumultus.

2. *P. Servilius.*] Vacia, qui Conſul anno Vrbis 675. Piratas ſuperavit, validiſſimaſq; eorum urbes Corycum, Olympum & Phaſelin evertit, Iſaurumque ipſam arcem Ciliciæ munitiſſimam, unde Iſaurici cognomen reportavit.

3. *Anguſto loco.*] Id genus honoris civitatis principibus deferri moris erat. Vnde Seneca ep.70. *Si Conſulem video, aut Prætorem, omnia quibus honor haberi ſolet, faciam: equo deſiliam, caput adaperiam, ſemita cedam.*

CAP. VI.

QUI QUÆ IN ALIIS VINDICARANT, IPSI COMMISERUNT.

1. *C. Licinius Hoplomachus.*
2. *C. Marius Cos. vj.*
3. *C. Licinius Calvus Stolo.*
4. *Q. Varius Ibrida.*

NE illos quidem latere patiamur, qui quæ in aliis vindicarant, ipsi commiserunt.

1. C. Licinius cognomine Hoplomachus, à Prætore postulavit, ut patri suo bonis, tanquam ea dissipanti interdiceretur. Et quidem quod petierat, impetravit: sed ipse parvo post tempore, mortuo sene, amplam ab eo relictam pecuniam, latifundiaque festinanter consumpsit. Dignus hac vicissitudine pœnæ fuit: [a] quoniam hæreditatem absumere, quam hæredem maluit tollere.

2. C. autem Marius, cum magnum & salutarem Reipublicæ civem [1] in L. Saturnino opprimendo egisset, à quo in modum vexilli pileum servituti ad arma capienda ostentatum erat: L. Sylla cum exercitu in Urbem irrumpente, ad auxilium servorum [2] pileo sublato confugit. Itaque dum facinus, quod punierat, imitatur; [3] alterum Marium, à quo affligeretur, invenit.

An.M. 3966. Ol. 173. 1. Vrb.C. 665. Ant.Ch. 87.

3. C. vero [4] Licinius Stolo, cujus beneficio plebei petendi Consulatum potestas fama est, cum lege sanxisset ne quis amplius quam quingenta agri jugera possideret, ipse mille comparavit: dissimulandique criminis gratia, dimidiam partem filio emancipavit. Quam ob causam à M Popillio Lenate accusatus, primus sua lege [5] cecidit: ac docuit, nihil aliud præcipi debere, nisi quod prius quisque sibi imperaverit.

An.M. 3693. Ol. 104. 4. Vrb.C. 391. Ant.Ch 360.

4. Q. autem Varius, propter obscurum jus civitatis [6] *Ibrida* cogno-

An.M. 3964. Ol. 172. 3. Vrb.C. 663. Ant.Ch. 89.

INTERPRETATIO.

a *Quoniam maluit bona sua ipse devorare, quam illorum hæredes aliquos relinquere.*

NOTÆ.

1. *In L. Saturnino opprimendo*] Quî oppressus sit Saturninus supra diximus.

2. *Pileo sublato.*] Quod libertatis signum erat. Tres tantum servos se junxisse Mario refert Plutarchus.

3. *Alterum Marium.*] Syllam, à quo urbe pulsus est.

4. *Licinius Stolo.*] Qui Tribunus plebis cum L. Sextio legem tulit, ut alter Consulum à plebe crearetur; cumque repugnarent Patres: ipse, ne quis Magistratus Curulis fieret, impediit, rerumque per quinquennium potitus est: bis etiam postea Consul factus.

5. *Cecidit.*] Damnatus decem millibus æris.

6. *Ibrida.*] Hoc est semicivis; Iber enim in vetere Glossario dicitur ἡμίονος;

minatus, Tribunus plebis legem adversus intercessionem collegarum perrogavit: qua jubebat quæri, quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent, magna cum clade Reipublicæ: [1] sociale enim prius, deinde civile bellum excitavit. Sed dum ante pestiferum Tribunum plebis quam certum civem agit, [a] sua lex eum domesticis laqueis [2] constrictum absumpsit.

INTERPRETATIO.

a *Sua lege, quasi laqueis domi sua paratis constrictus, damnatus est.*

NOTÆ.

hinc Ibridæ quæcunque promiscui generis animalia dicta, ex Plinio l.8. c.53. Quæ vox ad homines ita translata est, ut qui vel ex servo & libertino, vel ex servo & ingenuo, vel ex patre & matre diversæ nationis natus esset, vel uteretur mixto sermonis genere, Ibrida vulgo appellaretur.

1. *Sociale enim prius.*] Sociale Latinorum contra Romanos; *civile* Marii contra Syllam.

2. *Constrictum absumpsit.*] *Varius homo importunissimus summo cruciatu supplicioque periit, qui Drusum ferro, Metellum veneno sustulerat.* Ita Cicero in l.3. de natura deorum: dicit tamen in Bruto, sua lege damnatum urbe excessisse.

CAP. VII.
DE STUDIO ET INDUSTRIA.

ROMANORUM.
1. *M. Catonis Majoris.*
2. *M. Catonis Uticensis.*
3. *M. Terentii Varronis.*
4. *C. Livii Drusi.*
5. *Pauli Senatoris & Pontii Lupi.*
6. *Crassi Muciani.*
7. *Q. Roscii comœdi.*

EXTERNORUM.
1. *Demosthenis Atheniensis.*
2. *Pythagoræ Samii.*
3. *Platonis Atheniensis.*
4. *Democriti Abderitæ.*
5. *Carneadis Cyrenæi.*
6. *Anaxagoræ Clazomenii.*
7. *Archimedis Syracusii.*
8. *Socratis Atheniensis.*
9. *Isocratis Atheniensis.*
10. *Chrysippi Marsensis.*
11. *Cleantis Assii.*
12. *Sophoclis Atheniensis.*
13. *Simonidis Ceii.*
14. *Solonis Atheniensis.*
15. *Themistoclis Atheniensis.*

Quid cesso vires industriæ commemorare? cujus alacri spiritu militiæ stipendia roborantur; forensis gloria accenditur; fido sinu cuncta studia recepta nutriuntur: quicquid animo, quicquid manu, quicquid lingua admirabile est, ad cumulum laudis perducitur. Quæ cum perfectissima sit virtus, [a] eam tamen duramento sui confirmat.

INTERPRETATIO.

a *Eam tamen, dum ipsa perseverat longo tempore, diuturniorem reddit.*

1. Cato sextum & octogesimum annum agens, dum in Republica tuenda juvenili animo perstat, ab inimicis capitali crimine accusatus, [1] suam causam egit. Neque aut memoriam ejus quisquam tardiorem, aut firmitatem lateris ulla ex parte quassatam, aut os hæsitatione impeditum animadvertit. Quia omnia ista in statu suo æquali ac perpetua [2] industria continebat. Quin etiam in ipso diutissime actæ vitæ fine disertissimi Oratoris Galbæ accusationi defensionem suam pro Hispania opposuit. An.M.3894. Ol. 155. 1. Vrb.C. 593. Ant.Ch.159.

Idem [3] Græcis literis erudiri concupivit: quam sero, inde æstimemus, quod etiam Latinas pene jam senex didicit. Cumque eloquentia magnam jam gloriam partam haberet; id egit, ut juris civilis quoque esset peritissimus.

2. Cujus [4] mirifica proles, propior ætati nostræ Cato, ita doctrinæ cupiditate flagravit: ut ne in Curia quidem, dum Senatus cogitur, temperaret sibi, quo minus libros Græcos lectitaret: Quæ quidem industria ostendit, aliis tempora deesse, alios temporibus superesse. An.M.3995. Ol. 180. 2. Vrb.C. 694. Ant.Ch.58.

3. [a] Terentius autem Varro humanæ vitæ exemplum ætatisque spatium nominandus: non annis, quibus [5] seculi tempus æquavit, quam stylo vivacior fuit. In eodem enim lectulo & spiritus ejus, & egregiorum [6] operum cursus extinctus est. An.M.3998. Ol 181. 1. Vrb.C. 697. Ant.Ch.55.

INTERPRETATIO.

a *Terentius autem Varro* quantum *humana vita* in studiorum labore *durare potest pro exemplo afferendus; non vixit diutius, quam scribendo stylum exercuit, licet spatium sæculi æquaverit.*

NOTÆ.

1. *Suam causam egit.*] De Catone Plinius l. 7. c. 27. *Cato primus Porciæ gentis tres summas in homine res præstitisse existimatus est; optimus Orator, optimus Imperator, optimus Senator: quæ mihi omnia etiamsi non prius, attamen clarius fuisse in Scipione Æmiliano videntur. Itaque sit proprium Catonis quater & quadragies causam dixisse; nec quemquam sæpius postulatum, & semper absolutum.*

2. *Industria continebat.*] Dicebat scriptum sibi esse commentarium, cujus præceptis & suam & suorum valetudinem tueretur; è placitis præcipua hæc erant: cibo abstinere nunquam, vesci oleribus & carne anatis, aut palumbi, aut leporis.

3. *Literis Græcis erudiri.*] Idem quidem tradit Cicero in Catone; scribit tamen Plutarchus eum à literis Græcis ita aversum fuisse, ut & filium ab hoc studio avocaret, & prædicaret interdum Romanos illis infectos disciplinis amissuros Imperium.

4. *Mirifica proles.*] Cato Vticensis, non illius filius, sed pronepos.

5. *Sæculi tempus æquavit.*] Annos natus 90. mortuus est, ex Eusebio, post Actiacam victoriam: à Triumviris primum proscriptus; sed deinde, tum Fusci Caleni, apud quem delituit, tum aliorum opera servatus est. Illius imago etiam tum vivi in Bibliotheca ab Asinio Pollione posita est.

6. *Operum cursus.*] Ante annum ætatis 84. ut ipse auctor est, librorum 70. hebdomadas scripserat; & alibi: *Vereor*, inquit, *ne plures sint, qui, quod nimium multa scripserim, reprehendant; quam, quod reliquerim quædam, accusent.* S. Augustinus Varronem tam multa legisse te-

An.M. 3951. Ol. 169. 2. Vrb.C. 650. Ant.Ch.101.

4. Consimilis perseverantiæ [1] Livius Drusus, qui ætatis viribus, & acie oculorum defectus, jus civile populo benignissime interpretatus est: utilissimaque discere id cupientibus monimenta composuit. Nam ut senem illum natura, cœcum fortuna facere potuit: ita neutra interpellare valuit, ne non animo & videret & vigeret.

5. [2] Paulus vero Senator, & Pontius Lupus Eques Romanus, suis temporibus celebres causarum actores, luminibus capti, eadem industria [a] forensia stipendia executi sunt. Itaque frequentius etiam audiebantur, concurrentibus aliis, quia ingenio eorum delectabantur; aliis, quia constantiam admirabantur. Namque tali incommodo perculsi secessum petunt, duplicantque tenebras, fortuitis voluntarias adjicientes.

An.M. 3923. Ol. 162. 2. Vrb. C. 622. Ant.Ch. 130.

6. Jam [3] P. Crassus, cum in Asiam ad Aristonicum Regem debellandum Consul venisset, tanta cura Græcæ linguæ notitiam animo comprehendit, ut eam [4] in quinque divisam genera per omnes partes ac numeros penitus cognosceret. Quæ res maximum ei sociorum amorem conciliavit, qua quis eorum lingua apud tribunal illius postulaverat, eadem decreta reddenti.

An.M. 3986. Ol. 178. 1. Vrb.C. 685. Ant.Ch.67.

7. Ne [5] Roscius quidem subtrahatur scenicæ industriæ notissimum exemplum, qui nullum unquam spectanti populo gestum, nisi quem domi meditatus fuerat, ponere ausus est. Quapropter non ludicra ars Roscium, sed Roscius ludicram artem commendavit: nec vulgi tantum favorem, verum etiam Principum familiaritates amplexus est. Hæc sunt attenti & anxii, & nunquam cessantis studii præmia: [b] propter quæ tantorum virorum laudibus non impudenter se persona histrionis inseruit.

INTERPRETATIO.

a *In foro causas egerunt.*

b *Propter quæ meritus est Roscius histrio cum tot summis viris à nobis laudari.*

NOTÆ.

statur, ut mirum sit aliquid scribere potuisse; tamque multa scripsisse, ut vix quemquam, qui legere queat, reperire sit.

1. *Livius Drusus.*] Pater illius qui bellum sociale excitavit.

2. *Paulus vero Senator.*] Vulgo dicitur *Publius.* At quî solo cognomine dignosci Senator ille possit, cujus ne semel quidem antea meminerit.

3. *P. Crassus.*] Mutianus, cujus mortem narravimus l.3. c.2. n.12.

4. *In quinque divisam.*] In Ionicam, Doricam, Atticam, Æolicam, & Communem.

5. *Roscius.*] Comœdus, eam gloriam consecutus, ut quicunque in histrionica excelleret, is Roscius diceretur, ex Cicerone l.1. de Orat. de quo pro Archia sic loquitur: *Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non moveretur: qui cum esset senex, mortuus; tamen propter excellentem artem & venustatem, videbatur omnino mori non debuisse.*

EXTERNA.

EXTERNA.

1. Græca quoque industria, quoniam nostræ multum profuit, quem meretur fructum Latinæ linguę recipiat. [1] Demosthenes, cujus commemorato nomine, maximæ eloquentiæ consummatio audientis animo oboritur, cum inter initia juventæ, artis, quam affectabat, primam literam dicere non posset, oris sui vitium tanto studio expugnavit, ut ea à nullo expressius efferretur. Deinde propter nimiam exilitatem acerbam auditu vocem suam exercitatione continua ad maturum & gratum auribus sonum perduxit. Lateris etiam firmitate defectus, quas corporis habitus vires negaverat, à labore mutuatus est: Multos enim versus uno impetu spiritus complectebatur, eosque adversa loca celeri gradu scandens pronuntiabat. Ac vadosis littoribus insistens declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat, [a] ut ad fremitus concitatarum concionum patientia duratis auribus uteretur. Fertur quoque ore insertis calculis multum ac diu loqui solitus, quo vacuum promptius esset & resolutius. Pręliatus est contra rerum naturam, & quidem victor abiit, malignitatem ejus pertinacissimo animi robore superando. Itaque alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa est.

An. M. 3964. Ol. 105. 1. Vrb. C. 393. Ant. Ch. 359.

2. Atque ut ad vetustiorem industriæ actum transgrediar, Pythagoras perfectissimum [2] opus sapientiæ à juventa, pariter omnis honestatis percipiendæ cupiditatem ingressus ([b] nihil enim quod ad ultimum sui finem perventurum est, non & mature & celeriter incipit) Ægyptum petiit, ubi literis gentis ejus assuefactus, præteriti ævi sacerdotum commentarios scrutatus, [3] innumerabilium seculorum observationes cognovit. Inde ad Persas profectus, [4] Magorum exactissimæ prudentiæ se for-

An. M. 3514. Ol. 60. 1. Vrb. C. 213. Ant. Ch. 539.

INTERPRETATIO.

a *Ut hac exercitatione aures suas assuefaceret ad clamores plebis concitatæ in concionibus.*

b *Omne enim, quod ad summam perfectionem pervenire debet, & mature, & celeriter fieri incipit.*

NOTÆ.

1. *Demosthenes.*] Cellam ædificavit subterraneam, quo se quotidie conferret ad efformandam, tum vocem, tum actionem; ac ne hinc, etiamsi cuperet maxime, egredi posset, capitis partem alteram rasisse, & duos tresve continuos ibi mansisse menses dicitur.

2. *Opus sapientiæ.*] Sicut Thales Philosophiæ illius, quæ Ionica dicta est; ita Pythagoras Italicæ princeps & auctor extitit. De illo antea.

3. *Innumerabilium sæculorum.*] A primo Rege ad Sethon progenies 341. totidemque Pontifices ac Reges numerabant, quod decem annorum millia conficit, & ab Hercule Ægyptio ad Regem Amasim annorum 17. millia. Ita quidem Herodotus, qui testatur alibi eos decem annorum myriadas numerasse. Ex Cicerone l. 1. de divinat. *Quadringinta septuaginta millia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent.*

4. *Magorum.*] Qui Astrologiæ his temporibus habebantur peritissimi: Babylonem ad Chaldæos venisse tradit Iustinus; inde profectus in Cretam, ut Mi-

mandum tradidit; à quibus siderum motus, cursusque stellarum, & uniuscujusque vim, proprietatem & effectum benignissime demonstratum docili animo hausit. Cretam deinde & Lacedæmona navigavit: quarum legibus ac moribus inspectis, [1] ad Olympicum certamen descendit. Cumque multiplicis scientiæ maxima totius Græcię admiratione specimen exhibuisset: quo cognomine censeretur interrogatus, non se σοφὸν (jam enim illud [2] septem excellentes viri occupaverant) sed φιλόσοφον esse respondit. [3]In Italiæ etiam partem, quæ tunc major Græcia appellabatur, perrexit; in qua plurimis & opulentissimis urbibus effectus suorum studiorum approbavit. Cujus [4] ardentem rogum plenis venerationis oculis [5] Metapontus aspexit: [a] oppidum Pythagoræ quam suorum cinerum

INTERPRETATIO.

a *Oppidum illustrius sepulcro Pythagoræ, quam ex eo quod in cineres redactum sit.*

NOTÆ.

nois, tum Lacedæmona, ut Lycurgi leges cognosceret.

1. *Ad Olympicum certamen.*] Cum frequens sit apud auctores Olympiadum mentio, & nos earum numerum ad marginem adscribamus, operæ pretium est, à quo, quando, ubi institutæ sint, quæque ad earum cognitionem pertineant, explicare paucis; totum vero hunc locum ex nostris ad Iustinum notis ad verbum describimus. 1. Ludi Olympici, teste Pausania, ab Hercule uno ex Idæis Dactylis instituti: tum à Pelope; deinde ab Hercule posteriore: demum ab Iphito Eliensi, uno ex posteris Herculis, si Eusebio credimus, restaurati sunt. 2. Iphitus eos ludos restituit post annos à prima institutione 424. ut ait Clemens Alex. vel, ut Beda, 450. vel, ut Eusebius, 340. anno mundi 3170. 3. Non tamen ab Iphito apud Græcos per Olympiadas anni numerari cœperunt, sed à decima tertia Olympiade, ut vult Callimachus apud Eusebium; vel à vigesima septima, ut testantur Aristodemus & Polybius, quod verius putem: qua Olympiade vicit in agone gymnico Chorœbus Eliensis, anno mundi 3278. à Mose 815. ex S. Cyrillo; excisæ Troję 408. ex Dionysio; ante Christum 774 ante Romam conditam 27. quo anno cœperunt & præmia proponi, & nomina victorum inscribi in tabulis & columnis, quales erant eæ, quibus Athenis & leges, & deorum festa proponebantur. 4. A Luna, quæ Olympias à Græcis dicebatur, Olympiadis nomen ductum esse tradit Africanus apud Georgium Monachum; sed à loco ipso nomen ludicris illis inditum probabilius dixerim: videlicet ab Olympia urbe, propter quam in agro Pisano, non procul ab Elide, ad Alpheum fluvium, propter lucum oleastro vestitum, quinto quoque anno ineunte, sub æstivum solstitium illi ludi celebrari solebant, in honorem Iovis Olympici. 5. Præcipuum & antiquissimum certamen cursus fuit: post cestus, saltus, discus, & palæstra addita sunt; ita ut hi ludi pentathlo constarent. 6. Moris erat victores oleagina corona donari, & quasi triumphantes quadrigis per urbes invehi, constitutisque in perpetuum frui vectigalibus. Sed hæc hactenus.

2. *Septem excellentes viri.*] Thales, Solon, Chilon, Pittacus, Bias, Cleobulus, & Periander. De quibus supra.

3. *In Italiæ partem.*] Crotona venit, ex Iustino, ubi scripsit leges, civesque ad modestiam & justitiam revocavit; & post annos viginti secessit Metapontum.

4. *Ardentem rogum.*] Multas de illius morte opiniones refert Laërtius; quarum quæ verior sit, obscurum est: vel in delubro Musarum, cum 40. dies inimicorum metu ibi perstitisset, ut auctor est Dicæarchus; vel Metaponti, cum vivere diutius nollet, ut placet Heraclidi, inedia periit; vel à Syracusanis, contra quos Agrigentis auxilio venerat, ex Hermippo; vel, ex aliis, ab inimicis, dum Crotoniatas fugit, occisus est.

5. *Metapontus.*] Vrbs Lucaniæ in ora sinus Tarentini. *Torre di mare.*

nobilius clariusve monumento.

3. Plato autem patriam Athenas, [1] præceptorem Socratem sortitus, & locum & hominem doctrinæ fertilissimum; ingenii quoque divina instructus abundantia: cum omnium jam mortalium sapientissimus haberetur, eo quidem usque, ut si ipse Jupiter cœlo descendisset, nec elegantiore, nec beatiore facundia usurus videretur: Ægyptum peragravit, dum à sacerdotibus ejus gentis [2] Geometriæ multiplices numeros, atque cœlestium observationum rationem percipit. Quoque tempore à studiosis juvenibus certatim Athenæ Platonem Doctorem quærentibus petebantur: ipse [3] Nili fluminis inexplicabiles ripas, vastissimosque campos, effusam barbariem, & [4] flexuosos fossarum ambitus Ægyptiorum senum discipulus lustrabat. Quo minus miror eum in Italiam transgressum, ut [5] ab Archita Tarenti, [6] à Timæo, & Arione, & [7] Cæto Locris Pythagoræ præcepta & instituta acciperet. Tanta enim vis, tanta copia literarum undique colligenda erat, ut invicem per totum terrarum orbem dispergi & dilatari posset. [a] Altero etiam & octogesimo anno decedens sub capite [8] Sophronis mimos habuisse fertur: sic ne extrema quidem ejus hora agitatione studii vacua fuit.

An.M.3686.
Ol. 103. 1.
Vrb. C. 385.
Ant.Ch.367.

4. [b] At [9] Democritus, cum divitiis censeri posset, quæ tantæ fue-

An.M.3590.
Ol. 79. 1.
Vrb.C. 289.
Ant.Ch.463.

INTERPRETATIO.

a *Ipse enim moriens anno octogesimo secundo ætatis dicitur habuisse sub capite versus à Sophrone compositos.*

b *At Democritus, qui ob ingentes divitias plurimi fieri poterat.*

NOTÆ.

1. *Præceptorem Socratem.*] Annum agens vigesimum audivit Socratem, illoque mortuo Cratylum & Hermogenem: tum ad Euclidem Megaram se contulit; hinc Cyrenen ad Theodorum Mathematicum; post in Ægyptum ad Sacerdotes; inde in Italiam ad Pythagoræos: Athenas denique reversus docuit in Academia.

2. *Geometriæ.*] Quæ in Ægypto floruit; quod, cum tota hæc regio singulis annis à Nilo mergeretur, ad dignoscendos agrorum fines maxime necessaria visa est.

3. *Nili fluminis.*] Nilus Africæ fluvius maximus, cujus fontes veteribus ignoti, superiori demum sæculo reperti sunt; oritur ex montibus Lunæ, unde in lacum Zambre illapsus Æthiopiam & Ægyptum duas in partes dividit, & propter Memphim multos in alveos diffluens, septem maxime ostiis mari Mediterraneo miscetur: ostiorum extrema sunt Canopicum ad Occidentem, & Pelusiacum ad Orientem. De Nili miraculis Cicero poëma fecerat, quem Nilum inscripsit, teste Capitolino, in Gordianis.

4. *Flexuosos fossarum.*] Constat enim Ægyptum fossarum plenam, quæ aquas exciperent: quod ex Iustino intelligere licet.

5. *Ab Archita.*] Tarentino: & suæ civitatis & Pythagoræorum tum facile princeps erat.

6. *A Timæo.*] Qui, teste Suida, Pythagoræ vitam jam scripserat, & cujus nomine ipse postea Plato librum inscripsit.

7. *Cæto Locris.*] Cæti Pythagoræi nusquam fit mentio; sed Echecratis, cujus etiam meminit Cicero l. 5. de finibus: quare in libro veteri non *Cæti* sed *Echecrati* legatur; hic *Echecratis* legendum puto.

8. *Sophronis mimos.*] Non *numeros.* Sophron enim Mimographus fuit, ex Laërtio.

9. *Democritus.*] Abderites. Postquam

runt, ut pater ejus Xerxis exercitui epulum dare ex facili potuerit, quo magis vacuo animo studiis literarum esset operatus, parva admodum summa retenta, patrimonium suum patriæ donavit. Athenis autem compluribus annis moratus, omnia temporum momenta ad percipiendam & exercendam doctrinam conferens, ignotus illi urbi vixit; quod ipse in quodam volumine testatur. Stupet mens admiratione tantæ industriæ, & jam transit alio.

5. [1] Carneades laboriosus & diuturnus sapientiæ miles; siquidem nonaginta expletis annis, idem illi vivendi ac philosophandi finis fuit: Ita se mirificum doctrinæ operibus addixerat, ut cum cibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhærens, manum ad mensam porrigere oblivisceretur. Sed eum Melissa, quam uxoris loco habebat, temperato inter studia non interpellandi, sed inediæ succurrendi officio, dexteram suam necessariis usibus aptabat. Ergo animo tantummodo vita fruebatur, corpore vero quasi alieno & supervacuo circumdatus erat. Idem cum [2] Chrysippo disputaturus, [3] helleboro se ante purgabat, [a] ad exprimendum ingenium suum attentius, & illius refellendum acrius: quas potiones industria solidæ laudis cupidis effecit appetendas.

An.M. 3870. Ol. 149. 1. Vrb.C. 569. Ant.Ch. 183.

6. Quali porro studio [4] Anaxagoram flagrasse credimus? qui cum è diutina peregrinatione patriam repetisset, possessionesque desertas vidisset, Non essem, inquit, ego salvus, nisi istæ periissent. [b] Vocem petitæ sapientiæ compotem. Nam si præsidiorum potius, quam ingenii culturæ vacasset; dominus rei familiaris intra penates mansisset, nec

An.M. 3587. Ol. 78. 2. Vrb.C. 186. Ant.Ch. 466.

INTERPRETATIO.

a *Vt mentem suam attentiorem redderet, & rationes Chrysippi facilius refutaret.*

b *Vocem sapientia ab eo acquisita plenam.*

NOTÆ.

Athenis multos annos studuit, reversus in patriam, ex hortulo sibi selegit cellulam; cumque si quid audiret accidisse novi, in risum solveretur, illum insanire Abderitæ crediderunt: at vocatus ad eum curandum Hippocrates, Abderitas magis quam Democritum insanire judicavit. Atomis omnia constare docuit. Tradunt Cicero & Gellius Democritum se occœcasse ad rimanda secreta naturæ.

1. *Carneades.*] Cyrenæus novæ Academiæ princeps, Chrysippi maxime studiosus. Legatus Romam missus est cum Diogene Stoïco. In Senatu M. Cato dixisse fertur, ab eo cavendum esse, qui eloquentia quæcunque vellet, impetrare posset.

2. *Chrysippo.*] Non cum Chrysippo, sed cum Zenone disputasse Carneadem perhibet Plinius & Laërtius. Chrysippus Asianus Philosophus fuit, patria Tarsensis, Cleanthi in Schola Stoïcorum successor.

3. *Helleboro.*] Non helleborum, sed acetum adhibuisse docet Varro: id tamen ab aliis Pythagoræ, ab aliis Chrysippo tribuitur. Hellebori duæ sunt species, candidi & nigri, ex Plinio l. 25. c. 13. candidum præstantissimum, quod in Anticyra nascitur.

4. *Anaxagoram.*] Clazomenium Philosophum, cujus jam meminimus.

tantus Anaxagoras ad eos rediisset.

7. [1] Archimedis quoque fructuosam industriam fuisse dicerem, nisi eadem illi & dedisset vitam, & abstulisset. Captis enim Syracusis, Marcellus machinationibus ejus multum ac diu victoriam suam inhibitam senserat: eximia tamen hominis prudentia delectatus, ut capiti illius parceretur, edixit; pene tantum gloriæ in Archimede servato, quantum in oppressis Syracusis reponens. At is dum animo & oculis in terram defixis formas describit, militi qui prædandi gratia domum irruperat, strictoque super caput gladio, quisnam esset, interrogabat: propter nimiam cupiditatem investigandi quod requirebat, nomen suum indicare non potuit. Sed protracto manibus pulvere, [2] Noli, inquit, obsecro, istum disturbare: Ac perinde quasi negligens imperii victoris, obtruncatus, sangnine suo artis suæ lineamenta confudit. Quo accidit, ut propter idem studium modo donaretur vita, modo spoliaretur.

An.M. 3840. Ol. 141. 3. Vrb. C. 539. Ant.Ch. 213.

8. Socratem etiam constat ætate provectum [3] fidibus tractandis operam dare cœpisse: satius judicantem, ejus artis usum sero, quam nunquam percipere. Et quantula Socrati accessio ista futuræ scientiæ erat? sed pertinax hominis industria, tantis doctrinæ suæ divitiis etiam Musicæ rationis utilissimum elementum accedere voluit. Ergo dum ad discendum semper se pauperem credidit, ad docendum fecit se locupletissimum.

An.M. 3650. Ol. 94. 1. Vrb.C. 349. Ant.Ch. 403.

9. Atque ut longæ & felicis industriæ quasi in unum acervum exempla redigamus, Isocrates nobilissimum librum, qui inscribitur [4] Παναθηναϊκὸς, quartum & nonagesimum annum agens, ut ipse significat, composuit, opus ardentis spiritus plenum. Ex quo apparet, senescentibus membris eruditorum, intus animos industriæ beneficio florem juventæ retinere. Neque hos stylo terminos vitæ suæ clausit: nam-

An.M. 3711. Ol. 109. 2. Vrb.C. 410. Ant.Ch. 342.

NOTÆ.

1. *Archimedes.*] Civis Syracusanus, qui lapidibus, telis, missilibus Romanos sæpe ab urbe repulit; ita ut Marcellus interdum diceret: *Næ ille fabulosos centimanos superat, qui tantam vim uno tempore telorum ingessit.* Tantusque timor Romanos incesserat, ut si vel funiculum, vel exiguum lignum ex muro conspexissent, continuo Archimedem inclamantes, aufugerent.

2. *Noli, inquit, obsecro.*] Duplex potissimum apud Plutarchum de Archimedis cæde sententia; quarum altera vult ipsum à milite domi confossum, dum ducit lineas, illumque orat obnixe, ut sustineat paulisper, ne quod quærebat relinqueret imperfectum; altera vero, illum quidem militi, ut quamprimum ad Marcellum pergeret, imperanti paruisse: sed cum horologia, sphæras, aliaque id genus sub veste deferret, à militibus qui aurum ab eo occultari putabant, trucidatum esse.

3. *Fidibus tractandis.*] Vt sciret canere fidibus. In convivio invitatus, ut caneret, fidibus se nescire respondit: quod à nonnullis risu exceptum, ad Musicam perdiscendam illum impulit.

4. Παναθηναϊκὸς.] Græciæ totius, & præcipue Atheniensium res præclare gestas continet. De Isocrate supra.

que admirationis ejus fructum quinquennio percepit.

An.M. 3841. Ol. 141. 4. Vrb.C. 540. Ant.Ch.212.

10. [a] Citerioris ætatis metas, sed non parvi tamen spatii Chrysippi vivacitas flexit: nam octogesimo anno cœptum, unde quadragesimum λογικῶν exactissimæ subtilitatis volumen reliquit. [b] Cujus studium in tradendis ingenii sui monimentis tantum operæ laborisque sustinuit; ut [1] ad ea quæ scripsit penitus cognoscenda, longa vita sit opus.

An.M. 3780. Ol. 126. 3. Vrb.C. 47. Ant.Ch.273.

11. Te quoque [2] Cleanthe tam laboriose haurientem, & tam pertinaciter tradentem sapientiam, numen ipsius industriæ suspexit: cum adolescentem quæstu [3] extrahendæ aquæ nocturno tempore inopiam tuam sustentantem, diurno Chrysippi præceptis percipiendis vacantem, eundemque ad undecentesimum annum attenta cura erudientem auditores tuos videret: Duplici enim labore unius seculi spatium occupasti, incertum reddendo, discipulus-ne an præceptor esses laudabilior.

An.M.3647. Ol. 93. 2. Vrb C.346. Ant.Ch.406.

12. [c] Sophocles quoque gloriosum cum rerum natura certamen habuit; tam benigne mirifica opera illa sua exhibendo, quam illa operibus ejus tempora liberaliter subministrando: Prope enim centesimum annum attigit, sub ipsum transitum ad mortem [4] OEdipode Coloneo scripto; qua sola fabula omnium ejusdem studii Poëtarum præripere gloriam potuit: Idque ignotum esse posteris filius Sophoclis Iophon noluit, sepulcro patris, quæ retuli, insculpendo.

INTERPRETATIO.

a *Licet vita Chrysippi brevior fuerit, quam Isocratis, diuturno tamen tempore vixit.*

b *Qui tanto studio, tantoque labore incubuit libris scribendis, qua ipsius ingenii monumenta futura erant.*

c *Sophocles videtur illustre certamen habuisse cum ipsa rerum natura; quod & ille admirabilia opera sua magna cum facilitate protulerit, & ipsa* natura *ad illa opera scribenda longa vita tempus ei liberaliter concesserit.*

NOTÆ.

1. *Ad ea quæ scripsit.*] Septingenta volumina edidit; magna testimoniorum copia uti solebat, ita ut in opusculis Medeam Euripidis integram insereret: unde non illepide de illo Apollodorus: *Si quis tollat de Chrysippi libris quæ aliena sunt, charta illi vacua relinquetur.* In Dialectica tamen præcelluit.

2. *Cleanthe.*] Primum pugil, tum Zenonis discipulus, & Chrysippi præceptor, non auditor, ut vult Valerius.

3. *Extrahendæ aquæ.*] Accusatus, quod nimio plus robustus esset, hortulano, apud quem id muneris præstabat, teste usus est, vitæque illius rationem admirati Areopagitæ, decem minas illi dari jusserunt: ne vero eas acciperet, vetuit Zeno. Quæ à Præceptore audierat, ossibus boum & testis fictilibus perscripsisse dicitur, cum pecunia unde emeret chartas, non suppeteret.

4. *OEdipode Coloneo.*] Cum propter studium rem familiarem negligere videretur, à filiis in judicium vocatus, ut illum, quasi desipientem, à re familiari removerent Iudices: tunc senex dicitur eam fabulam, quam habebat in manibus, & proxime scripserat, recitasse Iudicibus, quæsiisseque, num carmen illud desipientis esse videretur? quo recitato, sententiis Iudicum est liberatus. Ita Cicero in Catone.

13. [1] Simonides vero Poëta octogesimo anno & docuisse se carmina, & in eorum certamen descendisse ipse gloriatur: nec fuit iniquum, illum voluptatem ex ingenio suo diu percipere, cum eam omni ævo fruendam traditurus esset. An. M. 3502. Ol. 57. 1. Vrb. C. 201. Ant.Ch.551.

14. Jam Solon quanta industria flagraverit, & [2] versibus complexus est, quibus significat se quotidie aliquid addiscentem senescere, & supremo vitæ die confirmavit. Quum assidentibus amicis, & quadam de re sermonem inter se conferentibus, fatis jam pressum caput erigeret: interrogatus, quapropter id fecisset, respondit; Ut cum istud, quicquid est, de quo jam disputatis, percepero, [3] moriar. [a] Migrasset profecto ex hominibus inertia, si eo animo vitam ingrederemur, quo eam Solon egressus est. An.M.3489. Ol. 53. 4. Vrb.C. 188. Ant.C.564.

15. Quam porro industrius Themistocles, qui maximarum rerum cura districtus, [4] omnia tamen civium suorum nomina memoria comprehendit: Per summamque iniquitatem patria pulsus, & ad Xerxem, quem paulo ante devicerat, confugere coactus, prius quam in conspectum ejus veniret, Persico sermoni se assuefecit, ut labore parta commendatione, regiis auribus familiarem & assuetum sonum vocis adhiberet. An.M. 3590. Ol. 79. 1. Vrb.C. 289. Ant.Ch.463.

16. Cujus utriusque industriæ laudem duo Reges partiti sunt; [5] Cyrus omnium militum suorum nomina; Mithridates duarum & viginti gentium, quæ sub regno ejus erant, linguas ediscendo. Ille, ut sine monitore exercitum salutaret: hic, ut eos quibus imperabat, sine interprete alloqui posset. An.M.3517. Ol. 60. 4. Vrb C. 216. Ant.Ch.536. An.M.3980. Ol.176. 3. Vrb C. 679. Ant.Ch.73.

INTERPRETATIO.

a *Nulla profecto inter homines jamdiu esset ignavia.*

NOTÆ.

1. *Simonides.*] Poëta Lyricus, de quo l.1. c.8. n.7.

2. *Versibus complexus est.*] Poëma etiam de rebus Atheniensium inceperat; quod si absolvisset, non minor Homero, aut Hesiodo futurus, inquit Plato.

3. *Moriar.*] Cum inaudisset assidentes amicos de re quapiam submisse, ne ipsi molestiam parerent, disputantes; erecto, ut potuit, semimortuo capite, rogavit eos, ut aliquanto loquerentur elatius; sibi, si etiam moriens aliquid discere potuisset, discessum è vita jucundiorem fore.

4. *Omnium civium nomina.*] Tanta memoria Themistoclem fuisse scribit Cicero, ut essent plura, quæ dediscere, quam quæ discere cuperet. De Themistoclis exilio consule l.5. c.3. n.3.

5. *Cyrus.*] Senior; de quo l.1. c.7. n.5. diximus. De Mithridate vero lib.1. cap.8. num.13.

CAP. VIII.

Cap. VIII.

DE OTIO LAUDATO.

In Romanis.	In Externis.
1. *P. Æmiliano & C. Lælio.*	1. *Socrate Atheniensi.*
2. *Q. Mutio Scævola Augure.*	2. *Achille Homerico.*

OTium, quod industriæ, & maxime studio contrarium videtur, subnecti breviter debet; non quo evanescit virtus, sed quo recreatur. Alterum enim etiam inertibus vitandum; alterum strenuis quoque interdum appetendum est: Illis, ne vitam enervem exigant: his, ut tempestiva laboris intermissione ad laborandum fiant vegetiores.

An.M. 3860. Ol. 146. 3. Vrb.C. 559. Ant.Ch. 193.

1. Par veræ amicitiæ clarissimum [1] Scipio & Lælius, cum amoris vinculo, tum etiam omnium virtutum inter se juncti societate, ut actuosæ vitæ iter æquali gradu exequebantur, ita animi quoque remissioni communiter acquiescebant. Constat namque eos Cajetæ & [2] Laurenti vagas littoribus [3] conchulas & umbilicos lectitasse: Idque se [4] L. Crassus ex socero suo Q. Scævola, qui gener Lælii fuit, audisse sæpenumero prædicavit.

An.M. 3894. Ol. 155. 1. Vrb. C. 593. Ant.Ch. 159.

2. Scævola autem quietæ remissionis eorum certissimus testis, optime pila lusisse traditur: quia videlicet ad hoc diverticulum animum suum forensibus ministeriis fatigatum, transferre solebat. [5] Alveo quoque & calculis vacasse interdum dicitur; cum bene ac diu jura civium, & cæremonias Deorum ordinasset: ut enim in rebus seriis Scævolam, ita & in scurrilibus lusibus hominem agebat, quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinit.

Notæ.

1. *Scipio & Lælius.*] Cave ne credas hic agi de Africano majore & Lælio illius Legato: quod jam semel monuimus: agitur enim de Scipione Æmiliano & Lælio Sapiente, qui alterius Lælii vel filius, vel nepos fuit.

2. *Laurenti.*] Latii oppidum fuit ad maris littus. *S. Lorenzo.*

3. *Conchulas & umbilicos.*] Alii *obeliscos*, alii *calculos* legunt; melius legeris, *umbilicos*: parvi sunt, rotundi, nitidioresque calculi, quibus etiam libros olim decorare mos erat: unde Martialis l. 1. *Nec umbilicis cultus, atque membrana.*

4. *Lucius Crassus.*] Orator; & *Scævola* Augur: Crassus enim Scævolæ, & Scævola Lælii gener erat.

5. *Alveo & calculis.*] Hoc est tesseris, vel taxillis.

EXTERNA.

EXTERNA.

1. Idque vidit, cui nulla pars sapientiæ obscura fuit, Socrates: ideoque non erubuit tunc, cum interposita arundine cruribus suis, cum parvulis filiolis ludens ab Alcibiade risus est. An.M.3640. Ol. 91. 3. Vrb.C.339. Ant.Ch. 415.

2. Homerus quoque ingenii cœlestis vates non aliud sensit, vehementissimis [1] Achillis manibus canoras fides aptando, ut earum militare robur leni pacis studio relaxaret. An.M. 3132. Ant.Ch.931.

NOTÆ.

1. *Achillès.*] Pelidis & Thetidis filius à Poëtis fingitur; & Græcorum, ut Trojanorum Hector, fortissimus; cum Homeri, tum Poëtarum omnium carminibus celebratissimus.

CAP. IX.

DE VI ELOQUENTIÆ.

IN ROMANIS.	IN EXTERNIS.
1. *MV. Valer. Max. Dict.*	1. *Pisistrato Atheniensi.*
2. *M. Antonio Oratore.*	2. *Pericle Atheniensi.*
3. *C. Aurelio Cotta.*	3. *Hegesia Cyrenaico.*

POtentiam vero eloquentiæ, etsi plurimum valere animadvertimus; tamen sub propriis exemplis, [a] quo scilicet vires ejus testatiores fiant, recognosci convenit.

1. Regibus exactis, plebs diffidens à Patribus, juxta ripam fluminis [1] Anienis in colle, qui Sacer appellatur, armata consedit. Eratque non solum deformis, sed etiam miserrimus Reipublicæ status: à capite ejus cætera parte corporis pestifera seditione divisa. Ac ni [2] Valerii subvenisset eloquentia, spes tanti imperii in ipso pene ortu suo corruisset. Is namque populum nova & insolita libertate temere gaudentem, oratione ad meliora & saniora consilia revocatum, Senatui subjecit, id est, urbem urbi junxit. Verbis ergo facundis ira, consternatio, & arma cesserunt. An.M. 3562. Ol. 72. 2. Vrb.C.261. Ant.Ch.491.

INTERPRETATIO.

a *Vt illius vis magis perspiciatur.*

NOTÆ.

1. *Anienis.*] Nobilis est Italiæ fluvius, qui non procul ab urbe in Tiberim influit. *Teverone.*

2. *Valerii.*] Non Valerius, sed Menenius Agrippa, ut supra diximus, populum in urbem reduxit.

An.M. 3968. 2. Quæ etiam Marianos Cinnanosque mucrones civilis perfundendi
Ol. 173. 3. sanguinis cupiditate furentes, inhibuerunt. Missi enim à sævissimis du-
Vrb C. 667. cibus [1] ad M. Antonium obtruncandum, sermone ejus [2] obstupefacti
Ant.Ch.85. destrictos jam & vibrantes gladios cruore vacuos vaginis reddiderunt. Quibus digressis, [3] P. Antronius ([a] is enim solus in ambitu expers Antonianæ vocis steterat) crudele imperium truculento ministerio peregit. Quam disertum igitur eum fuisse putemus, quem ne hostium quidem quisquam occidere sustinuit, qui modo vocem ejus ad aures suas voluit admittere!

An.M.3977. 3. Divus quoque Julius, quam cœlestis numinis, tam etiam hu-
Ol.175. 4. mani ingenii perfectissimum columen, vim facundiæ propriæ expressit:
Vrb.C.676. dicendo in accusatione [4] Cn. Dolabellæ, quem reum egit, extorqueri
Ant.Ch 76. sibi causam optimam [5] C. Cottæ patrocinio. [b] Siquidem maxima tunc [6] vis eloquentiæ questa est: cujus facta mentione, quoniam domesticum nullum majus adjecerim exemplum, peregrinandum est.

INTERPRETATIO.

a *Is enim solus loquentem Antonium non audierat; quod extra domum foris mansisset.*

b *Siquidem tunc Cæsar, cujus eloquentia maxima erat, questus est; cum vero illius mentionem fecerim, nullumque exemplum domesticum majus possim addere: jam de externorum eloquentia dicendum est.*

NOTÆ.

1. *Milites ad M. Antonium.*] Vbi Marius & Cinna urbe potiti sunt, Orator Antonius apud plebeium aliquandiu delituit: at missus ab eo haud multo post servus, ut à caupone vicino vinum emeret; cum degustaret quam solebat curiosius, vinumque paulo generosius posceret: rogat caupo, quid hoc rei sit? servus illi, ut amico rem omnem, sicut erat, aperit: ille continuo Marium admonet, qui præ lætitia & exclamasse, & manibus plausisse dicitur.

2. *Obstupefacti.*] Vt Antonius orsus est dicere, & mortem deprecari; eum milites nec aspicere, nec attingere ausi defixo in terram obtutu, illacrymari omnes cœperunt.

3. *P. Antronius.*] Annius à Plutarcho vocatur: ad fores substiterat; postquam vero suos vidit re infecta ad se redire, stricto gladio in domum irruit, Antonium obtruncat, illiusque caput defert ad Marium.

4. *Cn. Dolabella.*] Ex gente Cornelia; vir erat Consularis & triumphalis, qui è Macedonia Proconsul nuper redierat.

5. *C. Cottæ patrocinio.*] Fuit ille Orator Hortensii æmulus; de quo Cicero: *Quorum alter remissus & lenis, & propriis verbis comprehendens facile & solute sententiam.*

9. *Vis eloquentiæ questa est.*] Favore enim totius civitatis Dolabella absolutus est: quo vero invidiam fugeret, Cæsar Rhodum secedere statuit.

EXTERNA.

An.M.3488. Ol. 53. 3. Vrb.C. 187. Ant.Ch. 565. 1. Pisistratus dicendo tantum valuisse traditur, ut ei Athenienses

regium imperium [1] oratione capti permitterent: cum præsertim ex contraria parte amantissimus patriæ Solon niteretur. Sed alterius salubriores erant conciones, alterius disertiores: quo evenit, ut alioqui prudentissima civitas libertati servitutem præferret.

2. Pericles autem felicissimis naturæ incrementis, sub [2] Anaxagora præceptore summo studio perpolitus & instructus, liberis Athenarum cervicibus jugum servitutis imposuit: egit enim ille urbem, & versavit arbitrio suo. Cumque adversus voluntatem populi loqueretur, jucunda nihilominus & popularis ejus vox erat. Itaque [3] veteris comœdiæ maledica lingua, quamvis potentiam viri perstringere cupiebat, tamen in labris ejus hominis melle dulciorem lepôrem fatebatur habitare: inque animis eorum, qui illum audierant, quasi aculeos quosdam relinqui prædicabat. Fertur quidam, cum admodum senex, primæ concioni Periclis adolescentuli interesset, idemque juvenis Pisistratum jam decrepitum concionantem audisset; non temperasse sibi quominus exclamaret, Caveri illum civem oportere, quod Pisistrati orationi simillima ejus esset oratio. Nec hominem aut æstimatio eloquii, aut morum augurium fefellit. Quid enim inter Pisistratum & Periclem interfuit? nisi quod ille armatus, hic sine armis [4] tyrannidem gessit.

An.M. 3622. Ol. 87. 1. Vrb. C. 321. Ant.Ch. 431.

3. Quantum eloquentia valuisse Hegesiam [5] Cyrenaicum Philosophum arbitramur, qui sic mala vitæ repræsentabat; ut eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariæ mortis oppetendæ cupiditatem ingeneraret? Ideoque à Rege Ptolemæo ulterius hac de re disserere prohibitus est.

NOTÆ.

1. *Oratione capti.*] Cum tres in urbe factiones essent, quarum uni ipse præerat, sibi ipse plagas imponit, mulisque curulibus provectus in forum, plebis opem implorat; ab adversariis ita se deformatum queritur Reipublicæ causa, cujus in rem Megarense bellum nuper confecerat: nec ipsum sua fefellit opinio; satellites enim obtinuit à populo, & paulo post arcem occupavit & tyrannidem. Primum Homeri libros confusos antea, sic disposuisse ut nunc habemus, auctor est Cicero l.3. de Orat.

2. *Anaxagora.*] Vide l.5. c.10. n.3. & de Pericle lib.2. c.6.

3. *Veteris comœdia.*] Quod his versibus lusit Horatius 1. serm.

Si quis erat dignus describi, qui malus, aut fur,
Aut mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.

4. *Tyrannidem gessit.*] Doctrina, consilio & eloquentia excellens quadraginta annis præfuit Athenis; & urbanis eodem tempore & bellicis rebus. Ita Cicero l.3. de Orat. qui eadem omnino, quæ Valerius, habet.

5. *Cyrenaicum.*] Cyrenaici omnes Philosophi ab Aristippo, qui Cyrene oriundus erat, profluxerant.

CAP. X.

DE PRONUNTIATIONE ET APTO MOTU CORPORIS.

IN ROMANIS.
1. *C. Graccho.*
2. *Q. Hortensio.*
3. *M. Tullio.*

EXTERNO UNO.
1. *Demosthene Atheniensi.*

ELoquentiæ autem ornamenta in pronuntiatione apta, & convenienti motu corporis consistunt: quibus cum se instruxit, tribus modis homines aggreditur, [a] animos eorum ipsa invadendo, horum alteri aures, alteri oculos permulcendos tradendo.

An.M.3929. Ol. 163. 4. Vrb.C. 628. Ant.Ch.124.

1. Sed ut propositi fides in personis illustribus exhibeatur, C. Gracchus eloquentiæ quam propositi felicioris adolescens, quoniam flagrantissimo ingenio cum optimè Rempublicam tueri posset, perturbare impie maluit: quoties apud populum concionatus est, servum post se Musicæ artis peritum habuit, qui [1] occulte eburnea fistula pronuntiationis ejus modos formabat, aut nimis remissos excitando, aut plus justo concitatos revocando: [b] Quia ipsum calor atque impetus actionis, attentum hujusce temperamenti æstimatorem esse non patiebatur.

An.M.3970. Ol. 174. 1. Vrb.C. 669. Ant.Ch. 83.

2. Q. autem [2] Hortensius plurium in corporis decoro motu repositum credens, pene plus studii in eodem elaborando, quam in ipsa eloquentia affectanda impendit. Itaque nescires, utrum cupidius ad audiendum eum, an ad spectandum concurreretur: sic verbis oratoriis aspectus, & rursus aspectui verba serviebant. Itaque constat [3] Æsopum & Roscium ludicræ artis peritissimos viros, illo causas agente, in corona frequenter astitisse; ut foro petitos gestus in scenam referrent.

INTERPRETATIO.

a *Animos eorum ipsa elocutione invadendo, horum altero* sono vocis *aures, altero* gestu corporis *oculos demulcendo:*

b *Quia propter nimium vehementioris actionis impetum non poterat attendere an recte vocis sonum temperaret.*

NOTÆ.

1. *Qui occulte.*] Aliter Ciceroni, aliter Gellio placet. Cicero enim Valerio consentit; Gellius non item: vult enim illum hominem *stetisse in circumstantibus occultius, qui fistula brevi sensim graviusculum sonum inspiraret, ad deprimendum, sedandumque impetum illius vocis.* Ciceroni & Valerio subscribit Quintilianus l.1. de inst. Orat.

2. *Hortensius.*] Vir eloquentiæ laude clarissimus, & Ciceronis æmulus.

3. *Æsopum & Roscium.*] Ille Tragœdus fuit, hic Comœdus: ambo arte sua insignes. De Roscio supra.

3. Jam M. Cicero, quantum [1] in utraque re, de qua loquimur, momenti sit, oratione quam [2] pro Gallio habuit, significavit, [3] M. Calidio accusatori exprobrando, quod præparatum sibi à reo venenum, testibus, chirographis, quæstionibus se probaturum affirmans, remisso vultu, & languida voce, & soluto genere orationis usus esset, pariterque & Oratoris vitium detexit, & causæ periclitantis argumentum adjecit, totum hunc locum ita claudendo: Tu istud M. Calidi nisi fingeres, [4] sic ageres?

An.M. 3980. Ol. 176. 3. Vrb. C. 679. Ant.Ch. 73.

EXTERNA.

1. Consentaneum huic Demosthenis judicium, qui cum interrogaretur, quidnam esset in dicendo efficacissimum, respondit, [5] ἡ ὑπόκρισις. Iterum deinde & tertio interpellatus idem dixit, pene totum se illi debere confitendo. Recte itaque [6] Æschines, cum propter judicialem ignominiam, relictis Athenis, Rhodum petisset, atque ibi rogatu civitatis suam prius [7] in Ctesiphontem, deinde Demosthenis pro eodem orationem clarissima & suavissima voce recitasset; [a] admirantibus cunctis utriusque columinis eloquentiam, sed aliquanto magis Demosthenis, Quid

An.M. 3724. Ol. 112. 3. Vrb. C. 423. Ant.Ch. 329.

INTERPRETATIO.

a *Dum omnes mirarentur eloquentiam amborum illorum Oratorum, sed paulo magis Demosthenis.*

NOTÆ.

1. *In utraque re.*] Et Roscium & Æsopum hoc tempore hujus artis peritissimos Cicero Magistros adhibuit, ut tum vocem, tum motum corporis emendaret. Tullium his verbis alloquitur Plinius l.7. c.30. *Salve primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguaque lauream merite, & facundia literarum Latinarum parens: atque ut Dictator Cæsar hostis quondam tuus, de te scripsit, omnium triumphorum lauream adepte majorem: quanto plus est ingenii Romani terminos in tantum promovisse, quam Imperii.*

2. *Pro Galloi.*] Ille forte qui Proconsul Ciliciæ memoratur Ciceroni epist.13. vel ambitus vel veneficii reus à Cicerone defensus.

3. *M. Calidio.*] Qui Orator, *non unus è multis, sed inter multos singularis*, inquit Cicero in Bruto.

4. *Sic ageres.*] *Tu ista eloquentia aliena hominum pericula defendere acerrime solitus, tuam negligeres? ubi dolor, ubi ardor animi? nulla animi perturbatio; nulla corporis; frons non percussa, non femur; non pedis, quod minimum est, ulla supplosio.*

5. ἡ ὑπόκρισις.] Simulatio vocis & gestus; hoc est, apta pronuntiatio & decens motus.

6. *Æschines.*] Orator Græciæ totius, si Demosthenem exceperis, clarissimus. Postquam absolutus est Ctesiphon, pudore victus cessit Athenis, habuitque ludum tum Rhodi, tum in Ionia, ubi reliquam exegit ætatem.

7. *In Ctesiphontem.*] Non pigebit hoc in loco studiosorum gratia ipsis prope Ciceronis verbis apponere pauca, quæ & ad illustrandum hunc Valerii locum proderunt multum, & argumenti loco poterunt esse Demosthenis orationi *de corona*, quæ in orationibus, ut in tragœdiis OEdipus Sophoclis, ipso Cicerone teste, tenet principatum. Erant duæ leges Athenis, quarum altera cautum erat, ne quis populi scitum faceret, ut quisquam corona do-

si, inquit, ipsum audissetis! Tantus Orator, & modo tam infestus adversarius, sic inimici vim ardoremque dicendi suspexit; ut se scriptorum ejus parum idoneum lectorem esse diceret: expertus acerrimum oculorum vigorem, terribile vultus pondus, accommodatum singulis verbis sonum vocis, efficacissimos corporis motus. Ergo etsi opera illius adjici nihil potest, tamen in Demosthene magna pars Demosthenis abest: quod legitur potius, quam auditur.

NOTÆ.

naretur in Magistratu priusquam rationes retulisset. Altera, ne quis à populo extra concionem corona donaretur. Cum muris reficiendis curator fuisset Demosthenes, eosque refecisset pecunia sua, Ctesiphon scitum fecit. Nullis ab eo rationibus relatis, ut corona aurea in theatro donaretur, atque ita prædicaretur eum donari virtutis ergo, benevolentiæque, quam erga populum Atheniensem haberet. Hunc igitur Ctesiphontem in judicium adduxit Æschines, quod contra leges scripsisset, ut & rationibus non relatis corona donaretur; & ut in theatro: quodque de virtute ejus & benevolentia falsa scripsisset, quoniam Demosthenes nec vir bonus esset, nec bene meritus de civitate. Ita Cicero de opt. gen. dicendi.

CAP. XI.

DE EFFECTIBUS ARTIUM RARIS.

APUD ROMANOS, UT IN
1. *Astrologia C. Sulpicii Galli.*
2. *Aruspicina Spurinæ.*

APUD EXTEROS, UT IN
1. *Astrologia Periclis.*
2. *Pictura Apellis, & Plastice Lysippi.*
3. *Vulcano Alcamenis.*
4. *Venere Praxitelis.*
5. *Neptuno Euphranoris.*
6. *Agamemnone Timantis.*
7. *Equo Nealcis.*

EFfectus etiam artium recogniti possunt aliquid afferre voluptatis, protinusque & quam utiliter excogitatæ sint, patebit: & memoratu dignæ res lucido in loco reponentur, & labor in iis edendis suo fructu non carebit.

An.M. 3886. Ol. 153. 1. Vrb. C. 585. Ant.Ch. 167.

1. [1] Sulpicii Galli maximum in omni genere literarum recipiendo studium plurimum Reipublicæ profuit. Nam cum L. Pauli bellum adversum Regem Persen gerentis, legatus esset, ac serena nocte subito [2] Luna defecisset; eoque veluti diro quodam monstro perterritus exercitus noster, manus cum hoste conserendi fiduciam amisisset; de cœli

NOTÆ.

1. *Sulpicii Galli.*] Qui Consul Ligures domuit. De illo supra.

2. *Luna defecisset.*] Assentitur Valerio Quintilianus; at Livius & Frontinus Lunæ defectum aliquanto ante, ne terrerentur milites, additis etiam illius causis, à Gallo prædictum referunt. Plutarchus vero Sulpicii non meminit, sed narrat

ratione, & siderum natura peritissime disputando, alacrem eum in aciem misit. Itaque illi inclytæ Paulianæ victoriæ liberales artes Galli aditum dederunt: quia nisi ille metum nostrorum militum vicisset, Imperator Romanus vincere hostes non potuisset.

2. Spurinæ quoque in consectandis Deorum monitis efficacior scientia apparuit, quam urbs Romana voluisset. Prædixerat enim C. Cæsari, ut proximos triginta dies quasi fatales caveret, quorum ultimus erat Idus Martiæ. Eo cum forte mane uterque in domum Calvini Domitii ad officium convenisset, Cæsar Spurinæ, Ecquid scis, inquit, Idus Martias jam venisse? & is; Ecquid scis illas nondum præteriisse? Abjecerat alter timorem, tanquam exacto tempore suspecto, alter ne extremam quidem ejus partem periculo vacuam esse arbitratus est. Utinam aruspicem potius augurium, quam patriæ parentem securitas fefellisset! An.M. 4010. Ol.184. 1. Vrb.C. 709. Ant.Ch.43.

NOTÆ.

tantum Paulum Æmilium Astrologiæ peritum undecim juvencas immolasse. De Cæsare & Spurina l.1. c.6. n.13.

EXTERNA.

1. Sed ut alienigena scrutemur, cum [1] obscurato repente sole inusitatis perfusæ tenebris Athenæ solicitudine agerentur, interitum sibi cœlesti denuntiatione portendi credentes; Pericles processit in medium, & quæ à præceptore suo Anaxagora pertinentia ad Solis & Lunæ cursum acceperat, disseruit: nec ulterius trepidare cives suos vano metu passus est. An.M. 3623. Ol. 87. 2. Vrb.C. 322. Ant.Ch. 430.

2. Quantum porro dignitatis à Rege Alexandro tributum arti existimamus; [2] qui se & pingi ab uno Apelle, & fingi à Lysippo tantummodo voluit. An.M. 3720. Ol. 111. 3. Vrb.C. 419. Ant.Ch. 333.

3. [a] Tenet visentes Athenas Vulcanus [3] Alcamenis manibus fabrica-

INTERPRETATIO.

a *Statuam Vulcani ab Alcamene sculptam admirantur omnes qui Athenas invisunt; nam præter cætera perfectissima artis indicia, quæ statim ab aspicientibus videntur, etiam illud admiratione dignum cernitur.*

NOTÆ.

1. *Obscurato Sole.*] Non Athenis tum fuisse Periclem, sed in castris Frontinus, in classe Plutarchus memorat; alteramque alter affert rationem, qua ad sedandum timorem usus sit: nam ex Frontino lapidibus in omnium conspectu collisis excussit ignem; tum omnes docuit haud aliter nubium attritu fulmen excuti. Ex Plutarcho, oculis gubernatoris objecit chlamydem, & ex eo quæsivit, num quid illud portenderet? eo negante quidquam portendi; *Quid autem*, inquit Pericles, *chlamydem inter & illud quod caliginem invexit, interest, nisi quod illud multo chlamyde majus sit.*

2. *Qui se & pingi.*] Idem habent & Cicero l.5. epist. ad Lucceium, & Horatius epist. lib. ultimo. Apelles Cous fuit, Lysippus Sicyonius: ille pingendi, hic fingendi arte præstantissimus. Lysippus ad sexcenta decem signa fecisse traditur.

3. *Alcamenis.*] Qui Statuarius Phidiæ æmulus, ex Plinio l.34.

tus. Præter cætera enim perfectissimæ artis in eo præcurrentia indicia, etiam illud mirantur; quod stat dissimulatæ claudicationis sub veste leviter vestigium repræsentans, ut non tanquam exprobratum vitium, ita tamen certam propriamque Dei notam decore significans.

4. Cujus conjugem [1] Praxiteles in marmore quasi spirantem [2] in templo Gnidiorum collocavit, propter pulchritudinem operis à libidinoso cujusdam complexu parum tutam. Quo excusabilior est error equi, qui visa pictura equæ, hinnitum edere coactus est: & canum latratus aspectu picti canis incitatus: taurusque ad amorem & concubitum æneæ vaccæ Syracusis nimiæ similitudinis irritamento compulsus. Quid enim vacua rationis animalia decepta miremur, cum hominis sacrilegam cupiditatem muti lapidis lineamentis excitatam videamus?

5. Cæterum natura quemadmodum sæpenumero æmulam virium suarum artem esse patitur: ita aliquando irritam fesso labore dimittit: quod summi artificis [3] Euphranoris manus senserunt. Nam cum Athenis duodecim Deos pingeret, Neptuni imaginem quam poterat excellentissimis majestatis coloribus complexus est, perinde ac Jovis aliquanto augustiorem repræsentaturus. Sed omni impetu cogitationis in superiori opere absumpto, posteriores ejus conatus assurgere, quo tendebant, nequiverunt.

6. [4] Quid ille alter æque nobilis pictor, luctuosum [5] immolatæ Iphigeniæ sacrificium referens, cum [6] Calchanta tristem, mœstum Ulyssem, clamantem Ajacem, lamentantem Menelaum circa aram statuisset; caput Agamemnonis involvendo, nonne summi mœroris acerbitatem, arte exprimi non posse confessus est? [a] Itaque pictura ejus arus-

INTERPRETATIO.

[a] *Itaque in illa tabella in qua aruspex, amici & frater lacrymas effundere videntur, pictor reliquit affectui* spectantis *judicandum*, quantus esset *patris luctus*.

NOTÆ.

1. *Praxiteles.*] Marmoris sculpendi insignis artifex, cum multis aliis signis, tum duplici potissimum venere nobilitatus: altera Gnidia, Coa altera.

2. *In templo Gnidiorum.*] Gnidus una ex quinque urbibus Græciæ Doricæ, in extrema peninsulæ parte Cariæ adhærentis.

3. *Euphranoris.*] Isthmii, pingendi & fingendi arte ætate sua laudatissimi, teste Quintiliano l. 12. Id tamen Praxiteli tribuit Pausanias in Atticis.

4. *Quid ille.*] Timanthes fuit.

5. *Immolatæ Iphigeniæ.*] Nota vel pueris fabula. Cum Græci ad Aulidem venissent, cervam Dianæ sacram imprudens occidit Agamemnon; tanta subito malacia oritur, ut naves se movere loco non possent: consulitur oraculum; Dianam Agamemnonio sanguine placandam respondet. Iphigenia illius filia adducitur, jamjamque ad aram mactanda erat, cum in Tauricam regionem translata est, cervaque supposita.

6. *Calchanta.*] Augurem Græcorum clarissimum; Agamemnon, Menelaus, Vlysses Græcorum duces, cum Homeri & Iliade & Odyssea, tum Æneide Virgilii

picis,

picis, amicorum & fratris lacrymis madet, patris fletum ſpectantis, affectui æſtimandum reliquit.

7. Atque ut ejuſdem ſtudii adjiciam exemplum: [1] [a] Præcipuæ artis pictor equum ab exercitatione venientem, modo non vivum, labore induſtriæ ſuæ comprehenderat: cujus naribus ſpumas adjicere cupiens, tantus artifex in tam parvula materia multum ac diu fruſtra tenebatur. Indignatione deinde accenſus, ſpongiam omnibus imbutam coloribus forte juxta ſe poſitam apprehendit, & veluti corrupturus opus ſuum, tabulæ illiſit: Quam fortuna ad ipſas equi nares directam, deſiderium pictoris coëgit explere. Itaque quod adumbrare non valuit, caſus imitatus eſt.

INTERPRETATIO.

a *Eximius pictor equum ab exercitatione redeuntem pinxerat tanta induſtria, ut vivus videretur.*

NOTÆ.

notiſſimi. Idem quod Valerius, in Oratore narrat Cicero.

1. *Præcipua artis pictor.*] Sunt qui Apellem fuiſſe velint; Plinius tamen l.35.c.10. id Neacli in equo, & Protogeni in cane contigiſſe teſtatur.

CAP. XII.

OPTIMIS ARTIUM MAGISTRIS CONCEDENDUM ESSE.

UT FACTUM APUD ROMANOS.

1. *Furio Caſellio in jure Prædiatorio.*

APUD EXTERNOS.

1. *Euclidi in Geometria.*
2. *Philoni in Architectura.*
3. *Apelli in Pictura.*

SUÆ autem artis unumquemque & actorem & diſputatorem optimum eſſe ne dubitemus, paucis exemplis admoneamus.

1. [1] Q. Scævola legum clariſſimus & certiſſimus vates, quotieſcunque de jure prædiatorio conſulebatur, ad Furium & Cæſellium, quia huic ſcientiæ dediti erant, conſultores rejiciebat. Quo quidem facto moderationem magis ſuam commendabat, quam auctoritatem minuebat: ab his id negotium aptius explicari poſſe confitendo, qui quotidiano ejus uſu callebant. Sapientiſſimi igitur artis ſuæ profeſſores ſunt, à quibus & propria ſtudia verecunde, & aliena callide æſtimantur.

NOTÆ.

1. *Q. Scævola.*] Auguris filius; & ipſe dictus Augur. Cæſellii ſupra meminimus.

EXTERNA.

An. M. 3696. Ol. 105. 3. Vrb. C. 395. Ant. Ch. 357.

1. Platonis quoque eruditissimum pectus hæc cogitatio attigit: qui [1] conductores sacræ arcis de modo & forma ejus secum sermonem conferre conatos, [2] ad Euclidem Geometram ire jussit, scientiæ ejus cedens, [3] imo professioni.

2. Gloriantur Athenæ armamentario suo, nec sine causa: est enim illud opus & impensa & elegantia visendum: Cujus architectum Philonem ita facunde rationem institutionis suæ in theatro reddidisse constat, ut disertissimus populus non minorem laudem eloquentiæ ejus, quam arti tribuerit.

An. M. 3711. Ol. 109. 2. Vrb. C. 410. Ant. Ch. 342.

3. Mirifice [4] & ille artifex, qui in opere suo moneri se à sutore de crepida & [5] ansulis passus: de crure etiam disputare incipientem, supra plantam ascendere vetuit.

NOTÆ.

1. *Conductores sacræ arcis.*] Sic quidem emendavit Pighius, arcemque Minervæ intelligit; at quis nescit arcem illam multo ante Platonem extructam esse: quare scriptura vulgata mihi verior videtur, ita ut legendum sit, *Conductores sacræ aræ.* Eamque aram Apollinis fuisse in Delo suspicatur Mitallerius.

2. *Ad Euclidem.*] Vereor, ut hæc tota historia sibi constare possit, cum Euclidis ætati ætas Platonis minime congruat: multo enim Euclide superior Plato fuit. Erat quidem Euclides Platonis tempore, qui Megara singulis noctibus Athenas ad Socratem muliebri veste discendi causa venire solebat: at ille Philosophus fuit, & Megaricorum Philosophorum princeps. Euclides vero Mathematicus, sive Megarensis, sive Gelous fuerit, floruit certe Ptolemæi Lagi temporibus. Quid Valerio in mentem venerit hoc scribere non video; viderint alii.

3. *Imo professioni.*] Quod ipse Philosophiam, Euclides vero Geometriam profiteretur.

4. *Et ille artifex.*] Apelles, qui teste Plinio, pro foribus suis opera sua proponere consueverat, ut ipse pone tabulam latitans, vitia quæ à quoque notarentur, corrigeret: feruntque à sutore reprehensum, quod in crepidis una intus pauciores fecisset ansulas: id quidem emendavit Apelles; at cum postero die sutor idem cruri nonnihil inesse vitii argueret, cum monuit Apelles ne supra crepidam sutor judicaret. Quod in proverbium abiit.

5. *Ansulis.*] Quibus calceamenta & vestimenta nectebantur.

CAP. XIII.

DE SENECTUTE MEMORABILI.

IN ROMANIS.

1. *M. Valerio Corvo sexies Cos.*
2. *L. Metello Pont. Max.*
3. *Q. Fabio Max. Verrucoso.*
4. *M. Perperna Censorio.*
5. *App. Claudio Cæco.*
6. *Mulieribus, Livia, Terentia, & Clodia.*

IN EXTERNIS.

1. *Hierone Siciliæ, & Maßanißa Numidiæ Regibus.*
2. *Gorgia Leontino.*
3. *Xenophilo Chalcidensi.*
4. *Argantonio Gaditanorum Rege.*
5. *Æthiopibus, Indis, & Epimenide Cnosio.*
6. *Gente Epiorum Ætola.*
7. *Danthone quodam, & Lachmiorum Regibus duobus.*

SEnectus quoque ad ultimum sui finem provecta, in hoc eodem tempore, inter exempla industriæ, in aliquot claris viris conspecta est, separatum tamen & proprium titulum habeat: ne, cui Deorum immortalium præcipua indulgentia adfuit, ei nostra ornata mentio defuisse existimetur. Et simul spe diuturnioris vitæ, quasi adminicula quædam dentur: [a] quibus insistens, alacriorem se respectu vetustæ felicitatis facere quis possit: tranquillitatemque seculi nostri, qua nulla unquam beatior fuit, subinde fiducia confirmet, [b] salutaris Principis incolumitatem, ad longissimos humanæ conditionis terminos prorogando.

1. [1] M. Valerius Corvus centesimum annum complevit: cujus inter An.M. 3751.
primum & sextum Consulatum quadraginta septem anni intercesserunt: Ol. 119. 2.
suffecitque integris viribus corporis non solum speciosissimis Reipublicę Vrb.C.450.
ministeriis, sed etiam exactissimæ agrorum suorum culturæ, & civis & Ant.Ch. 302.
patrisfamilias optabile exemplum.

2. Cujus vitæ spatium æquavit [2] Metellus, quartoque anno post An M.4000.
Consularia imperia, senex admodum Pont. Max. creatus, tutelam cæ- Ol. 181. 3.
remoniarum per duos & viginti annos, neque ore in votis nuncupandis Vrb C. 699.
hæsitante, neque in sacrificiis faciendis tremula manu, gessit. Ant. Ch. 53.

3. Q. autem [3] Fabius Max. duobus & sexaginta annis auguratus sa- An. M. 3850.
cerdotium sustinuit, robusta jam ætate id adeptus: quæ utraque tem- Ol. 144. 1.
pora si in unum conferantur, facile seculi modum expleverint. Vrb.C. 549.
Ant Ch. 203.

4. Jam de [4] M. Perperna quid loquar? qui omnibus, quos in Sena- An.M. 3968.
Ol. 173 3.
Vrb.C. 667.
Ant.Ch 85.

INTERPRETATIO.

a *Quibus quivis insistens possit se reddere alacriorem, considerando felicitatem qua multi etiam senes usi sunt.*

b *Extendendo vitam* omnibus *salutarem Principis* nostri Tiberii *ad terminos, quos hominum vita habere potest longissimos.*

NOTÆ.

1. *M. Valerius Corvus.*] Corvinus, de quo idem plane narrant Cicero in Catone, & Plinius l.7. c.48. at eorum uterque inter primum & sextum Consulatum 46. annos numerat: ex fastis Capitolinis 47. annos intercessisse collegit Pighius.

2. *Metellus.*] Pius Numidici filius, & Syllæ socer. Id fere ad verbum exscripsisse videtur Valerius ex Ciceronis Catone.

3. *Fabius Maximus.*] Cunctator. Valerio consentit Livius; Plinius vero annos auguratus 63. habet.

4. *M. Perperna.*] Lectorem hic admonere libitum est, Olîverium virum alio-

tu Consul rogaverat, superstes fuit: septem quoque tantummodo, quos Censor Collega L. Philippi legerat, è Patribus Conscriptis reliquos vidit; toto ordine amplissimo diuturnior.

An.M. 3775. Ol. 125. 2. Vrb. C. 474. Ant.Ch. 278.

5. [1] Appii vero ævum clade metirer, quia infinitum numerum annorum orbatus luminibus exegit; nisi quatuor filios, & quinque filias, [2] plurimas clientelas, rem denique publicam hoc casu gravatus fortissime rexisset. Quin etiam fessus jam vivendo, lectica se in Curiam deferri jussit, ut cum Pyrrho deformem pacem fieri prohiberet. Hunc cœcum aliquis nominet, à quo patria, quod honestum erat, per se parum cernens, coacta est pervidere?

6. Muliebris etiam vitæ spatium non minus longum in compluribus apparuit, quarum aliquas strictim retulisse me satis erit. Nam & [3] Livia Rutilii septimum & nonagesimum, & [4] Terentia Ciceronis tertium & centesimum, & Clodia Aufilii, quindecim filiis ante amissis, quintumdecimum & centesimum explevit annum.

NOTÆ.

quin eruditum, ut in aliis, ita etiam in hoc nomine turpiter lapsum esse: cum enim Romæ quinque, sexve Perpernæ fuerint, quorum duo Consulares, Prætorii alii; tres eorum inter se plane diversos nominum deceptus similitudine confudit. Quem in errorem ne tute ipse incidas, hæc accipe. Tres præcipue homines ab Historicis memorantur, quibus omnibus idem Perpernæ nomen fuit: unus is, qui contra Aristonicum bellum in Asia Consul gessit, & paulo post obiit Pergami; alter Prætorius, qui & Sertorium in Hispania occidit, & jussu Pompeii cæsus est: neuter autem horum ad summam pervenit senectutem; sed tertius Perperna, qui cum Claudio Pulchro Consul, & cum L. Marcio Philippo Censor fuit, mortuusque Romæ est sub initium belli civilis Cæsariani, Lentulo & Marcello Consulibus, annos natus 98. Id ita esse didici, cum ex multis auctoribus, tum maxime ex Plinio l.7. c.48. & Dione l.41.

1. *Appii vero ævum.*] Hunc etiam locum, ut alia multa, Valerius repetiit à Cicerone, qui Appium Pyrrhi bello grandem admodum fuisse ex eo probat; quod *decimo septimo anno post alterum Consulatum, fœderis cum Pyrrho disturbandi gratia*, in Curiam venerit; & inter duos Consulatus anni decem interfuissent, Censorque ante Consulatum superiorem fuisset.

2. *Plurimas clientelas.*] Tenebat enim non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos; metuebant servi, verebantur liberi, charum omnes habebant; vigebat in illa domo, & mos patrius & disciplina. Ita Cicero in Catone. De illius cœcitate & fœdere cum Pyrrho diximus l.1. c.1. n.17.

3. *Livia Rutilii.*] Vxor. Vt enim apud Græcos liberi à parentibus, sic apud Romanos uxores à maritis appellabantur: sic Iulia Pompeii, Cæcilia Crassi, Calphurnia Cæsaris.

4. *Terentia Ciceronis.*] A Cicerone eo nomine repudiata, quod ejus domum ære alieno oppressam reliquisset, nupsit Sallustio: puellam locupletem postea duxit Cicero, quam etiam haud multo post eo dimisit, quod nullum ex Tulliolæ interitu dolorem præ se tulisset.

EXTERNA.

1. Jungam his duos Reges: quorum diuturnitas populo Romano

fuit utilissima. Siciliæ rector [1] Hiero ad nonagesimum annum pervenit. An.M.3838.
Massanisa Numidiæ Rex hunc modum excessit, regni spatium sexaginta annis emensus, vel ante omnes homines robore senectæ admirabilis. Constat eum, quemadmodum Cicero refert libro quem de Senectute scripsit, nullo unquam imbre, nullo frigore, ut caput suum veste tegeret, adduci potuisse. Eundem ferunt aliquot horis in eodem vestigio perstare solitum, non ante moto pede, quam consimili labore juvenes fatigasset: Ac si quid agere assidentem oporteret, toto die sæpenumero nullam in partem converso corpore in solio durasse. Ille vero etiam exercitus equo insidens, noctem diei plerunque jungendo duxit: nihilque omnino ex iis operibus, quæ adolescens sustinere assueverat, quum illam senectutem ageret, omisit. Veneris etiam usu ita semper viguit, ut post sextum & octogesimum annum filium generarit, cui Methymnato nomen fuit. Terram quoque, quam vastam & desertam acceperat, perpetuo culturæ studio frugiferam reliquit.

Ol 141. 1.
Vrb.C. 537.
Ant.Ch. 215.

An.M.3904.
Ol. 157. 3.
Vrb. C. 603.
Ant.Ch.149.

2. [2] Gorgias etiam Leontinus Isocratis, & complurium magni ingenii virorum præceptor, sua sententia felicissimus. Nam cum centesimum & septimum ageret annum, interrogatus, quapropter tamdiu vellet in vita remanere? Quia nihil, inquit, habeo, quod senectutem meam accusem. Quid isto tractu ætatis aut longius, aut beatius? Jam alterum seculum ingressus, neque in hoc querelam ullam invenit, neque in illo reliquit.

An.M.3627.
Ol. 88. 2.
Vrb.C. 326.
Ant.Ch.426.

3. Biennio minor Xenophilus Chalcidensis Pythagoricus, sed felicitate non inferior. Siquidem (ut ait [3] Aristoxenus Musicus) omnis humani incommodi expers, in summo perfectissimæ splendore doctrinæ extinctus est.

4. Arganthonius autem Gaditanus tamdiu regnavit, quamdiu etiam ad satietatem vixisse abunde foret. Octoginta enim annis patriam suam rexit, cum ad imperium quadraginta annos natus accessisset: cujus rei [4] certi sunt auctores. [5] Asinius etiam Pollio non minima pars Romani

NOTÆ.

1. *Hiero.*] Non est hic operę pretium multa de Hierone & Massinissa addere, cum eorum sæpe antea mentionem fecerimus: quæ de Massinissa memorat Valerius, ex Ciceronis Catone, ut ipse indicat, mutuatus est; sicut ea quæ sequuntur de Georgia Leontino.

2. *Georgias Leontinus.*] Empedoclis discipulus, & Isocratis præceptor; cui annos 107. tribuit Cicero, 108. Plinius, 109. Quintilianus.

3. *Aristoxenus.*] Aristotelis discipulus; vir, teste B. Hieronymo, longe doctissimus, qui præter Musica, & Historica & Philosophica scripsit, ex Suida.

4. *Certi sunt auctores.*] Herodotus l.1. Cicero in Catone, Plinius l.7. Lucianus ex Anacreonte illum 150. annos vixisse tradit.

5. *Asinius Pollio.*] Hujus nominis princeps, vir summos honores assecutus; quippe qui duos gesserit Consulatus, & de Dalmatis triumpharit: Antonio ad pugnam Actiacam fidus, Cæsareque ut secum ad bellum veniret hortante: *Mea, inquit, in Antonium merita majora sunt, illius in me beneficia notiora: itaque discrimini vestro me subtraham, & ero præda victoris.*

styli, in tertio historiarum suarum libro centum illum & viginti annos explesse commemorat: [a] & ipse nervosæ vivacitatis haud parvum exemplum.

5. Hujus Regis consummationem annorum minus admirabilem faciunt [1] Æthiopes: quos [2] Herodotus scribit centesimum & vigesimum annum transgredi. Et [3] Indi, de quibus [4] Ctesias idem tradit. Et [5] Epimenides Cnosius: quem [6] Theopompus dicit septem & quinquaginta & centum annos vixisse.

6. [7] Hellanicus vero ait, quosdam ex [8] gente Epiorum, quæ pars

INTERPRETATIO.

[a] *Et ipse magnum exemplum vitæ diuturnæ.*

NOTÆ.

Primus Romæ Bibliothecam aperuit, & res Græcorum Latine scripsit, ut auctor est Suidas. Præter orationes & tragœdiam historiarum libros 17. reliquit. Eum à bello civili scribendo deterret Horatius l. 2. od. 1. *Periculosæ plenum opus aleæ tractas, &c.*

1. *Æthiopes.*] Æthiopia duplex, superior & inferior; prima sub Ægypto inter Nilum & sinum Arabicum, *les Abyssins*: altera extra Aquatorem extenditur, & antiquis ignota fuit, *Monomotapa, Congo, &c.*

2. *Herodotus.*] Halicarnasseus; Artaxerxis Longimani temporibus floruit: temporum omnium memoriam usque ad navalem apud Mycalem pugnam novem libris complexus est, quibus ex singularum Musarum nomine an ipse, an alius quispiam nomen fecerit, obscurum est.

3. *Indi.*] Quorum regio inter flumen Indum ad occasum, & Serum fluvium ad ortum extensa: duas in partes à Gange divisa est. *Indostan.*

4. *Ctesias.*] Cnidius Xenophonti æqualis: in eo quidem prælio, quo Cyrus junior occubuit, à Persis captus est; artis Medicæ peritia Regi commendatus, cum ex vulnere sanavit; tum apud ipsum gratiosus substitit annis septemdecim: quibus Assyria & Persica libris 23. & etiam Indica ex membranis, ut ipse affirmat, regiis conscripsit, In multis ab Herodoto dissidet, veritatis-ne amore, an secus, incertum: magnum enim est eruditis, uter eorum veriora scripserit, disceptandi argumentum. Ctesiam secuti sunt Diodorus Siculus, & Trogus Pompeius; Herodotum plerique alii.

5. *Epimenides Gnossius.*] Cretensis; Pythagoræ ætati suppar, ex Appuleio missus à patre, ut ovem rure deduceret; fessus æstu meridiano divertit in specum, ubi somno captus 77. annos, ex Laërtio, 40. ex Pausania, 47. ex Eudemo, 46. ex aliis dormiisse fertur: experrectus vero, ratus se dormiisse paululum, ovem quærebat; qua non inventa, reversus domum à fratre juniore jam sene vix agnitus est: multa versuum millia scripsit; annos 153. Plinius, 290. Laërtius eum vixisse memorat: eum à Lacedæmoniis interfectum refert Pausanias.

6. *Theopompus.*] Chius, Isocratis discipulus; Philippicam historiam libris 48. summa diligentia composuit: historiæ suæ cum vellet ex sacris literis nonnihil inserere, mentis impos per triginta dies fuisse perhibetur à Iosepho & Agathia.

7. *Hellanicus.*] Ex Hellanico diversa citat Athenæus; quæ an sint Hellanici Mitylenæi, an Milesii, dubium est. Hîc Milesius intelligitur.

8. *Ex gente Epiorum.*] Alii *Epipiorum legunt*; Colerus *Epitiorum*, qui iidem ac Acarnanes; Pighius, *Eliorum*: qui & Epii ab Epeo Rege dicti sunt.

est Ætoliæ, [1] ducentos explere annos, eique subscribit [2] Damasthes, hoc amplius adfirmans, Litorium quendam ex his maximarum virium, staturæque præcipuæ, trecentesimum annum cumulasse.

7. [3] Alexander vero in eo volumine, quod de Illyrico tractu composuit, affirmat Danthona quendam ad quingentesimum usque annum nulla ex parte senescentem processisse. Sed multo liberalius [4] Xenophon, cujus [5] περὶ πλῶς legitur; Insulæ enim [6] Lachmiorum Regem octingentis vitæ annis donavit. Ac ne pater ejus parum benigne acceptus videretur, ei quoque sexcentos assignavit.

NOTÆ.

1. *Ducentos explere annos.*] Hæc omnia fabulosa non immerito scribit Plinius; idque ex varietate provenisse annorum, quos alii sex mensium, alii trium constituissent.

2. *Damasthes.*] Hellanico Milesio æqualis, Hellespontius; Scriptor Straboni minus probatus: illius meminerunt & Dionysius & Stephanus.

3. *Alexander.*] Cornelius Alexander vocatur à Plinio: illius, ni fallor est mentio apud Strabonem l.13. Illius verba nihil opus est adscribere.

4. *Xenophon.*] De quo l.6. c.10. jam diximus. Thucydidis ἑλληνικὰ persecutus est; scripsit etiam & Κύρου junioris ἀνάβασιν, & senioris παιδείαν: at non ad historiæ fidem, sed ad effigiem justi imperii.

5. περὶ πλῶς.] Citatur quidem à Plinio Xenophon in periplo; vulgo tamen legitur περὶ γήρως.

6. *Lachmiorum.*] Hæc scriptura vera est & germana, licet alii *Lamorum*, alii *Maritimorum* legant.

CAP. XIV.

DE CUPIDITATE GLORIÆ.

IN ROMANIS.

1. *P. Africano majore.*
2. *D. Bruto Gallaico.*
3. *Cn. Pompeio Magno.*
4. *Sulla Felice.*
5. *Equite quodam.*
6. *C. Fabio Pictore.*

IN EXTERNIS.

1. *Themistocle Athenensi.*
2. *Alexandro Magno.*
3. *Aristotele Stagirite.*
4. *Pausania Macedone.*
5. *Herostrato.*

GLoria autem unde oriatur, aut cujus sit habitus, aut qua ratione debeat comparari, & [a] an melius à virtute ac veluti non necessaria, negligatur; viderint ii, quorum in contemplandis hujusmodi rebus cura teritur: quibusque illa quæ prudenter animadverterunt, facunde contigit eloqui. Ego in hoc opere factis auctores, & auctoribus facta sua reddere contentus, quanta cupiditas ejus esse soleat, pro-

INTERPRETATIO.

a *An quasi non necessaria sapientius negligatur ab homine virtutis studioso.*

priis exemplis demonstrare conabor.

An.M.3864. Ol. 147. 3. Vrb C. 163. Ant.Ch.189.

1. Superior Africanus [1] Ennii Poëtæ effigiem [2] in monumentis Corneliæ gentis collocari voluit, quod ingenio ejus opera sua illustrata judicaret. Non quidem ignarus quamdiu Romanum Imperium floreret, & Africa Italiæ pedibus esset subjecta, totiusque terrarum orbis summum columen arx Capitolina possideret, eorum extingui memoriam non posse: Si tamen literarum quoque lumen illis accessisset, magni æstimans. Vir Homerico, quam rudi atque impolito præconio dignior.

2. Similiter honoratus animus erga Poëtam [3] Accium D. Bruti suis temporibus clari ducis extitit: cujus familiari cultu, & prompta laudatione delectatus, ejus versibus templorum aditus, quæ ex manubiis consecraverat, adornavit.

3. Ne Pompeius quidem Magnus ab hoc affectu gloriæ aversus: qui [4] Theophanem Mitylenæum scriptorem rerum suarum in concione militum civitate donavit, beneficium per se amplum, accurata etiam & testata oratione prosecutus: Quo effectum est; ut ne quis dubitaret quin referret potius gratiam, quam inchoaret.

4. L. autem Sulla, etsi ad neminem scriptorem animum direxerit; tamen Jugurthæ [5] à Boccho Rege ad Marium perducti totam sibi laudem tam cupide asseruit, ut annulo, quo signatorio utebatur, [6] insculptam illam traditionem haberet. Et quantus postea! ne minimum quidem gloriæ vestigium contempsit.

NOTÆ.

1. *Ennii Poëta.*] Rudiæ, quod Calabriæ oppidum est, natus Ennius; unde *Rudinus* ab Ausonio, *Rudius* à Tullio dicitur: Tarenti tamen natum volunt Eutropus, Euseb. & Hieronymus. A Catone Majore Romam deductum tradit Æmilius Probus.

2. *In monumentis Corneliæ.*] Ita etiam Cicero pro Archia. *Charus fuit Africano superiori noster Ennius; itaque in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus ex marmore.* Illius etiam epitaphium celebrat:

Aspicite ô cives senis Ennii imaginis urnam;
Hic vestrum pinxit maxima facta patrum.
Nemo me lacrymis decoret; nec funera fletu
Faxit: quor? volito docta per ora virum.

3. *Accium D. Bruti.*] De Accio & D. Bruto egimus supra. Fuit ille Poëta Tragicus, qui sene Pacuvio tragœdiam edere cœpit: hic Brutus Callaicus vir literis tum Latinis, tum Græcis, ut temporibus illis, eruditus.

4. *Theophanem.*] Poëtam Græcum, cujus meminit Cicero ad Atticum, his verbis: *Velim te ex Theophane respicere, quonam in me animo sit Arabarches?* quo nomine nec Cæsarem, nec Antonium, sed Pompeium intelligit. Apud Pompeium potuisse plurimum testantur, & Cæsar in bello civili, & Cornelius Tacitus, qui divinos honores post mortem illi à Græcis tributos prodidit.

5. *A Boccho.*] Mauritaniæ Rege, à quo Iugurtha Syllæ traditus est, uti narrat pluribus Sallustius.

6. *Insculptam traditionem.*] Hinc prima Marium inter & Syllam dissidii causa; quod capti Iugurthæ gloriam uterque sibi vindicaret.

5. Atque ut Imperatoribus gloriosum militis spiritum subnectam; [1] Scipionem dona militaria iis, qui strenuam operam ediderant, dividentem, T. [2] Labienus, ut forti equiti aureas armillas tribueret, admonuit: Eoque negante se id facturum, ne castrensis honos in eo qui paulo ante servisset, violaretur, ipse ex præda Gallica aurum equiti largitus est. Nec tacite id Scipio tulit: nam equiti, Habebis, inquit, donum viri divitis. Quod ubi ille accepit, projecto ante pedes Labieni auro, vultum demisit. Idem ut audiit Scipionem dicentem, Imperator te argenteis armillis donat: alacer gaudio abiit. Nulla est ergo tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur.

An.M. 4008. Ol. 183. 3. Vrb.C. 707. Ant.Ch. 45.

6. Illa vero etiam à claris viris interdum ex humillimis rebus petita est. Nam quid sibi voluit [3] C. Fabius nobilissimus civis? qui cum [4] in æde Salutis, quam C. Junius Bubulcus dedicaverat, parietes pinxisset, nomen his suum inscripsit. Id enim demum ornamenti familiæ Consulatibus, & sacerdotiis & triumphis celeberrimæ deerat. [a] Cæterum sordido studio deditum ingenium, qualemcunque illum laborem suum silentio obliterari noluit: Videlicet [5] Phidiæ secutus exemplum, qui clypeo Minervæ effigiem suam inclusit: qua convulsa, tota operis colligatio solveretur.

An.M. 3752. Ol. 119. 3. Vrb.C. 451. Ant.Ch. 301.

INTERPRETATIO.

a *Cæterum* Fabius *deditus humili pingendi studio noluit qualemcunque laborem suum silentio deleri.*

NOTÆ.

1. *Scipionem.*] Metellum, Pompeii generum, qui à Cæsare in Africa victus est.

2. *T. Labienus.*] Duo Labieni, pater & filius ab Historicis memorantur; quorum alter pro Romanis, primum contra Gallos, deinde contra Cæsarem; alter pro Parthis contra Romanos bellum fecit: pater vir bello fortissimus sub Cæsare legatus in Gallia res magnas gessit; ubi vero ad Pompeium defecit, tribus in præliis, ad Pharsalum, ad Vzitam in Africa, ad Mundam victus est: quorum in extremo fortiter dimicans cecidit. Filius vero à Pompeio missus ad Parthos in Syria Romanos fudit sæpius; sed tandem cum Pacoro victus à Ventidio cæsus est.

3. *C. Fabius.*] Pictor vulgo dictus, vel quod pictura delectaretur, vel quod ædem Salutis pingi curaverit.

4. *In æde Salutis.*] Quam in bello Samnitico Consul vovit, locavit Censor, Dictator dedicavit. De Bruto antea.

5. *Phidiæ exemplum.*] Qui sui similem speciem inclusit in clypeo Minervæ, cum nomen inscribere non liceret, ut auctor est Cicero l. 1. Tuscul.

EXTERNA.

1. Sed melius aliquanto, si imitatione aliena capiebatur, Themistoclis ardorem esset æmulatus: quem ferunt stimulis virtutum agitatum, & ob id noctes inquietas exigentem, quærentibus, quid ita eo tempore in publico versaretur, respondisse: Quia me trophæa Miltiadis de som-

no excitant. [1] Marathon nimirum animum ejus, & Artemisium, & Salamis navalis gloriæ fertilia nomina illustranda tacitis facibus incitabant. Idem theatrum petens, cum interrogaretur, cujus vox auditu illi futura esset gratissima, dixit: Ejus à quo artes meæ canentur optime. [a] Dulcedinem gloriæ pene adjecit gloriosam.

An.M. 3728. Ol. 113. 3. Vrb.C. 427. Ant.Ch. 325.

2. Jam Alexandri pectus insatiabile laudis, qui Anaxarcho comiti suo ex auctoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos esse referenti, Heu me, inquit, miserum; quod ne uno quidem adhuc potitus sum! Angusta homini possessio gloriæ fuit, quæ Deorum omnium domicilio sufficit.

An.M. 3722. Ol. 112. 1. Vrb. C. 421. Ant.Ch. 331.

3. Regis & juvenis flagrantissimæ cupiditatis similem Aristotelis in capessenda laude sitim subnectam. Is namque [2] Theodecti discipulo oratoriæ artis libros, quos ederet, donaverat: molesteque postea ferens titulum eorum sic alii cessisse; proprio volumine quibusdam rebus insistens, planius sibi de his in Theodectis libris dictum esse adjecit. [b] Nisi me tantæ & tam late patentis scientiæ verecundia teneret, dicerem dignum Philosophum, cujus stabiliendi mores, altioris animi Philosopho traderentur. Cæterum gloria ne ab his quidem, qui contemptum ejus introducere conantur, negligitur: quoniam quidem ipsis voluminibus nomina sua diligenter adjiciunt; ut quod professione elevant, usurpatione memoriæ consequantur. Sed qualiscunque horum dissimulatio, proposito illorum longe tolerabilior est, qui dummodo æternam memoriam assequantur, etiam sceleribus innotescere non dubitarunt.

An.M. 3718. Ol. 111. 1. Vrb.C. 417. Ant.Ch. 335.

4. Quorum è numero nescio an in primis Pausanias debeat referri: Nam cum Hermocratem percontatus esset, quonam modo subito clarus posset evadere: atque is respondisset, si illustrem virum aliquem occidisset, futurum ut gloria ejus ad ipsum redundaret: continuo [3] Philippum interemit. Et quidem quod petierat assecutus est: tam enim se parricidio, quam Philippus virtute notum posteris reddidit.

INTERPRETATIO.

a *Illud pene adjecit: O dulcedinem gloriæ gloriosam.*

b *Nisi tantam & tam longe patentem Aristotelis doctrinam honore prosequerer, dicerem illum ob suam inconstantiam dignum esse, cujus mores ab alio Philosopho animi firmioris ad constantiam majorem instruerentur.*

NOTÆ.

1. *Marathon animum ejus.*] De Miltiadis victoria lege l.1.c.7.Ext.n.9. de Themistoclis trophæis l.1.c.5.n.1. De Anaxarcho l.3. c.3. de Democrito l.8. c.7.

2. *Theodecti.*] Orator fuit Cilix genere, Platonis discipulus: tragœdias 50. scripsisse dicitur.

3. *Philippum interemit.*] Non gloriæ asciscendæ causa, ut vult Valerius; sed injuriæ, quam ab Attalo passus erat, ulciscendæ. Sed de his supra lib. 1. cap. 8. num. 9.

5. Illa vero gloriæ cupiditas sacrilega: inventus est enim qui [1] Dianæ Ephesiæ templum incendere vellet, ut opere pulcherrimo consumpto, nomen ejus per totum terrarum orbem diffunderetur. Quem quidem mentis furorem eculeo impositus detexit. At bene consuluerant Ephesii, decreto memoriam teterrimi hominis abolendo: nisi Theopompi magnæ facundiæ ingenium in historiis eum suis comprehendisset.

An.M. 3698.
Ol. 106. 1.
Vrb. C. 397.
Ant.Ch. 355.

NOTÆ.

1. *Dianæ Ephesiæ templum:*] Eadem nocte, qua natus est Alexander. Vnde Timæus apud Ciceronem dicit, id minime esse mirandum, quod Diana, cum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo. Templum illud ter extructum est, teste Strabone; utque secundum primo, sic tertium secundo & magnitudine & ornamentis longe præstitit: secundum incendit Herostratus, id enim nominis huic homini fuit; tertiumque collectis undique opibus refectum est. Theopompi capite superiori meminimus.

CAP. XV.

QUÆ CUIQUE MAGNIFICA CONTIGERUNT.

ROMANIS.

1. *P. Africano majori.*
2. *M. Catoni Censorio.*
3. *Scipioni Nasicæ.*
4. *P. Scipioni Æmiliano.*
5. *M. Valerio Corvo.*
6. *Q. Mucio Scævolæ.*
7. *C. Mario.*
8. *Cn. Pompeio Magno.*
9. *Q. Lutatio Catulo.*
10. *M. Catoni Uticensi.*
11. *L. Marco Equiti Romano.*
12. *Sulpiciæ Ser. F. Q. Flacci.*

EXTERNIS.

1. *Pythagoræ Samio.*
2. *Gorgiæ Leontino.*
3. *Amphiarao vati.*
4. *Pherenicæ mulieri Græcæ.*

[a] CAndidis autem animis voluptatem præbuerint in conspicuo posita, quæ cuique magnifica merito contigerunt: Quia æque præmiorum virtus, atque honorum contemplatio jucunda est; ipsa natura nobis alacritatem subministrante, [b] cum honorem industrie appeti, & exolvi grate videmus. Verum etsi mens hoc loco protinus ad Augustam domum beneficentissimum & honoratissimum templum omni impetu fertur, melius cohibebitur: quoniam cui ascensus in cœlum patet, quamvis ma-

INTERPRETATIO.

a *Quæ cuique gloriosa ex merito evenerunt, si palam proponantur, voluptatem animis nullo livore suffusis præbere possunt.*

b *Cum cernimus honorem, & summa cum industria appeti, & grato animo rependi.*

ximal, debito tamen minora sunt, quæ in terris tribuuntur.

An.M.3864. Ol. 147. 3. Vrb.C.563. Ant.Ch. 189. 1. Superiori Africano Consulatus [a] [1] citerior legitimo tempore datus est. Cui quæ in vita præcipua assignata sunt, & longum est referre, quia multa: & non necessarium, quia majore ex parte jam relata sunt. Itaque quod hodieque eximium, capiti adjiciam. Imaginem [2] in cella Jovis opt. max. positam habet; quæ quotiescunque [3] funus aliquod Corneliæ genti celebrandum est, inde petitur; unicuique illi instar atrii Capitolium est.

An M.3904. Ol. 157. 3. Vrb.C. 603. Ant.Ch.149. 2. Tam hercle, quam Curia superiori Catoni. Unde effigies illius ad ejusdem generis officia expromitur. Gratum ordinem, qui utilissimum Reipublicæ Senatorem tantum non semper secum habitare voluit, omnibus numeris virtutum divitem magisque suo merito, quam fortunæ beneficio magnum: [4] cujus prius consilio, quam minoris Scipionis imperio est deleta Carthago.

An. M. 3850. Ol. 144. 1. Vrb.C. 549. Ant.Ch.203. 3. Rarum specimen honoris à [5] Scipione quoque Nasica oboritur: Ejus namque manibus & penatibus nondum quæstorii, Senatus Pythii Apollinis monitu Pessinunte accersitam Deam excipi voluit: quia eodem oraculo præceptum erat, ut hæc ministeria Matri Deûm à sanctissimo viro præstarentur. Explica totos fastos, constitue omnes currus triumphales, [b] nihil tamen morum principatu speciosius reperies.

Interpretatio.

a *Ante tempus à legibus præscriptum datus est.*

b *Nihil tamen reperies gloriosius, quàm sanctis moribus præstare aliis.*

Notæ.

1. *Citerior legitimo tempore.*] Postquam ex Hispania in Vrbem victor rediit. Sub hæc verba leguntur vulgo multa; quæ, cum Africano majori tribui non possint, ad Scipionem Æmilianum referenda duximus: sic etiam Pighio visum est.

2. *In cella Iovis.*] Ex quo virilem togam sumpsit, nulla die prius ullam publicam privatamque rem egit, quam in Capitolium iret. Hæc & plura Livius; addit Gellius id maxime mirum omnibus visum esse, quod alios omnes, Scipionem nunquam canes allatrarent.

3. *Funus aliquod.*] In vulgatis codicibus *munus* legebatur; *funus* reposuit Pighius: quæ correctio eo mihi probatur, quod ad funera deferri moris erat imagines; Scipionis è Capitolio, Catonis è Curia, aliorumque ex singulorum atriis: quare Capitolium Scipioni instar atrii fuit; sicut enim aliorum imagines in atriis, ita illius in Capitolio posita est.

4. *Cujus prius consilio.*] De servanda delendave Carthagine alia Catonis fuit, alia Scipionis Nasicæ sententia: delendam ille censebat, ne Romanum aliquando everteret Imperium; hic servandam, ne Romana virtus otio & deliciis frangeretur: quare singulis in Senatu sententiis Cato subjungere solebat, *Hoc censeo, & delendam Carthaginem.* Miror equidem Aldo Manutio viro eruditissimo hoc in loco errorem excidisse: sententiam enim quæ Scipionis fuit adscribit Catoni, eumque Senatui servandæ Carthaginis auctorem fuisse, contra Scriptorum omnium fidem, affirmat.

5. *Scipione Nasica.*] Qui vir optimus judicatus est. De Matre Deûm Pessinunte advecta jam diximus.

4. Tradunt ſubinde nobis ornamenta ſua Scipiones commemoranda. Æmilianum enim populus [1] ex candidato Ædilitatis, Conſulem fecit, [2] Quod fieri oportere, exercitus Senatum literis admonuit. Ita neſcias utrum illi plus decoris Patrum Conſcriptorum auctoritas, an militum conſilium adjecerit. Toga enim Scipionem ducem adverſus Pœnos creavit, arma popoſcerunt. Eundemque, cum quæſtoriis comitiis ſuffragator [3] Q. Fabii, Maximi fratris filii, in campum deſcendiſſet, Conſulem iterum reduxit. Eidem Senatus bis ſine ſorte Provinciam, prius Africam, deinde Hiſpaniam dedit. Atque hæc neque civi, neque Senatori ambitioſo: quemadmodum non ſolum vitæ ejus ſeveriſſimus curſus, ſed etiam mors clandeſtinis illata inſidiis declaravit.

An M. 3907. Ol. 158. 2. Vrb C. 606. Ant. Ch. 146.

An. M. 3920. Ol. 161. 3. Vrb. C. 619. Ant. Ch. 133.

5. M. quoque Valerium duabus rebus inſignibus Dii pariter atque cives ſpecioſum reddiderunt: Illi cum quodam Gallo cominus pugnanti corvum propugnatorem ſubjicientes; hi tertium & vigeſimum annum ingreſſo, Conſulatum largiti: quorum alterum decus vetuſtæ originis ac optimi ominis, gens Corvini amplexa cognomen uſurpat: [a] alterum ſummo ſubjungitur ornamento, tam celeritate, quam principio Conſulatus gloriando.

An. M. 3705. Ol. 107. 4. Vrb. C. 404. Ant. Ch. 348.

An. M. 3708. Ol. 108. 3. Vrb. C. 407. Ant. C. 345.

6. At ne Q. quidem [4] Scævolæ, quem L. Craſſus in Conſulatu Collegam habuit, gloria parum illuſtris: Qui Aſiam tam ſancte & tam fortiter obtinuit; ut Senatus deinceps in eam Provinciam ituris Magiſtratibus, exemplum atque formam officii Scævolam decreto ſuo proponeret.

An. M. 3955. Ol. 170. 2. Vrb. C. 654. Ant. Ch. 98.

7. [b] Inhærent illi voci poſterioris Africani ſeptem C. Marii Conſu-

An. M. 3921. Ol. 161. 4. Vrb. C. 610. Ant. Ch. 132.

INTERPRETATIO.

a *Alterum ornatur ſingulari ornamento; quod gloriari poſſit ſe & ante ætatem, & ob victoriam relatam factum eſſe Conſulem.*

b *Septem Conſulatus C. Marii, & duo illius triumphi ampliſſimi originem traxerunt ab hac voce Scipionis* poſterioris.

NOTÆ.

1. *Ex candidato Ædilitatis.*] Cum ducum ignavia diutius bellum gereretur, primum ad Carthaginem, deinde ad Numantiam, Scipioni Æmiliano ſemel atque iterum Conſulatus ultro delatus eſt: uterque præter morem; lex enim erat, ne quis aut ante ætatem, aut bis Conſul eſſet. Quod in Lelio breviter Cicero: *Qui Conſulatum petiit nunquam: factus eſt Conſul bis; primum ante tempus, iterum ſibi ſuo tempore, Reipublicæ pene ſero.*

2. *Quod fieri oportere.*] Hæc & ſequentia verba hic reponenda cenſuimus; in majorem enim Africanum minime, in minorem quam optime quadrare res ipſa loquitur: quid enim notius, quam militum literis monitum Senatum, ut Scipio Æmilianus in Africam Conſul mitteretur: de ſuperiore vero Africano, nec à Livio, nec à quovis alio quidquam tale proditum memoriæ eſt.

3. *Q. Fabii.*] Monuimus jam ſæpe, ex Æmilia gente in Corneliam Africanum minorem, in Fabiam illius fratrem adoptatos fuiſſe. De illius morte lege l. 5. c. 3. n. 2. De pugna Valerii cum Gallo ſupra.

4. *Scævolæ.*] Cognomento Pontificis; quem Cicero juvenis audivit. In illius honorem ab Aſianis inſtitutus eſt dies feſtus, cui nomen *Mutia.*

latus, ac [1] duo amplissimi triumphi. Ad rogum enim usque gaudio exultavit: Qui, cum apud Numantiam sub eo duce stipendia equestria mereret, & forte inter cœnam quidam Scipionem interrogasset, si quid illi accidisset, quemnam Respublica æque magnum habitura esset. Imperator ipsum respiciens infra se cubantem, Vel hunc, dixit:
An.M. 3953 Quo augurio perfectissima virtus, maximam orientem virtutem, vi-
Ol. 169. 4. derit-ne certius, an efficacius accenderit, perpendi vix potest: Illa ni-
Vrb. C. 652. mirum cœna militaris, speciosissimas tota in urbe Mario futuras cœnas
Ant.Ch. 100. ominata est. Postquam enim Cimbros ab eo deletos initio noctis nuntius pervenit, nemo fuit, qui non illi tanquam Diis immortalibus, apud sacra mensæ suæ [2] libaverit.

8. [a] Jam quæ in Cn. Pompeium & ampla & nova congesta sunt, hinc assensione favoris, illinc fremitu invidiæ literarum monumentis
An.M. 3977. obstrepuntur. Eques Romanus pro Consule in Hispaniam adversus Ser-
Ol. 175. 4. torium, pari imperio cum Pio Metello principe civitatis missus est:
Vrb. C. 676. nondum ullum honorem auspicatus [3] bis triumphavit initia Magistra-
Ant.Ch. 76. tuum [4] à summo imperio cœpit: [5] tertium Consulatum decreto Senatus solus gessit:
An.M. 993. de Mithridate & Tigrane, de multis præterea Regibus,
Ol 179. 4. gentibus, plurimisque civitatibus, & prædonibus unum duxit trium-
Vrb.C. 692. phum.

Ant.Ch. 60. 9. [6] Q. etiam Catulum populus Romanus voce sua tantum non ad sidera usque evexit. Nam cum ab eo pro Rostris interrogaretur, si in uno Pompeio Magno [7] omnia reponere perseverasset; absumpto illo subiti casus incursu, in quo spem esset habiturus; summo consensu

Interpretatio.

a Scriptis multorum celebrantur, quæ in Cn. Pompeium & ampla & nova; licet multi fremerent invidia, favore omnis popul, ornamenta collata sunt.

Notæ.

1. *Duo amplissimi triumphi.*] Alter de Iugurtha, alter de Cimbris.

2. *Libaverit.*] In epulis mos erat Diis offerri primitias: at illa nocte non Diis, sed Mario illas obtulerunt.

3. *Bis triumphavit.*] Primum de Hiera, iterum de Sertorio.

4. *A summo imperio.*] A Consulatu; Pompeius enim nec Ædilis, nec Prætor fuisse usquam legitur.

5. *Tertium Consulatum.*] Cum T. Annius Milo, P. Plautius Hypsæus, & Q. Metellus Scipio Consulatus candidati armatorum stipatis catervis urbem, tribus veluti castris occupassent, & P. Clodius à Milone sub id tempus occisus esset; nihil tutius Patribus visum est, quam ut uni Pompeio summa rerum deferretur: quare suadente Catone factum est Senatusconsultum, in M. Bibuli sententiam, uti M. Pompeius absens solus sine Collega Consul crearetur: invidiam tamen ut vitaret Pompeius, in quinque menses anni extremos, Q. Metellum Scipionem socerum suum Collegam sibi ascivit. Hæc pluribus Plut. Dio, Appian. & alii.

6. *Q. etiam Catulum.*] Qui Consul M. Lepidum Collegam Italia expulit.

7. *Omnia reponere.*] Manlius Trib. plebis legem tulerat, ut bellum Mithridaticum Pompeio committeretur, idque M. Cicero Prætor oratione suaserat.

acclamavit, In te. Vim honorati judicii admirabilem. Siquidem Magnum Pompeium cum omnibus ornamentis quæ retuli, [a] duarum syllabarum spatio inclusum Catulo æquavit.

10. Potest & M. Catonis [1] ex Cypro cum regia pecunia revertentis appulsus ad urbem videri memorabilis: cui navi egredienti Consules, & cæteri Magistratus, & universus S. P. Q. R. officii gratia præsto fuit. Non quod magnum pondus auri & argenti; sed quod M. Catonem classis illa incolumem advexerat, lætatus. An.M. 3998. Ol. 181. 1. Vrb.C. 697. Ant.Ch 55.

11. Sed nescio an præcipuum sit L. Marcii inusitati decoris exemplum, quem Equitem Romanum duo exercitus P. & Cn. Scipionum interitu, victoriaque Asdrubalis lacerati, ducem legerunt: quo tempore salus eorum in ultimas angustias deducta, nullum ambitioni locum relinquebat. An.M. 3842. Ol. 142. 1. Vrb. C. 541. Ant.Ch. 211.

12. Merito virorum commemorationi Sulpitia, Ser. Paterculi filia, Q. Fulvii Flacci uxor, adjicitur. Quæ, cum Senatus libris Sibyllinis per decemviros inspectis censuisset, ut [2] Veneris Verticordiæ simulacrum consecraretur, quo facilius virginum mulierumque mentes à libidine ad pudicitiam converterentur; & ex omnibus matronis centum, ex centum autem decem sorte ductæ, de sanctissima fœmina judicium facerent, cunctis castitate prælata est. An.M. 3941. Ol. 166. 4. Vrb. C. 640. Ant.Ch. 112.

INTERPRETATIO.

a *Æquavit Pompeio Catulum, cujus nomen & virtutem duabus syllabis indicaverat.*

NOTÆ.

1. *Ex Cypro.*] Cur, à quo, quando in Cyprum missus sit Cato explicuimus l. 4. c. 1. n 14. Marcii etiam de Pœnis victorias l. 1. c 6. n. 2.

2. *Veneris.*] Ob prodigium, quod Pompeii Elvii filiæ contigit, & tres Vestales ab equitibus vitiatas, ædes huic Deæ consecratæ sunt. De libris Sibyllinis vide in sacerdotiis Romanorum.

EXTERNA.

1. Cæterum quia sine ulla diminutione Romanæ majestatis extera quoque insignia respici possunt, ad ea transgrediamur. Pythagoræ tanta veneratio ab auditoribus tributa est; ut quæ ab eo acceperant, in disputationem deducere nefas existimarent: Quin etiam interpellati ad reddendam causam; hoc solum respondebant, [1] Ipsum dixisse: Magnus honos, sed schola tenus. Illa urbium suffragiis tributa est. An.M. 3551. Ol. 69. 2. Vrb.C. 250. Ant.Ch. 502.

NOTÆ.

1. *Ipsum dixisse.*] De quo ita Cicero l. 1. de natura Deorum. *Nec vero probare soleo id, quod de Pythagoricis accepimus, qui ferunt, si quid affirmarent in disputando; cum ex his quæreretur, quare ita esset, respondere solitos, Ipse dixit; αὐτὸς ἔφα.*

Enixo Crotoniatæ studio ab eo petierunt, ut Senatum ipsorum, qui mille hominum numero constabat, consiliis suis uti pateretur. Opulentissimaque civitas tam frequenter venerati post mortem domum, Cereris sacrarium fecit: quantumque illa urbs viguit, & Dea in hominis memoria, & homo in Deæ religione cultus est.

An.M. 3627. Ol. 88. 2. Vrb.C. 326. Ant.Ch.426.

2. Gorgiæ vero Leontini studiis literarum ætatis suæ cunctos præstantis, adeo ut primus in conventu poscere, qua de re quisque audire vellet, ausus sit, universa Græcia in templo Delphici Apollinis statuam solido ex auro posuit; cum cæterorum ad id tempus auratas collocasset.

An.M. 3768. Ant.Ch.1285.

3. Eadem gens summo consensu ad [1] Amphiaraum decorandum incubuit, [2] locum in quo humatus est, in formam conditionemque templi redigendo, atque inde oracula capi instituendo. Cujus cineres idem honoris possident, quod [3] Pythicæ Cortinæ, quod [4] aheno [5] Dodonæ, quod [6] Hammonis fonti datur.

4. [7] Pherenices quoque non vulgaris honos, cui soli omnium fœminarum [8] gymnico spectaculo interesse permissum est, cum ad Olympia filium Euclea certamen ingressurum adduxisset, [9] Olympionice patre genita, fratribus eandem palmam assecutis latera cingentibus.

Notæ.

1. *Amphiaraum.*] Græcum vatem, quem vel invitum Rex Adrastus ad bellum Thebanum duxerat.

2. *Locum in quo humatus.*] Primo, quo ad Thebas venit die, hiatu terræ cum armis & curru absorptus est; ibique conditũ, non templum, si Plutarcho credimus: sed oppidum, cui à curru nomen *Harma*, factum est.

3. *Pythicæ Cortinæ.*] Pars erat secretior templi Delphici.

4. *Aheno Dodonæ.*] Hoc est æreo simulacro in formam aut columbæ aut lebetis, ex cujus tinnitu futura prædicebant.

5. *Dodonæ.*] Civitas fuit in Chaonia Epiri regione, propter quam nemus Iovi sacrum, in quo templum Iovis fuisse perhibetur; & in eo oraculum omnium, quæ apud Græcos erant, vetustissimum: duas ibi columbas fudisse oracula fabulantur, quarum altera Delphos, altera in Ammonis templum evolaverit. Dodona, vel à Dodone Europæ Iovisque filio, vel à Dodanim filio Iavan nomen sortita est.

6. *Ammonis fonte.*] De Ammonis, sive Hammonis (alii enim aliter scribunt) oraculo nonnihil supra diximus. De fonte vero hæc habet Q. Curtius l.4. c.30. *Est aliud Hammonis nemus; in medio habet fontem, aquam Solis vocant: sub lucis ortum tepida manat; medio die, cum vehementissimus est calor, frigida eadem fluit; inclinato in vesperam calescit; media nocte fervida exæstuat: quoque propius nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decrescit, donec sub ipsum diei ortum adsueto tempore languescat* De illius oraculi origine, deque numinis ipsius forma & nomine consule Tellerium nostrum in suis ad Q. Curtium notis l.4. c.28. & sequentibus, ubi omnia, quæ ad hoc oraculum pertinent, diligenter & docte, ut solet, explicuit.

7. *Pherenices.*] Cui is honos delatus est, quod patrem, fratres, & filios in hoc ludo sæpe victores habuisset.

8. *Gymnico spectaculo.*] Quia nudi decertabant.

9. *Olympionice.*] Hoc est, quæ nata erat patre sæpe victore in certamine Olympico.

VALERII

VALERII MAXIMI
LIBER NONUS.

CAP. I.

DE LUXURIA ET LIBIDINE.

EXEMPLA ROMANA SUNT.

1. *C. Sergius Orata.*
2. *Clodius Æsopi Tragœdi F.*
3. *Mulieres legis Oppiæ oppugnatrices.*
4. *Cn. Domitius, & L. Crassus. Cens.*
5. *Q. Metellus Pius.*
6. *C. Scribonius Curio filius.*
7. *P. Clodii judicium.*
8. *Gemellus viator Tribunitius.*
9. *L. Catilina.*

EXTERNA.

1. *Annibal Pœnus Amilcaris F.*
2. *Vulsinienses.*
3. *Xerxes Persarum Rex.*
4. *Antiochus Syriæ Rex.*
5. *Ptolemæus Ægypti Rex.*
6. *Ægyptii.*
7. *Cyprii.*

BLANDUM etiam malum luxuria, quam accusare aliquanto facilius est, quam vitare, operi nostro inseratur: Non quidem ut ullum honorem recipiat; sed ut seipsam recognoscens, ad pœnitentiam impelli possit. Jungatur illi libido: quoniam ex iisdem vitiorum principiis oritur: neque aut à reprehensione, aut ab emendatione separentur gemino mentis errore connexæ.

1. [1] C. Sergius Orata pensilia balnea primus facere instituit: quæ impensa levibus initiis cœpta, [a] ad suspensa calidæ aquæ tantum non æquora penetravit.

Idem videlicet, ne gulam Neptuni arbitrio subjectam haberet,

INTERPRETATIO.

[a] *Eo pervenit, ut immensa receptacula aquæ calidæ in aëre suspensa sint.*

NOTÆ.

1. *C. Sergius Orata.*] Cujus mores his verbis descripsit Sanctus Augustinus in libro de Beata vita: *Homo ditissimus, amœnissimus, deliciosissimus; cui neque ad voluptatem quidquam defuit, neque ad gratiam, neque ad bonam integramque valetudinem.* Inditum illi Oratæ nomen; vel quod Oratas (piscium genus est) in deliciis haberet, ut placet Macrobio; vel quod duobus annulis ad aurium ornamentum uteretur, ut vult Verrius Flaccus.

[1] peculiaria sibi maria excogitavit; [2] æstuariis intercipiendo fluctus; pisciumque diversos greges separatos molibus includendo, ut nulla tam sæva tempestas incideret, qua non Oratæ mensæ varietate fercu-
An.M. 3958. Ol. 171. 1. Vrb.C. 657. Ant.Ch. 95. lorum abundarent. Ædificiis etiam spatiosis & excelsis deserta ad id tempus ora Lucrini lacus pressit; quo recentiore usu conchyliorum frueretur: Ubi dum se [3] publicæ aquæ cupidius immergit, cum [4] Considio Publicano judicium nactus est: in quo L. Crassus adversus illum causam agens, errare amicum suum Considium dixit, quod putaret Oratam remotum à lacu, cariturum ostreis: namque ea, si inde petere non licuisset, [5] in tegulis reperturum.

An.M. 4015. Ol. 185. 2. Vrb.C. 714. Ant.Ch. 38. 2. Huic nimirum magis Æsopus tragicus in adoptionem dare filium suum, quam bonorum suorum hæredem relinquere debuit: non solum perditæ, sed etiam furiosæ luxuriæ juvenem. Quem constat [6] cantu commendabiles aviculas immanibus emptas pretiis, in cœna pro ficedulis ponere, [7] acetoque liquatos magnæ summæ uniones potionibus aspergere solitum; amplissimum patrimonium, tanquam amaram aliquam sarcinam, quam celerrime abjicere cupientem: Quorum alterius senis, alterius adolescentis sectam secuti plurimi, [a] longius manus porrexerunt. Neque enim ullum finitur vitium ibi, ubi oritur. Inde ab Oceani littoribus attracti pisces, inde [8] infusæ culinis ostreæ. Arte censibusque edendi atque bibendi voluptas reperta est.

An.M. 3859. Ol. 146. 2. Vrb.C. 558. Ant.Ch. 194. 3. Urbi autem nostræ secundi belli Punici finis, & Philippus Rex Macedoniæ devictus, licentioris vitæ fiduciam dedit. Quo tempore matronæ [9] Brutorum domum ausæ sunt obsidere, qui abrogatione

INTERPRETATIO.

[a] *Ex remotioribus regionibus cibos ad delicias suas afferri jusserunt.*

NOTÆ.

1. *Peculiaria sibi maria.*] Quia juxta maris littus sibi struxerat vivaria, in quibus pisces omnis generis servarentur: at non gulæ causa, sed quæstus id ab eo factum refert Plinius l. 9. c. 54. cum inde ingentem pecuniæ vim quotannis colligeret.

2. *Æstuariis.*] Æstuaria dicuntur, quæ maris æstu omni ex parte alluuntur.

3. *Aqua publica.*] Lacus Lucrini, qui inter Baias & Cumas: illius & Virgilius & Iuvenalis meminere.

4. *Considio Publicano*] Ab eo enim in judicium vocatus est, quod ædificiis suis lacum publicum includeret.

5. *In tegulis reperturum.*] Quod etiam Seneca indicat; *Alunt in summis culminibus mentita nemora, & navigabilium piscinarum freta.*

6. *Cantu commendabiles.*] Id Æsopi patri tribuit Plinius l. 10. c. 51. avesque singulas sex nummis coëmptas testatur.

7. *Aceto liquatos.*] De illo Horatius l. 2. satyr. 2.

Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies solidum sorberet aceto,
Diluit insignem baccam.

Conviviis singulis uniones sorbendos dedisse tradit Plinius l. 9. c. 33.

8. *Infusa culinis ostreę.*] Aliter Lipsius. *Inde infusę culinis artes*; hoc est, inde repertæ culinariæ artes.

9. *Brutorum domum.*] M. & D. Brutorum, qui tum erant Tribuni plebis.

Legis Oppiæ intercedere parati erant, quam fœminæ tolli cupiebant: quia his nec veste varii coloris uti, nec auri plus semuncia habere, nec juncto vehiculo propius Urbem mille passus, nisi sacrificii gratia vehi permittebat. [2] Et quidem obtinuerunt, ut jus per continuos viginti annos servatum aboleretur. Non enim providerunt seculi illius viri, ad quem cultum tenderet insoliti cœtus pertinax studium; aut quo se usque effusura esset legum victrix audacia. Quod si animi muliebris apparatus intueri potuissent, quibus quotidie aliquid novitatis sumptuosius adjectum est; in ipso introitu ruenti luxuriæ obstitissent.

4. Sed quid ego de fœminis ulterius loquor? quas & imbecillitas mentis, & graviorum operum negata affectatio, omne studium ad curiosiorem sui cultum hortatur conferre; cum temporum superiorum & nominis & animi excellentes viros, [a] in hoc priscæ continentiæ ignotum diverticulum prolapsos videam; idque jurgio ipsorum pateat.

[3] Cn. Domitius L. Crasso Collegæ suo altercatione orta objecit, quod [4] columnas Hymettias in porticu domus haberet. Quem continuo Crassus, quanti ipse domum suam æstimaret, interrogavit. Atque ut respondit, sexagies sestertio: Quanto ergo eam, inquit, minoris fore existimas, si decem arbusculas inde succidero: Ipso tricies sestertio, ait Domitius. Tunc Crassus; [5] Uter igitur luxuriosior est? Ego-ne, qui decem columnas centum millibus nummûm emi, an tu qui decem

An.M.3962. Ol. 172. 1. Vrb.C. 661. Ant.Ch.91.

INTERPRETATIO.

a Viros excellentes videam prolapsos in luxuriam ignotam priscis Romanis summa continentia viris; quod non sine convicio aliquorum narrabo.

NOTÆ.

1. *Legis Oppia.*] Quam tulerat C. Oppius Tribunus plebis, Q. Fabio & T. Sempronio Coss. dum maxime arderet Italia bello Punico secundo.

2. *Et quidem obtinuerunt.*] Matronæ nulla, nec authoritate, nec verecundia, nec imperio virorum contineri limine poterant; omnes vias urbis aditusque in forum obsidebant; cumque & M. Cato Consul, & Bruti Tribu. ne ea lex abrogaretur, obsisterent, uno agmine omnes Tribunorum januas obsiderunt, qui rogationi Collegarum intercedebant; nec ante abstiterunt, quam remissa intercessio à Tribunis est.

3. *Cn. Domitius L. Crasso.*] Ambo Censores erant; Domitius natura vehemens; Crassus vero facetus Collegam sæpe jocis perstrinxit, ut auctor est Cicero l. 2. de Orat.

4. *Columnas Hymetias.*] Primus ille peregrini marmoris columnas sex habuit longas duodenum pedum: unde illum M. Brutus *Venerem Palatinam* appellavit.

5. *Vter igitur.*] Paulo aliter Plinius: *Vtrum-ne igitur ego sum*, inquit, *quaso Domiti, exemplo gravis, & ab ipsa Censura notandus? qui in domo, qua mihi hæreditati obvenit, comiter habitem: an tu, qui tanti sex arbores æstimes. Ea fuerunt loti parvula ramorum opacitate lasciva, qua durarunt usque ad Neronis incendia, quibus cremavit urbem, cultu virides, juvenesque.* Ita l. 17.

arbuſcularum umbram tricies ſeſtertiûm ſumma compenſas?[a] [1] Sermonem oblitum Pyrrhi, immemorem Annibalis, jamque tranſmarinorum ſtipendiorum abundantia oſcitantem: aliquanto tamen inſequentium ſeculorum ædificiis & nemoribus anguſtiorem. Quoniam inchoatam à ſe lautitiam poſteris relinquere, quam à majoribus acceptam continentiam retinere maluerunt.

An.M. 3980. Ol. 176. 3. Vrb.C. 679. Ant.Ch. 73.

5. Quid enim ſibi voluit princeps ſuorum temporum Metellus Pius, tunc cum in Hiſpania adventus ſuos ab hoſpitibus aris & thure excipi patiebatur? cum [2] Attalicis aulæis contectos parietes læto animo intuebatur? cum immanibus epulis apparatiſſimos interponi [3] ludos ſinebat? cum palmata veſte convivia celebrabat, [4] demiſſaſque lacunaribus aureas coronas velut cœleſti capiti recipiebat? Et ubi iſta? non in Græcia, neque in Aſia; quarum luxuria ſeveritas ipſa corrumpi poterat: ſed in horrida & bellicoſa provincia, [b] cum præſertim acerrimus hoſtis Sertorius, Romanorum exercituum oculos Luſitanis telis perſtringeret: Adeo illi patris ſui [5] Numidica caſtra exciderant. Patet igitur, quam celeri tranſitu luxuria affluxerit. Nam cujus adoleſcentia priſcos mores vidit, ſenectus novos orſa eſt.

An.M. 4005. Ol. 192. 4. Vrb. C. 704. Ant.Ch. 48.

6. Conſimilis mutatio in domo Curionum exſtitit: Siquidem forum noſtrum & [6] patris graviſſimum ſupercilium, & filii ſexcenties ſeſtertiûm æris alieni aſpexit, contractum famoſa injuria nobilium juvenum,

INTERPRETATIO.

[a] *Licet ſermo ille oblitus videatur* horum temporum quibus bellum *in Pyrrhum & Annibalem* gerebatur; *& redoleat innumera vectigalia, quæ trans mare* in Africa & Aſia *colligebantur: nondum tamen* exprimit opum illam *profuſionem, quæ ſequentibus ſæculis in ædificia & nemora facta eſt.*

[b] *Cum præcipue Sertorius non procul ab exercitu Romano caſtra cum Luſitanis haberet.*

NOTÆ.

1. *Sermonem oblitum Pyrrhi.*] Vbi munera ſua à Romanis repudiata Pyrrhus audiit, dixiſſe fertur, nullam capiendæ Romæ ſpem eſſe; Annibal vero capi non poſſe, priuſquam luxu caperentur.

2. *Attalicis aulæis.*] Hoc eſt, pretioſis tapetibus, quibus Attali Pergami Reges uti ſolebant.

3. *Ludos.*] Scenæ enim ad oſtentationem hiſtrionum inſtructæ erant.

4. *Demiſſas lacunaribus.*] *Sedenti in tranſenna demiſſum victoriæ ſimulacrum cum machinato ſtrepitu tonitruum coronam capiti imponebat.* Ita Salluſt. lib. 2. hiſt.

5. *Numidica caſtra.*] Illius enim pater ſeveritate diſciplinam militarem in ſuo exercitu correxerat: quod pluribus Salluſtius.

6. *Patris graviſſimum.*] Patri & filio C. Scribonius Curio nomen fuit; pater Conſul anno 679. Macedoniam ſortitus, de Bardanis triumphavit: Orator ſat probabilis, ſed memoria tam debilis, ut tribus propoſitis, vel quartum adderet, vel tertium quæreret. Filius admirabilem ad dicendum naturam habuit; Tribunus plebis primum Cæſari infeſtus, deinde ob æs alienum contractum illius partes ſecutus, Catonem expulit Sicilia: Accium Varum in Africa vicit; tum ipſe à Iubæ Præfecto cum quatuor legionibus cæſus eſt.

Itaque eodem tempore, & in iisdem penatibus diversa secula habitarunt, frugalissimum alterum, alterum nequissimum.

7. [1] P. autem Clodii judicium quanta luxuria & libidine abundavit? in quo ut evidenter incesti crimine nocens reus absolveretur, noctes matronarum & adolescentium nobilium magna summa emptæ mercedis loco judicibus erogatæ sunt. Quo in flagitio tam tetro, tamque multiplici, nescias primum quem detestêre; an qui istud corruptelæ genus excogitavit, an qui suam pudicitiam sequestrem perjurii fieri passi sunt, an qui religionem stupro permutarunt.

8. Æque flagitiosum illud convivium, quod Gemellus Tribunicius viator ingenui sanguinis, sed officii intra servilem habitum deformis, Metello Scipioni Consuli, ac Tribunis plebis magno cum rubore civitatis comparavit. Lupanari enim domi suæ instituto, Muciam & Fulviam, tum à patre, tum à viro utramque abductam, & nobilem puerum Saturninum in eo prostituit. Probrosæ patientiæ corpora ludibrio temulentæ libidini futura: epulas Consulibus & Tribunis non celebrandas, sed vindicandas.

9. Præcipue vero Catilinæ libido scelesta: Nam vesano amore Aureliæ Orestillæ correptus, cum unum impedimentum videret, quo minus nuptiis inter se jungerentur, filium suum, quem & solum, & ætate jam puberem habebat, veneno sustulit: protinusque ex rogo ejus maritalem facem accendit, ac novæ maritæ orbitatem suam loco muneris erogavit. Eodem deinde animo civem se gerens, quo patrem egerat: filii pariter manibus, & nefarie attentatæ patriæ pœnas dedit.

NOTÆ.

Extant multæ ad ipsum Ciceronis epistolæ.

1. *P. Clodii.*] P. Clodius, Metellus Scipio, Catilina, ex iis quæ jam diximus, notissimi.

EXTERNA.

1. At Campana luxuria perquam utilis civitati nostræ fuit. Invictum enim armis Annibalem illecebris suis complexa, vincendum Romano An.M.3839.
militi tribuit. Ita vigilantissimum ducem, illa exercitum acerrimum da- Ol 141. 2.
pibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantia, Veneris usu Vrb.C. 538.
lasciviore, ad somnum & delicias evocavit. Ac tum demum fracta & Ant.Ch.214.
contusa Punica feritas est, cum [1] Seplasia ei & Albana castra esse cœperunt. Quid ergo his vitiis fœdius, quid etiam damnosius, quibus vir-

NOTÆ.

1. *Seplasia.*] Sic legitur in Ciceronis oratione contra Pisonem, non *Selapsia.* Erat autem Capuæ platea, ubi unguentarii, caupones, & alii hujus generis homines. Capuæ deliciis, tum Annibalis, tum exercitus illius ardor ita elanguit, ut non immerito dictum sit, *Capuam Annibalis Cannas fuisse.*

tus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in infamiam convertitur, animique pariter & corporis vires expugnantur? Adeo ut nescias ab hostibus-ne, an ab illis capi perniciosius habendum sit.

An.M. 3755. Ol. 120. 2. Vrb.C. 454. Ant.Ch. 198.

2. Quæ etiam [1] Volsiniensium urbem gravibus & erubescendis cladibus implicarunt. Erat opulenta, erat moribus & legibus ornata, Etruriæque caput habebatur: sed postquam luxuria prolapsa est, in profundum injuriarum & turpitudinis decidit, ut [2] servorum se insolentissimæ dominationi subjiceret. Qui primum admodum pauci Senatorium ordinem intrare ausi, mox universam Rempublicam occupaverunt. Testamenta ad arbitrium suum scribi jubebant: convivia, cœtusque ingenuorum fieri vetabant: filias dominorum in matrimonium ducebant. Postremo lege sanxerunt, ut stupra sua in viduis pariter ac nuptis impunita essent: ac ne qua virgo ingenuo nuberet, cujus castitatem non ante ex numero ipsorum aliquis delibasset.

An.M. 3568. Ol. 73. 3. Vrb C. 267. Ant.Ch. 485.

3. Age, Xerxes opum regiarum ostentatione eximia, eo usque luxuria gaudebat, ut edicto præmium ei proponeret, qui novum voluptatis genus reperisset. Quanta, dum deliciis nimiis capitur, amplissimi imperii ruina evasit.

An.M. 3862. Ol. 147. 1. Vrb.C. 561. Ant.Ch. 191.

4. Antiochus quoque Syriæ Rex nihilo continentioris exempli: Cujus cœcam & amentem luxuriam exercitus imitatus, magna ex parte [3] aureos clavos crepidis subjectos habuit: argenteaque vasa ad usum culinæ comparavit: & tabernacula textilibus sigillis adornata statuit. Avaro potius hosti præda optabilis, quam ulla ad vincendum strenuo mora.

An.M. 3922. Ol. 162. 1. Vrb. C. 621. Ant.Ch. 131.

5. [4] Jam Ptolemæus Rex accessione vitiorum suorum vixit: ideoque Physcon appellatus est. Cujus nequitia quid nequius? sororem natu majorem [5] communi fratri nuptam sibi nubere coëgit. Postea deinde filia ejus per vim stuprata, ipsam [6] dimisit, ut vacuum locum nuptiis puellæ faceret.

Notæ.

1. *Volsiniensium.*] Tres olim urbes in Etruria nobiles, Aretium, Perusium, & Volsinum. *Bolsena.*

2. *Servorum dominationi.*] Volsinenses Senatus Romani opem implorarunt; missus cum copiis Fabius, qui pœnas à servis exegit, urbemque servitute liberavit. Ita Florus l. 1. c. 21.

3. *Aureos clavos.*] Copias auro fulgentes Annibali cum ostendisset Antiochus, quæsivit ex eo, numquid ea satis essent Romanis? tum Annibal: *Satis*, inquit, *erunt Romanis, quamvis avarissimi sint.*

4. *Ptolemæus.*] Filius Ptolemæi Epiphanis. *Physcon,* hoc est, ventriosus vocatur à Iosepho, Strabone, & ab Epiphanio Philologo, *Strabo: Cacergetes* ab Alexandrinis: *Evergetem* tamen appellari se volebat.

5. *Communi fratri.*] Ptolemæi Philometoris, quem regno expulerat: ipse enim prius regnabat in Cyrene

6. *Dimisit.*] Cum in populum cædibus grassaretur, incensa à populo regia, ipse in Cyprum aufugit: hinc multi tumultus, quos fuse Iustinus persequitur.

6. Consentaneus igitur Regibus suis gentis Ægyptiæ populus : qui [1] ductu Archelai adversus A. Gabinium mœnibus urbis egressus, cum castra vallo atque fossa cingere juberetur; universus succlamavit, ut id opus publica pecunia faciendum locaretur. Quapropter deliciis tam enerves animi, spiritum exercitus nostri sustinere non potuerunt. An.M. 3999. Ol. 181. 2. Vrb.C. 698. Ant.Ch 54.

7. Sed tamen effœminatior multitudo Cypriorum, qui Reginas suas mulierum corporibus velut gradibus constructis, quo molliùs vestigia pedum ponerent, currum conscendere æquo animo sustinebant. Viris enim, si modo viri erant, vita carere, quam tam delicato imperio obtemperare satius fuit.

NOTÆ.

1. *Ductu Archelai.*] Cui Regina Berenice Ptolemæo patre pulso nupserat: duobus in præliis à Gabinio victus est; quorum in altero captus, & pecunia dimissus, in altero cæsus est; seu à Romanis, ut placet Dioni; seu à Ptolemæo, ut vult Strabo.

CAP. II.

DE CRUDELITATE.

1. *L. Cornelii Sullæ Dict.*
2. *C. Marii Cos.* VII.
3. *L. Iunii Damasippi Præt.*
4. *Munatii Flacci.*

EXTERNORUM.

1. *Carthaginiensium.*
2. *Annibalis Pœni.*
3. *Mithridatis Regis.*
4. *Numulizinthis Thraciæ Regis.*
5. *Ptolemæi Physcontis Regis.*
6. *Darii Ochi Persarum Regis.*
7. *Artaxerxis Ochi Regis.*
8. *Atheniensium.*
9. *Perilli Siculi.*
10. *Etruscorum.*
11. *Quorundam barbarorum.*

[a] HÆc societas vitiorum lascivi vultus, & novæ cupiditati inhærentium oculorum, ac delicato cultu affluente, per varios illecebrarum motus volitantis animi: crudelitatis vero horridus habitus, truculenta facies, violenti spiritus, vox terribilis, ora minis & cruentis imperiis referta: cui silentium donare, incrementum est adjicere. Etenim quem modum sibi ipsa statuet, si ne suggillationis quidem frenis fuerit revocata? ad summam, cum penes illam sit timeri, penes nos sit odisse.

INTERPRETATIO.

a *Societas quadam est inter hac vitia, scilicet inter vultum lascivum, & oculos novis semper cupiditatibus inharentes; & animum, dum cultus delicatus affluit; varios illecebrarum modos quarentem.*

1. L. Sulla, [1] quem neque laudare, neque vituperare quisquam satis digne potest: quia dum quærit victorias, Scipionem se populo Romano; dum sævitiam exercet, Annibalem repræsentavit: Egregie namque auctoritate nobilitatis defensa, crudeliter totam urbem, atque omnes Italiæ partes civilis sanguinis fluminibus inundavit: [2] Quatuor legiones contrariæ partis, fidem suam secutas, in Publica villa, (quæ in Martio campo erat) nequicquam fallacis dextræ misericordiam implorantes, obtruncari jussit: Quarum lamentabiles quiritatus trepidæ civitatis aures receperunt: lacerata ferro corpora Tiberis, impatiens tanti oneris, cruentatis aquis vehere coactus est. [3] Quinque millia Prænestinorum, spe salutis per P. Cethegum data, extra mœnia municipii evocata, cum abjectis armis humi corpora prostravissent, interficienda, protinusque per agros dispergenda curavit. Quatuor millia & septingentos diræ proscriptionis edicto jugulatos in tabulas publicas retulit, videlicet ne memoria tam præclaræ rei dilueretur. Nec contentus in eos sævire, qui armis à se dissenserant; etiam quieti animi cives, propter pecuniæ magnitudinem, per nomenclatorem conquisitos, proscriptorum numero adjecit. Adversus mulieres quoque gladios distrinxit: quasi parum cædibus virorum satiatus. Id quoque inexplebilis feritatis indicium est: [a] abscisa miserorum capita, modo non vultum ac spiritum retinentia, in conspectum suum afferri voluit, ut oculis illa, quia ore nefas erat, manderet. Quam porro crudeliter se [4] in M. Mario Prætore gessit! quem per ora vulgi ad sepulcrum Lutatiæ gentis pertractum, non prius vita privavit, quam oculos infelicis erueret, &

An.M.3972.
Ol.174. 3.
Vrb C. 6. 1.
Ant.Ch 81.

INTERPRETATIO.

a *Abscissa miserorum capita, quæ pristinum fere vultus habitum retinentia, spirare adhuc videbantur.*

NOTÆ.

1. *Quem neque laudare.*] Ita fere Velleius l.2. *L. Cornelius Sylla, qui neque ad finem victoriæ satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest.*

2. *Quatuor legiones.*] Quatuor millia Florus, sex Plutarchus, octo Epit. Liviana, novem Aurelius Victor. In circo maximo factam hanc cædem tradit Plutarchus, dum Sylla in æde Bellonæ Senatum haberet.

3. *Quinque millia Prænestinorum.*] Postquam Lucretius Mario juniore mortuo hac urbe potitus est, illuc Sylla se contulit: primum causa cognita animadvertit in singulos; deinde, quasi non vacaret, cives uno in loco contractos ad duodecim millia confici jussit. Plut.

4. *In M. Mario Prætore.*] Aliter Plutarchus. L. Catilina proscriptione nondum decreta, fratrem cum occidisset, Syllam adit, rogat ut fratrem quasi incolumem proscribat: morem illi gessit Sylla; gratiam vero ut illi referret Catilina, M. Marium, qui bis Prætor fuerat, virum populo gratissimum interficit, caputque defert ad Syllam in foro sedentem: alii volunt Marium erutis oculis, manibus, cruribusque defectis aliquandiu servatum, ut per singula membra moreretur: quod Cicero in petitione Consulatus narrat pluribus.

singulas

ſingulas corporis partes confringeret. Vix mihi veriſimilia narrare videor. At ille etiam M. Plætorium, quod ad Marii ſupplicium exanimis ceciderat, continuo ibi mactavit: novus punitor miſericordiæ, apud quem iniquo animo ſcelus intueri, ſcelus admittere fuit. Sed mortuorum umbris ſaltem pepercit? Minime. Nam C. Marii, cujus, etſi poſtea hoſtis, quæſtor tamen aliquando fuerat, erutos cineres in Anienis alveum ſparſit. En, quibus actis [1] Felicis cognomen aſſequendum putavit!

2. Cujus tamen crudelitatis C. Marius invidiam levat: nam & ille nimia cupiditate perſequendi inimicos, iram ſuam nefarie diſtrinxit, [2] L. Cæſaris Conſularis & Cenſorii nobiliſſimum corpus ignobili ſævitia trucidando: Et quidem apud ſeditioſiſſimi & abjectiſſimi hominis buſtum: id enim malorum miſerrimæ tunc Reipublicæ deerat, [3] ut Vario Cæſar piaculum caderet. Pene tanti victoriæ ejus non fuerunt: quarum oblitus plus criminis domi, quam laudis militiæ meruit. Idem caput M. Antonii abſciſſum lætis manibus inter epulas per ſummam animi ac verborum inſolentiam aliquandiu tenuit: clariſſimique & civis & Oratoris ſanguine contaminari menſæ ſacra paſſus. Atque etiam P. Annium, qui id attulerat, in ſinum ſuum, recentis cædis veſtigiis aſperſum recepit.

An.M. 3967. Ol. 173 2. Vrb C. 666. Ant.Ch. 86.

3. [4] Damaſippus nihil laudis habuit quod corrumperet: itaque memoria ejus licentiore accuſatione perſtringitur; Cujus juſſu principum civitatis capita hoſtiarum capitibus permiſta ſunt; Carboniſque Arvinæ truncum corpus patibulo affixum geſtatum eſt: Adeo ut flagitioſiſſimi hominis Prætura multum, aut Reipublicæ majeſtas nihil potuit.

An.M. 3972. Ol. 174. 3. Vrb. C. 671. Ant.Ch. 81.

4. [5] Munatius etiam Flaccus Pompeiani nominis acrior quam probabilior defenſor, cum ab Imperatore Cæſare in Hiſpania incluſus mœnibus Atteguenſium obſideretur, efferatam crudelitatem ſuam truculentiſſimo genere veſaniæ exercuit: Omnes enim ejus oppidi cives, quos

An.M. 4009. Ol. 183. 4. Vrb.C. 708. Ant.Ch. 44.

Notæ.

1. *Felicis cognomen.*] Reipublicæ certe ob nimiam crudelitatem infelix fuit: unde ille verſiculus:

Aſpice felicem ſibi, non tibi Romule, Syllam.

2. *L. Cæſaris.*] Qui bello ſociali multa fortiter geſſerat, & cum P. Licinio Craſſo fuerat Cenſor.

3. *Vt Vario.*] Sucronenſi; quem ſummo cruciatu periiſſe ſupra ex Cicerone diximus: veriſimile ſit à Syllanis necatum, cum illius mortem Marius vindicavit. De Antonii morte diximus ſupra.

4. *Damaſippus.*] Qui juſſu Marii junioris vocato in Curiam Senatu, C. Papyrium Carbonem Conſulis fratrem, P. Antiſtium, L. Domitium, & Mutium Scævolam Pontificem Maximum, alioſque interfecit.

5. *Munatius Flaccus.*] De nimia Cæſaris potentia cum Pompeium monuiſſet, eum ſecurum eſſe Pompeius juſſit, cum diceret orbem ſe totum, cum pede terram percuſſerit, commoturum: cum vero paulo poſt in Græciam Pompeius fugeret, tum illi Munatius: *Pede*, inquit, *percute terram Pompei.*

ſtudioſiores Cæſaris ſenſerat, jugulatos, muris præcipitavit: fœminas quoque, citatis nominibus virorum, qui in contrariis caſtris erant, ut cædes conjugum ſuarum cernerent; maternis gremiis ſuperpoſitos liberos trucidavit, infanteſque alios in conſpectu parentum humo infligi, alios ſuperjactatos pilis excipi juſſit: Quæ auditu etiam intolerabilia, Romano juſſu, Luſitanis manibus adminiſtrata ſunt: [a] cujus gentis præſidio Flaccus vallatus divinis operibus [1] vecordi pertinacia reſiſtebat.

INTERPRETATIO.

[a] *Cujus gentis præſidio defenſus Flaccus inſana pertinacia reſiſtebat invictis armis* Iulii Cæſaris *inter deos referendi.*

NOTÆ.

1. *Vecordi pertinacia.*] Captus enim à Cæſare meritas crudelitatis pœnas dedit; ut Hirtius in bello Hiſpanico, & Dio l.43. referunt.

EXTERNA.

An.M. 3803. Ol. 132. 2. Vrb. C. 502. Ant.Ch.250.

1. Tranſgrediamur nunc ad illa, quibus, ut par dolor, ita nullus noſtræ civitatis rubor ineſt. Carthaginienſes [1] Atilium Regulum palpebris reſectis, machinæ, in qua undique præacuti ſtimuli eminebant, incluſum, vigilantia pariter & continuo tractu doloris necaverunt. Tormenti genus haud dignum paſſo, auctoribus digniſſimum. Eadem uſi ſunt crudelitate in milites noſtros, quos maritimo certamine in ſuam poteſtatem redactos, navibus ſubſtraverunt; ut earum carinis ac pondere eliſi, inuſitata ratione mortis barbaram feritatem ſatiarent: tetro facinore pollutis claſſibus ipſum mare violaturi.

An.M. 3838. Ol.141. 1. Vrb.C. 537. Ant.Ch.215.

2. Eorum dux Annibal, cujus majore ex parte virtus ſævitia conſtabat, [2] in flumine Vergello corporibus Romanis ponte facto, exercitum traduxit: ut terreſtrium Carthaginienſium copiarum æque ſceleſtum egreſſum terra, quam maritimarum Neptunus experiretur. Idem captivos noſtros oneribus & itinere feſſos infima pedum parte ſucciſa relinquebat. Quos vero in caſtra perduxerat, paria fere fratrum & propinquorum jungens, ferro decernere cogebat: neque ante ſanguine explebatur, quam ad unum victorem omnes redegiſſet. Juſto ergo illum odio, verumtamen tardo ſupplicio Senatus Pruſiæ Regi

NOTÆ.

1. *Attilium Regulum palpebris.*] Attilii cladem, & mortis genus pluribus explicuimus lib.1. c.1. n.14.

2. *In flumine Vergello.*] Vulgo dicitur *Gelo*; ſed male, cum ſit in Sicilia. Florus Vergello; ita etiam Pighius: Plinius Cerbalo, qui Apuliæ fluvius eſt prope Catinas; quem ſequitur Colerus: alii *Gallo*, alii *Sigello*; ego libentius cum Plinio legerim *Cerbalo.*

factum supplicem [1] ad voluntariam mortem compulit.

3. Tam Hercle, quam Mithridatem Regem, qui una epistola [2] octoginta millia civium Romanorum in Asia per urbes negotiandi gratia dispersa, interemit: tantæque provinciæ hospitales Deos, injusto, sed non inulto cruore respersit. Quoniam cum maximo cruciatu, [3] veneno repugnantem spiritum suum tandem succumbere coëgit. Simulque piacula [4] crucibus illis dedit, quibus amicos suos auctore Gauro Spadone libidinosus obsequio, scelestus imperio affecerat.

An.M.3966. Ol. 173. 1. Vrb.C. 665. Ant.Ch.87.

An.M.3991. Ol 179. 1. Vrb.C. 690. Ant.Ch. 62.

4. Numulizinthis Diogiridis filiæ Thraciæ Regis etsi minus admirabilem crudelitatem gentis ipsius feritas, narrandam tamen rabies sævitiæ facit: cui neque vivos homines medios secare, neque parentes liberorum vesci corporibus nefas fuit.

5. Iterum Ptolemæus Physcon emergit, paulo ante libidinosæ amentiæ teterrimum exemplum: idem etiam inter præcipua crudelitatis indicia referendus. Quid enim hoc facto truculentius? [5] filium suum nomine Menephitem, quem ex Cleopatra eadem sorore & uxore su-

An.M. 3922. Ol. 162. 1. Vrb. C. 621. Ant.Ch. 131.

NOTÆ.

1. *Ad voluntariam mortem.*] Post victum Antiochum, Annibal, uti diximus, ad Prusiam Bithyniæ Regem se contulit, ad quem aliquanto post legatus à Senatu Romano venit T. Quintius Flaminius. Tum Prusias, sive ut gratificaretur præsenti Flaminio, sive ab eo impulsus, milites misit ad custodiendam Annibalis domum: ille, ut iter semper aliquod præparatum fugæ haberet, septem exitus è domo fecerat, & ex iis quosdam occultos, ne custodia sepirentur; sed frustra, nam circuitum domus ita custodiis complexi sunt, ut nulla omnino fugæ via pateret: quod ut sensit Annibal, vel à servo ipsius jussu compressa gula interiit; vel taurinum sanguinem ebibit, ita enim nonnulli apud Plutarchum; vel potius, ut placet Livio, venenum, quod jam diu præparatum ad tales habebat casus; poposcit. *Liberemus*, inquit, *diuturna cura populum Romanum quando mortem senis expectare longum censent; nec magnam, nec memorabilem ex inermi proditoque Flaminius victoriam feret: mores quidem P. Romani quantum mutaverint, vel hic dies argumento erit. Horum Patres Pyrrhum infestis signis Romæ imminentem à veneno ut caveret monuerunt; hi Prusiæ auctores sunt ut regiæ dignitatis, junctaque dextera oblitus hospes hospitem scelere prodat.* Exsecratus deinde in caput, regnumque Prusiæ, poculum exhausit annos natus 70. Hæc Livius l.39.

2. *Octoginta millia.*] Vno die 150, millia cæsa tradit Plutarchus in Sylla: missis enim ad Satrapas literis, Romanos omnes & Italicos hospites cum uxoribus & liberis occidi jussit; pollicitus servo libertatem, si herum; debitori dimidiam pecuniæ partem, si creditorem necasset.

3. *Veneno repugnantem.*] Duo constant apud auctores de morte Mithridatis; unum, eum postquam Pharnaces filius ab exercitu Rex salutatus est, venenum bibisse: alterum, cum vel nihil vel lentius noceret, quod esset à puero tutorum metu bibendis venenis assuetus, *male tentatum veneno spiritum*, inquit Florus, *ferro expulisse.* An vero sua, an aliena manu ceciderit, incertum est: à Bituito Gallo, ex Floro & Aurelio Victore; à se ipso, ex Gellio & Dione, gladio confossus occubuit.

4. *Crucibus.*] Non in amicos tantum, sed in uxores etiam & liberos sæviit, quarum multos qua veneno, qua ferro sustulit.

5. *Filium suum.*] Ex duabus uxoribus duos filios susceperat, quorum alterum natu majorem, ne ab Alexandrinis Rex crearetur, interfecit; alterum secum in Cyprum abductum multas in partes

ſtulerat, liberalis formæ, optimæque ſpei puerum, in conſpectu ſuo occidi juſſit; protinuſque caput ejus & pedes præciſos, & manus in ciſta chlamyde opertos pro munere natalitio matri miſit. Perinde quaſi ipſe cladis quam inferebat expers, ac non infelicior, quod in communi orbitate Cleopatram miſerabilem, cunctis ſe inviſum redderet. Adeo cœco furore ſumma quæque effervеſcit crudelitas, cum munimentum ex ſeipſa capit. Nam cum animadverteret, quanto ſui odio patria teneretur, timori remedium ſcelere petivit: quoque tutius plebe trucidata regnaret, frequens juventute gymnaſium armis & igni circumdedit, omneſque qui in eo erant, partim ferro, partim flamma necavit.

An. M. 3638. Ol. 91. 1. Vrb. C. 337. Ant. Ch. 415.

6. [1] Ochus autem, qui poſtea Darius appellatus eſt, ſanctiſſimo Perſis jurejurando obſtrictus, ne quem ex conjuratione quæ ſeptem Magos cum eo oppreſſerat, aut veneno, aut ferro, aut ulla vi, aut inopia alimentorum necaret; crudeliorem mortis rationem excogitavit, [a] qua oneroſos ſibi, non perrupto religionis vinculo tolleret. Septum enim altis parietibus locum cinere complevit, ſuppoſitoque tigno prominente, benigne cibo & potione exceptos in eo collocabat; è quo ſomno ſopiti, in illam inſidioſam congeriem decidebant.

An. M. 3690. Ol. 104. 1. Vrb. C. 389. Ant. Ch. 363.

7. Apertior & tetrior alterius [2] Ochi cognomine Artaxerxis crudelitas, qui Ocham ſororem, atque eandem ſocrum, vivam capite defodit: & patruum cum centum amplius filiis ac nepotibus vacua area deſtitutum, jaculis confixit; nulla injuria laceſſitus, ſed quod in his maximam apud Perſas probitatis & fortitudinis laudem conſiſtere videbat.

An. M. 3595. Ol. 80. 2. Vrb. C. 294. Ant. Ch. 458.

8. Conſimili genere æmulationis inſtincta civitas Athenienſium, indigno gloriæ ſuæ decreto [3] Æginenſium juventuti pollices abſcidit;

INTERPRETATIO.

a *Qua homines illos, ob nimiam potentiam ſibi graves, non violato juramento occideret.*

NOTÆ.

ſecari juſſit: miſitque in ciſta Alexandriam matri inter epulas offerendum.

1. *Ochus autem, qui poſtea Darius.*] Moriens Artaxerxes Longimanus filios reliquit octodecim, Xerxem ex Damaſpia legitimum, alios omnes ſpurios; quos inter Sogdianus & Ochus ille, qui Darius Nothus dictus eſt: haud multo poſt patris mortem regnandi libidine, & Xerxem Sogdianus, & Sogdianum Darius Nothus, alioſque è fratribus, ne regno ab his pelleretur, interfecit. Ita Cteſias.

2. *Ochi cognomine Artaxerxis.*] Crudelitate præter cæteros Perſarum Reges Ochus ille nobilitatus eſt: qui vivo patre Mnemone fratrum alterum calumniis ad venenum compulit; alterum decrepiti patris delicias per Harpatem interemit; veritusque ne quis ſuorum id in ſe, quod in ipſius patrem Cyrus junior moliretur, regiam cognatorum cæde replevit, ex Iuſtino: octoginta fratres Siſygambis, quæ poſtea Darii mater fuit, necavit, ex Curtio.

3. *Æginenſium.*] Ægina inſula maris Ægæi Piræeo imminens. *Engia.*

[1]ut classe potens populus, in certamen maritimarum virium secum descendere nequiret. Non agnosco Athenas timori remedium à crudelitate mutuantes.

9. Sævus etiam ille [2] ænei tauri inventor, quo inclusi subditis ignibus longo & abdito cruciatu, mugitus resonante spiritu edere cogebantur, ne ejulatus eorum humanæ sono vocis expressi, Phalaridis tyranni misericordiam implorare possent. Quam, quia calamitosis deesse voluit, teterrimum artis suæ opus primus artifex inclusus merito auspicatus est.

An.M. 3482.
Ol. 52. 1.
Vrb.C. 181.
Ant.Ch. 572.

10. At ne [3] Etrusci quidem parum feroces in pœna excogitanda: qui vivorum corpora cadaveribus adversa adversis alligata atque constricta, ita ut singulæ membrorum partes singulis essent accommodatæ, tabescere simul patiebantur: Amari vitæ pariter ac mortis tortores.

11. Sicut illi barbari, quos ferunt mactatarum [4] pecudum intestinis & visceribus egestis, homines inserere, ita ut capitibus tantummodo emineant, atque ut diutius pœnæ sufficiant, cibo & potione infelicem spiritum prorogare: donec intus putrefacti, laniatui sint animalibus quę tabidis corporibus innasci solent. Queramur nunc cum natura rerum, quod nos multis & asperis adversæ valetudinis incommodis obnoxios esse voluerit: [a] habitumque cœlestis roboris humanæ conditioni denegatum moleste feramus, cum tot cruciatus sibimet ipsa mortalitas impulsu crudelitatis excogitaverit.

INTERPRETATIO.

a *Moleste feramus robur immortale humanis corporibus denegatum.*

NOTÆ.

1. *Vt classe potens populus*] Per annos 45. inter Athenienses & Æginetas vario marte pugnatum est: duobus tandem præliis victi Æginetæ & ab Leocrate obsessi, cum spes auxilii nulla esset, se suaque Atheniensibus permiserunt.

2. *Ænei tauri inventor.*] Perillus Atheniensis, qui dum artis pretium & operis petit, Phalaridis jussu primus in tauro inclusus periit: hunc taurum Apollini Delphico à Phalaride consecratum refert Lucianus; Timæus vero ab Agrigentinis in marę demersum.

3. *Ne Etrusci quidem.*] Id Mezentio eorum Regi tribuit Virg. l. 8.

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora.

4. *Pecudum intestinis.*] Illud etiam supplicii genus, & ab Opilio Macrino in duos milites, teste Capitolino; & in Christianos à Paganis, teste Sulp. Severo, usurpatum est.

CAP. III.

DE IRA ET ODIO.

ROMANORUM.
1. *M. Livii Salinatoris Cos.*
2. *C. Marcii Figuli Iurisconsult.*
3. *Patriciorum.*
4. *Iuventutis Romanæ.*
5. *Exercitus Rom.*
6. *Plebis Rom.*
7. *Q. Metelli Macedonici Procos.*
8. *L. Cornelii Sullæ.*

EXTERNORUM.
1. *Alexandri Magni.*
2. *Amilcaris Barchæ Pœni.*
3. *Annibalis Barchæ Pœni.*
4. *Semiramidis Aßyriorum Reginæ.*

IRa quoque & odium in pectoribus humanis magnos fluctus excitant; procursu celerior illa, nocendi cupidine hoc pertinacius. [a] Uterque consternationis plenus affectus, ac nunquam sine tormento sui violentus: quia dolorem cum inferre vult, patitur, amara solicitudine, ne non contingat ultio, anxius: Sed proprietatis eorum certissimæ sunt imagines; quas Dii ipsi in claris personis, aut dicto aliquo, aut facto vehementiore conspici voluerunt.

1. Cum adversus Asdrubalem Livius Salinator bellum gesturus [1] urbe egrederetur, monente Fabio Maximo, ne ante descenderet in aciem, quam hostium vires animumque cognosset; primam occasionem pugnandi non omissurum se respondit. Interrogatusque ab eodem, quid ita tam festinanter manum conserere vellet: Ut quam celerrime (inquit) aut gloriam ex hostibus victis, aut ex civibus prostratis gaudium capiam. Ira tunc atque virtus sermonem ejus inter se diviserunt: illa injustæ damnationis memor, hæc triumphi gloriæ intenta. [b] Sed nescio an ejusdem fuerit hoc dicere, & sic vincere.

An.M. 3847. Ol.143. 2. Urb.C.546. Ant.Ch.206.

2. Ardentis spiritus virum, & bellicis operibus assuetum, huc iracundiæ stimuli egerunt: C. autem Figulum mansuetissimum, pacato juris civilis judicio celeberrimum, prudentiæ, moderationisque immemorem reddiderunt. Consulatus enim repulsæ dolore accensus, eo quidem magis, quod illum [2] bis patri suo datum meminerat, cum ad eum po-

INTERPRETATIO.

a *Uterque affectus perturbationis plenus est; & quando violentus est, illum, in quo est, torquet.*

b *Sed nescio an is, qui vocem tam crudelem protulit, tantam victoriam referre meruerit.*

NOTÆ.

1. *Urbe egrederetur.*] De Livii Salinatoris Consulatu, de Asdrubalis victoria, Censura, diximus variis in locis.

2. *Bis patri suo.*] Qui primum cum

ſteſo comitiorum die multi conſulendi cauſa veniſſent, omnes dimiſit: præfatus, An vos conſulere ſcitis, Conſulem facere neſcitis? Dictum graviter & merito; ſed tamen aliquanto melius non dictum. Nam quis pop. Rom. iraſci ſapienter poteſt?

3. Itaque ne illi quidem probandi, quamvis factum eorum nobilitatis ſplendore protectum ſit: qui, quod [1] Cn. Flavius humillimæ quondam ſortis Præturam adeptus erat, offenſi, [2] annulos aureos ſibimet ipſis, & phaleras equis detractas abjecerunt, doloris impotentiam tantum, non luctum profecto teſtati.

4. Talis iræ motus aut ſingulorum, aut paucorum adverſus populum univerſum: multitudinis autem erga principes ac duces ejuſmodi. Manlio Torquato ampliſſimam & glorioſiſſimam ex Latinis & Campanis victoriam in Urbem referenti, cum ſeniores omnes lætitia ovantes occurrerent; juniorum nemo obviam proceſſit: [3] quod filium adoleſcentem fortiſſime adverſus imperium ſuum præliatum, ſecuri percuſſiſſet. Miſerti ſunt æqualis nimis aſpere puniti: nec factum eorum defendo, ſed iræ vim indico, quæ unius civitatis & ætates & affectus dividere valuit. An.M. 3714. Ol. 110. 1. Vrb. C. 413. Ant.Ch. 339.

5. Eadem tantum potuit, ut univerſum populi Romani peditatum [4] à Fabio Conſule ad hoſtium copias perſequendas miſſum, cum & tuto & facile eas liceret delere; legis agrariæ ab eo impeditæ memoria immobilem retineret. Illa vero etiam [5] Appio duci (cujus pater, dum pro Senatus amplitudine nititur, commoda plebis acerrime impugnaverat) infenſum exercitum faciendo, voluntaria fuga terga hoſti, ne triumphum Imperatori quæreret, dare coëgit. [a] Quoties ergo victoriæ victrix? congratulationem ejus in Torquato ſpernendam, in Fabio pul- An.M. 3574. Ol. 75. 1. Vrb. C. 273. Ant.Ch. 479. An. M. 3584. Ol. 77. 3. Vrb.C. 383. Ant.Ch. 469.

INTERPRETATIO.

a *Quoties ergo* ira *victoriæ victrix*; qua factum eſt, ut *congratulatio* ob victoriam relatam *in Torquato ſperneretur*; *pars victoriæ maxima in Fabio amitteretur*, & *tota victoria in Appio turpi fuga poſtponeretur.*

NOTÆ.

Scipione Naſica Conſul, & iterum cum L. Cornelio Lentulo contra Dalmatas bene rem geſſit.

1. *Cn. Flavius.*] Qui primus è gente libertina Ædilis Curulis factus, quod faſtos & jus civile vulgaſſet. Vide l. 2. c. 1.

2. *Annulos aureos.*] Nec Senatus univerſus phaleras, nec omnis Equeſter Ordo annulos abjecit, ſed ſola Nobilitas, ut ſcribit Plinius.

3. *Quod filium.*] Conſule lib. 5. c. 6.

4. *A Fabio Conſule.*] Fabio Cæſone, qui tum ſecundum Conſul erat; cum enim Licinio Tribuno plebis legem agrariam ferre volenti vehementer obſtitiſſet, in Vejentes & Æquos movit; quos quidem primo congreſſu ſolo equitatu vertit in fugam: at dum pedites victoriam perſequi detrectant, hoſtes innocui effugiunt. Livius l. 2.

5. *Appio duci.*] Claudio Sabino: qui cum, & invitus, & invita plebe, cui Claudia gens infenſa erat, Conſul factus eſſet, in Volſcos profectus eſt: ſed milites deſerere ſigna, ordines relinquere, abjicere ſe in caſtra, & tandem coram hoſte

cherrimam partem omittendam, in Appio totam fugæ postponendam credidit.

6. Age, quam violenter se in pectore universi populi Rom. gessit eodem tempore, quo suffragiis ejus dedicatio ædis Mercurii M. Plætorio primipili Centurioni data est; [1] præteritis Consulibus, Claudio quod obstitisset, quo minus æri alieno suo succurreretur; & Servilio, quod susceptam causam suam languido patrocinio protexisset? Negas efficacem esse iram, cujus hortatu miles summo imperio prælatus est?

An.M.3560. Ol. 71. 3. Vrb.C.259. Ant.Ch.493.

7. Non quidem proculcavit tantum imperia; sed etiam gessit impotenter. Nam [2] Q. Metellus cum Provinciam Hispaniam Consul prius, deinde pro Consule, pene totam subegisset, postquam cognovit Q. Pompeium Consulem inimicum suum successorem sibi mitti: omnes qui modò militiam suam voluerunt finiri, dimisit: commeatus petentibus, neque causis excussis, neque constituto tempore dedit: horrea custodibus remotis opportuna rapinæ præbuit: arcus, sagittasque Cretensium frangi, atque in amnem abjici jussit: elephantis cibaria dari vetuit: Quibus factis ut cupiditati suæ indulsit, ita magnifice gestarum rerum gloriam corrupit: meritumque honorem triumphi, hostium quam iræ fortior victor, amisit.

8. Quid Sulla, dum huic vitio obtemperat? nonne multo alieno sanguine profuso, ad ultimum & suum erogavit? Puteolis enim ardens indignatione, quod Granius princeps ejus coloniæ pecuniam à Decurionibus ad refectionem Capitolii promissam cunctantius daret; animi concitatione nimia, atque immoderato vocis impetu convulso pectore, [3] spiritum cruore ac minis mistum evomuit. Nec senio jam prolapsus, utpote sexagesimum ingrediens annum; sed alita miseriis Reipublicæ im-

NOTÆ.

palam fugere: quare ubi in agrum Romanum ventum est, ordinum ductores qui fugerant, securi percussi; & è reliqua multitudine decimus quisque neci datus est. Hæc Livius l. 2.

1. *Præteritis Consulibus.*] Ap. Claudio Sabino, qui Claudiæ gentis princeps extitit, & P. Servilio Prisco: orta propter nexos ære alieno gravi seditione, Appius imperio Consulari agendum ratus; Servilius vero pollicitus est habendam à Senatu nexorum rationem; promissis tamen stare cum, nec per Senatum, nec per Appium ipsi liceret, in utrumque Consulem grave odium populi conflatum est.

2. *Q. Metellus.*] Macedonicus; de quo tamen diversa plane prodit Appianus, cum velit exercitum triginta millium peditum rei militaris peritissimum ab eo Q. Pompeio traditum: quod refert Valerius. Ex eo tamen verisimile fit, quod Metello post tot victorias negatus sit honos triumphi.

3. *Spiritum cruore.*] Cum Capitolii dedicandi vehementi desiderio teneretur, Granium in cubiculum advocat, eumque à ministris strangulari jubet; sed clamore nimio dirupta vomica expiravit. Epigramma à se compositum suo sepulcro voluit inscribi; illius hæc sententia fuit: *Se nec ab amicorum beneficiis, nec ab inimicorum injuriis superatum.*

potentia

potentia furens. Igitur in dubio est, Sulla-ne prior, an iracundia Sullæ sit extincta.

EXTERNA.

Nunc ab ignotis exempla petere juvat, sed maximis viris exprobrare vitia sua verecundiæ est: [a] cæterum cum propositi fides excellentissima quæque complecti moneat, voluntas operi cedat; dum præclara libenter probando, necessaria narrandi conscientia non desit.

1. Alexandrum iracundia sua propemodum cœlo diripuit. Nam quid obstitit, quo minus illuc assurgeret, nisi [1] Lysimachus [2] leoni objectus, & [3] Clytus hasta trajectus, & Callisthenes mori jussus? quia tres maximas victorias totidem amicorum injustis cædibus victor perdidit. An.M. 3728. Ol. 113. 3. Vrb.C. 427. Ant.Ch 325.

2. Quam vehemens deinde adversus populum Romanum Amilcaris odium! [4] Quatuor enim puerilis ætatis filios intuens, ejusdem numeri catulos leoninos, in perniciem Imperii nostri alere se prædicabat. Digna nutrimenta, quæ [5] in exitium patriæ suæ, ut evenit, converterentur. An M. 3807. Ol. 133. 2. Vrb C. 506. Ant.Ch. 246.

3. E quibus Annibal mature adeo patris vestigia subsecutus est; ut eo exercitum in Hispaniam trajecturo, & ob id sacrificante, novem annorum natu, altaria tenens juraret; se, cum primum per ætatem An.M. 3816. O. 1 5. 3. Vrb.C. 515. Ant.Ch. 237.

INTERPRETATIO.

a Voluntas licet ab his narrandis abhorreat, cedat proposito operi, dum probando libenter egregie facta, narratio ob promissi fidem necessaria, non desit huic operi.

NOTÆ.

1. *Lysimachus.*] Qui post Alexandri mortem Thraciæ & Macedoniæ imperavit, & admodum senex cum Seleuco Nicanore dimicans cecidit.

2. *Leoni objectus.*] Id ut meram fabulam repudiat Curtius; ut veram historiam probat Iustinus. Cum illius præceptor Callisthenes miris modis torqueretur, Lysimachus misericordia motus venenum ei dedisse fertur; ideoque jussu Alexandri objicitur leoni: at ille nihil territus manipulo involutam manum in os leonis immergit, arreptaque lingua, feram exanimat: quod ut nunciatum Regi est, concessa Lysimacho & vita, & major apud Regem gratia.

3. *Clytus*] Cujus soror Hellanice Alexandrum educaverat: cum in eum sermonem Alexander & exercitus duces super mensam incidissent; uter, Philippus, an Alexander esset rebus gestis illustrior? juvenes non Philippo tantum, sed Baccho etiam Alexandrum; Clytus vero Alexandro Philippum prætulit: inde orto Clytum inter & Alexandrum jurgio, impotens animi Alexander in aditu cubiculi cum hasta constitit, Clytumque, dum exit sine lumine, medium transfixit. *I nunc,* inquit, *ad Philippum, Parmenionem & Attalum.* De Callisthene vide l.7. c.2.

4. *Quatuor enim puerilis.*] Annibalem, Asdrubalem à Salinatore cæsum, Magonem à Druso in Insubris victum, & Hannonem à Massinissa & Scipione in Africa occisum.

5. *In exitium patriæ suæ.*] Si enim bellum Romanis non indixisset Annibal, Scipio non delevisset Carthaginem.

potuisset, acerrimum hostem pop. Rom. futurum; [a] ut pertinacissimis precibus instantis belli commilitium exprimeret. Idem significare cupiens quanto inter se odio Carthago & Roma dissiderent; inflicto in terram pede, suscitatoque pulvere, tunc inter eas fore finem belli dixit, cum alterutra Urbs in habitum pulveris esset redacta.

An.M.2053. Ant.Ch.2000

4. In puerili pectore non tantum vis odii potuit, sed in muliebri quoque æque multum valuit. Namque [1] Semiramis Assyriorum Regina, cum ei circa cultum capitis sui occupatæ nuntiatum esset, Babylonem defecisse; altera parte crinium adhuc soluta, protinus ad eam expugnandam cucurrit: Nec prius decorem capillorum in ordinem, quam tantam urbem in potestatem suam redegit. Quocirca statua ejus Babylone posita est illo habitu, quo ad ultionem exigendam celeritate præcipiti tetendit.

INTERPRETATIO.

a *Vt precibus pertinacibus exprimeret in bello instanti se libenter patri militiæ comitem iturum.*

NOTÆ.

1. *Semiramis Assyriorum Regina.*] Quæ vafra imprimis & astuta ratione ad regnum ex humili conditione pervenisse dicitur; vere, an secus affirmare non ausim: aiunt eam initio Vernæ regii ancillam fuisse; deinde forma ipsius & lepôre captus Ninus eam amare cœpit, eamque in uxorem duxit; à quo aliquanto post petiisse dicitur, ut unum modo diem in solio regio sedeat, omnesque sibi obtemperent: quod ubi à Rege impetravit, experiundi causa quædam haud magni momenti imperat: ubi serio omnes in omnibus sibi parere vidit, jubet stipatoribus corporis regii, ut Regem ipsum comprehendant, comprehenditur; ut vinciant, vincitur; ut interficiant, interficitur: ita regnum ex diurno diuturnum efficitur. Aliter tamen in notis ad Iustinum.

CAP. IV.

DE AVARITIA.

ROMANORUM.
1. *M. Crassi & Q. Hortensii.*
2. *Q. Cassii Longini Proprat.*
3. *L. Septimuleii.*

EXTERNI UNIUS.
1. *Ptolemæi Cypriorum Regis.*

PRotrahatur etiam avaritia, latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædę avidissima vorago: nec habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miserrima.

An.M.3986. Ol.178. 1. Vrb. C.685. Ant.Ch.67.

1. Cum admodum locupleti [1] L. Minucio Basilo falsum testamentum

NOTÆ.

1. *L. Minucio Basilo.*] Tres præcipue hoc nomine memorantur; quorum unus sub Sylla, alter sub Cæsare in Galliis militavit; tertius dives ille Basilus, nisi forte

quidam in Græcia subjecissent, ejus denique confirmandi gratia, potentissimos civitatis nostræ viros M. Crassum & Q. Hortensium, quibus Minucius ignotus fuerat, tabulis hæredes inseruerunt. Quanquam evidens fraus erat, tamen uterque pecuniæ cupidus, facinoris alieni munus non repudiavit. Quantam culpam quam leviter retuli! Lumina Curiæ, ornamenta fori, quod scelus vindicare debebant, inhonesti lucri captura invitati, auctoritatibus suis texerunt.

2. Verum aliquanto majores vires [1] in Q. Cassio exhibuit; qui in Hispania M. Silium & A. Calpurnium occidendi sui gratia cum pugionibus deprehensos, quinquagies sestertium ab illo, ab hoc sexagies pactus dimisit. Atqui ne dubites, si alterum tantum daretur, jugulum quoque suum æquo animo illis fuisse præbiturum. An.M.4007. Ol. 183. 2. Vrb C. 706. Ant.Ch.46.

3. Cæterum avaritia ante omnes L. Septimuleii præcordia possedit: Qui, cum C. Gracchi familiaris fuisset, [2] caput ejus abscindere, & per Urbem pilo fixum ferre sustinuit; quia Opimius Consul auro id se repensurum edixerat. Sunt qui tradunt, liquato plumbo eum cavatam partem capitis, quo ponderosius esset, explesse. Fuerit ille seditiosus, bono perierit exemplo: [a] clientis tamen scelesta fames in has usque jacentis injurias esurire non debuit. An.M. 3933. Ol.164. 4. Vrb. C. 632. Ant.Ch.120.

INTERPRETATIO.

a *Scelesta tamen clientis avaritia non debuit inferre tantam injuriam occiso patrono.*

NOTÆ.

idem fuerit, qui Syllæ partes secutus est. De Crasso & Hortensio egimus sæpissime.

1. *In Q. Cassio.*] Longino, qui Tribunus plebis ad Cæsarem cum Antonio & Curione profugit; à quo Hispaniæ Proprætor factus Provinciam avare & crudeliter administravit: & sub Trebonii successoris adventum in ostio Iberi fluminis demersa navi cum omnibus opibus periit.

2. *Caput ejus abscindere.*] C. Gracchi mortem explicuimus l.1. c.7. n.6.

EXTERNA.

1. Odium merita est Septimuleii avaritia; [1] Ptolemæi autem Regis Cypriorum, risu prosequenda: Nam cum anxiis sordibus magnas opes corripuisset, propterque eas periturum se videret; & ideo omni pecunia imposita navibus, in altum processisset, ut classe perforata suo arbitrio periret, & hostes præda carerent; non sustinuit mergere aurum An.M.3997. Ol. 180. 4. Vrb.C. 696. Ant.Ch.56.

NOTÆ.

1. *Ptolemæi.*] Auletis frater fuit, qui contra jus à P. Clodio proscriptus est, ut habent Appianus & Marcellinus; missusque Cato, qui pecuniam illius Romam deveheret.

& argentum; sed futurum [1] suæ necis præmium domum revexit. Procul dubio hic non possedit divitias, sed à divitiis possessus est: titulo Rex insulæ, animo pecuniæ miserabile mancipium.

NOTÆ.

1. *Suæ necis præmium.*] Iussu Catonis à Canidio monitus, ut & pecunia & regno cederet; cum nec à fratre, nec à quovis alio spes ulla esset auxilii, veneno sibi mortem conscivit, ex Plutarcho & Dione.

CAP. V.
DE SUPERBIA ET IMPOTENTIA.

ROMANORUM.	EXTERNORUM.
1. *M. Fulvii Flacci Cos.*	1. *Alexandri Magni.*
2. *M. Livii Drusi Tribuni plebis.*	2. *Xerxis Persarum Regis.*
3. *Cn. Pompeii Magni Cos. III.*	3. *Annibalis Pœni.*
4. *M. Antonii Triumviri.*	4. *Carthaginiensis & Campani Senatus.*

An.M.3929. Ol. 163. 4. Vrb C. 628. Ant.Ch.124.

1. ATque ut superbia quoque & impotentia in conspicuo ponantur, [1] M. Fulvius Flaccus Consul, M. Plautii Hypsæi Collega, cum perniciosissimas Reipublicæ leges introduceret, de civitate danda, & de provocatione ad populum, eorum qui civitatem mutare voluissent; ægre compulsus est ut in Curiam veniret. Deinde partim monenti, partim oranti Senatui ut incepto desisteret, responsum non dedit. Tyrannici Consul spiritus haberetur, si adversus unum Senatorem hoc modo se gessisset, quo Flaccus in totius amplissimi Ordinis contemnenda majestate versatus est.

An.M.3963. Ol. 172. 2. Vrb.C.662. Ant.Ch.90.

2. Quæ à [2] M. quoque Druso Tribuno plebis per summam contumeliam vexata est. Parvi enim habuit, L. Philippum Consulem, quia interfari concionantem ausus fuerat, obtorta gula, & quidem non per viatorem, sed [3] per clientem suum, adeo violenter in carcerem præcipitem egisse, ut multus è naribus ejus cruor profunderetur. Verum etiam cum Senatus ad eum misisset, ut in Curiam veniret: Quare non potius, inquit, ipse in Hostiliam propinquam Rostris ad me venit? Piget adjicere quod sequitur. Tribunus Senatus imperium despexit: Senatus Tribuni verbis paruit.

NOTÆ.

1. *M. Fulvius Flaccus.*] Qui cum C. Graccho periit, ut diximus L.1. c.7. n.6.

2. *M. quoque Druso:*] De illius conatibus & morte vide supra egimus.

3. *Per clientem.*] A viatore Florus & ab ipso Druso Aurelius Victor id factum affirmat. De Philippo supra.

3. Cn. autem Pompeius quam insolenter? qui balneo egressus, ante pedes suos [1] prostratum Hypsæum ambitus reum, & nobilem virum, & sibi amicum jacentem reliquit, contumeliosa voce proculcatum. Nihil enim eum aliud agere, quam ut convivium suum moraretur, respondit. Et hujus dicti conscius, securus animo cœnare potuit. Ille vero etiam in foro non erubuit, P. Scipionem [2] socerum suum, legibus noxium, quas ipse tulerat, in maxima quidem reorum & illustrium ruina, muneris loco à judicibus deposcere, maritalis lecti blanditiis statum Reipublicæ temperando.

An.M.4002. Ol. 182. 1. Vrb. C. 701. Ant.Ch. 51.

4. Tetrum facto pariter ac dicto M. Antonii convivium. Nam cum ad eum Triumvirum Cæsetii Rufi Senatoris caput allatum esset; aversantibus id cæteris, propius admoveri jussit, ac diu diligenterque consideravit. Cunctis deinde expectantibus quidnam esset dicturus: Hunc ego, inquit, notum non habui. Superba de Senatore, impotens de occiso confessio.

An M.4012. Ol. 184. 3. Vrb C. 711. Ant. Ch. 41.

NOTÆ.

1. *Prostratum Hypsæum.*] Qui cum Metello Scipione & Milone Consulatum petierat; cumque urbem armatis militibus diu turbassent, unus Pompeius Consul creatus est, ipsique ambitus postulati.

2. *Socerum.*] Corneliam illius filiam post mortem Iuliæ in uxorem duxerat.

EXTERNA.

1. Satis multa de nostris, aliena nunc adjiciantur. Alexandri Regis virtus & felicitas tribus insolentiæ gradibus exultavit evidentissimis. [1] Fastidio enim Philippi, Jovem Hammonem patrem ascivit: tædio morum, & cultus Macedonici, vestem & instituta Persica assumpsit: spreto mortali habitu, divinum æmulatus est. Nec fuit ei pudori filium, civem, hominem dissimulare.

An.M. 3728. Ol. 113. 3. Vrb.C.427. Ant.Ch. 325.

2. Jam Xerxes, cujus in nomine superbia & impotentia habitat, suo jure quam insolenter abusus est, cum Græciæ indicturus bellum, adhibitis Asiæ principibus, Ne viderer, inquit, meo tantummodo usus consilio, vos contraxi. Cæterum mementote parendum vobis magis esse quam suadendum. Arroganter, etiam si victori, repetere ei regiam contigisset: [2] tam deformiter victi, nescias utrum insolentius dictum, an impudentius.

An.M.3569. Ol. 73. 4. Vrb.C. 268. Ant.Ch.484.

3. Annibal autem Cannensis pugnæ successu elatus, nec admisit

An.M. 3838. Ol 141. 1. Vrb.C. 537. Ant.Ch. 215.

NOTÆ.

1. *Fastidio Philippi.*] Qui Alexander Iovis Ammonis filius dictus sit, vestes, ornatumque Persicum sumpserit, pluribus persequuntur Arrianus & Curtius; quæ hic referre infinitum sit.

2. *Tam deformiter victi.*] Nec victor, nec victus tum erat Xerxes; necdum enim in Græcos bellum gesserat.

quemquam civium suorum in castris, [1] nec responsum ulli, nisi per interpretem dedit. Maharbalem etiam, ante tabernaculum suum clara voce affirmantem, prospexisse se quonam modo paucis diebus Romæ [2] in Capitolio cœnaret, aspernatus est. [a] Adeo felicitatis & moderationis dividuum contubernium est.

4. Insolentiæ vero inter Carthaginiensem & Campanum Senatum quasi æmulatio fuit. Ille enim separato à plebe balneo lavabatur, hic diverso foro utebatur: Quem morem Capuæ aliquandiu retentum, C. quoque Gracchi oratione in Plautium scripta patet.

INTERPRETATIO.

[a] *Usque adeo felicitas & moderatio difficile in uno homine reperiuntur.*

NOTÆ.

1. *Nec responsum ulli.*] Illius rei nec Polybius, nec Livius, nec Plut. meminerunt.

2. *In Capitolio cœnaret.*] Cum cæteri suaderent Annibali, ut quietem & ipse sumeret, & fessis daret militibus; Maharbal Præfectus Equitum minime cessandum ratus: *Imo, ut quid hac pugna sit actum scias: die quinto,* inquit, *victor in Capitolio epulaberis: sequere cum equite, ut prius te venisse, quam venturum sciant. Pracedant*, inquit Annibal, *nuncii: læta res est; sed via major, quam ut eam statim capere animo possim*: tum Maharbal; *Non omnia nimirum eidem dii dedere: vincere scis Annibal, victoria uti nescis.* Hæc Livius l. 22.

CAP. VI.

DE PERFIDIA.

1. *T. Tatii Sabinorum Regis.*
2. *Ser. Sulpicii Galbæ Pr.*
3. *Cn. Domitii Ahenobarbi Procos.*
4. *Q. Servilii Cæpionis Cos.*

EXTERNORUM.

1. *Carthaginiensium.*
2. *Annibalis Pœni.*

OCcultum jam & insidiosum malum perfidia latebris suis extrahatur. Cujus efficacissimæ vires sunt mentiri ac fallere: fructus in aliquo admisso scelere consistit: tum certus, cum crudelitatem nefariis vinculis circumdedit: tantum incommodi humano generi afferens, quantum salutis bona fides præstat. Habeat igitur non minus reprehensionis, quam illa laudis consequitur.

1. Romulo regnante Sp. Tarpeius arci præerat; cujus filiam virgi-
An M. 3306. Ol. 8. 1. Vrb.C. 5. Ant.Ch. 747. nem aquam sacris petitum extra mœnia egressam, Tatius, ut armatos Sabinos in arcem secum reciperet, corrupit; mercedis nomine pactam

quæ in ſiniſtris manibus gerebant. [1] Erant autem his armillæ, & annuli magno ex pondere auri. Loco potitum agmen Sabinorum, puellam præmium flagitantem, armis obrutam necavit: perinde quaſi promiſſum (quod ea quoque lævis geſtaverant) ſolvens. Abſit reprehenſio: quia impia proditio celeri pœna vindicata eſt.

2. Ser. quoque Galba [2] ſummæ perfidiæ: trium enim Luſitaniæ civitatum convocato populo tanquam de commodis ejus acturus, ſeptem millia, in quibus flos juventutis conſiſtebat, electa, & armis exuta, partim trucidavit, partim vendidit: [a] Quo facinore maximam cladem barbarorum, magnitudini criminis anteceſſit.

An.M. 3903. Ol. 157. 2. Vrb.C. 602. Ant.Ch. 150.

3. Cn. autem Domitium ſummi generis, & magni animi virum, nimiæ gloriæ cupiditas perfidum exiſtere coëgit. [3] Iratus namque [4] Betulto Regi Arvernorum, quod cum ſuam, tum etiam Allobrogum gentem, ſe etiam tum in Provincia morante, ad [5] Q. Fabii ſucceſſoris ſui dexteram confugere hortatus eſſet: per colloquii ſimulationem accerſitum, hoſpitioque exceptum vinxit, ac Romam nave deportandum curavit. Cujus factum Senatus neque probare potuit, neque reſcindere voluit, ne remiſſus in patriam Betultus bellum renovaret. Igitur eum Albam cuſtodiæ cauſa relegavit.

An. M. 3933. Ol 164. 4. Vrb. C. 632. Ant.Ch.120.

4. Viriati etiam cædes duplicem perfidiæ accuſationem recepit: [6] in amicis, quod eorum manibus interemptus eſt: in Q. Servilio Cæpione

Interpretatio.

a *Quo facinore ſuperavit magnitudine criminis ſui cladem, quam intulit barbaris maximam.*

Notæ.

1. *Erant autem his armillæ.*] Aureis armillis id temporis uſos eſſe Sabinos negat Livius; virgo Tarpeia hoc in loco ſepulta huic arci nomen fecit.

2. *Summæ perfidiæ.*] Lege quæ diximus ſuperius. Cn. Domitius fuit pater illius, qui M. Antonii in Cenſura Collega fuit.

3. *Iratus namque.*] Locus plane difficilis; cum & ab aliis Valerius, & alii inter ſe diſſentiant. Tradit Suetonius Allobrogas, Arvernoſque à Domitio victos: Velleius Arvernos à Domitio, à Fabio Allobrogas: Epit. Liviana 61. Allobrogas à Domitio; à Fabio vero & Allobrogas & Arvernos: Florus & Eutropius res ab utroque geſtas permiſcent. Vt eos omnes, quoad ejus fieri poteſt, conciliemus, ea ratio, quam ſuppeditat Strabo, jucunda eſt. Betultus contra Romanos pugnavit, Allobrogum auxiliis fretus: primum contra Domitium ad flumen Vndalum, iterum contra Fabium ad confluentem in Rhodanum Iſaram; magnaque ſtrage in utroque prælio victus eſt: Poſt Allobroges deditionem faciunt, ex Eutropio; & Betultus ipſe, ex Epit. Liv. Romam ſponte venit, ſed ſumma perfidia Albæ cuſtodiendus retinetur.

4. *Betulto.*] Dicitur enim & *Betultus*, & *Betulius*.

5. *Q. Fabii.*] Æmiliani Allobrogici, qui Scipionis Æmiliani ex fratre nepos.

6. *In amicis.*] Q. Servilius Cæpio in duobus peccavit; quod & pacem à fratre Fabio Serviliano factam violavit, & Audacem, alioſque duces, quos Viriatus ad ipſum identidem mittebat, corrupit: ab iis enim Viriatus noctu ſopitus confoſſus eſt.

Consule, quia is sceleris hujus auctor, impunitate promissa fuit: victoriamque non meruit, sed [1] emit.

N o t æ.

1. *Emit.*] Percussoribus nullam gratiam retulit, cum diceret: *Nunquam placuisse Romanis Imperatorem à suis interfici militibus.* Ita Eutropius.

E X T E R N A.

An.M.3799. Ol. 131. 2. Vrb.C. 498. Ant.Ch.254.

1. Verum ut ipsum fontem perfidiæ contemplemur: Carthaginienses Xantippum Lacedæmonium, cujus optima opera primo Punico bello usi fuerant, & quo juvante Atilium Regulum ceperant; simulantes sese domum revehere, [1] in alto merserunt. Quid tanto facinore petentes? an ne victoriæ eorum socius superesset? Extat nihilominus, & quidem cum illorum opprobrio; quem sine ulla gloriæ jactura inviolatum reliquissent.

An.M. 3839. Ol. 141. 2. Vrb.C. 538. Ant.Ch. 214.

2. Annibal porro [2] Nucerinos hortatu suo cum binis vestimentis urbem inexpugnabilibus muris cinctam egressos, vapore & fumo balnearum strangulando, & Acerranorum Senatum eadem ratione extra mœnia evocatum, in profundum puteorum abjiciendo, nonne bellum adversus populum Romanum & Italiam professus, adversus ipsam fidem acrius gessit, mendaciis & fallacia quasi præclaris artibus gaudens? Quo evenit, ut alioqui insignem nominis sui memoriam relicturus, in dubio, majorne, an pejor vir haberi deberet, poneret.

N o t æ.

1. *In alto merserunt.*] Alia est aliorum de Xantippo sententia: paulo post victoriam, popularem invidiam veritus, in Græciam rediit. Ita Orosius. Cum navis rimarum plena illi data esset, aliam conscendit, evasitque incolumis; sic Appianus. Vectores jussi sunt in deserta insula illum exponere; ita Zonaras: nonnulli submersum volunt.

2. *Nucerinos hortatu suo.*] De Nucerinis & Acerranis, quæ duo Campaniæ oppida, non consentit Valerio T. Livius: vult enim illos ad hospitia, amicasque Campaniæ urbes se contulisse; hos vero per intermissa munimenta neglectasque custodias silentio noctis dilapsos per vias, inviaque, qua quemque aut consilium, aut terror tulit, perfugisse. l. 23.

C a p. VII.

DE SEDITIONIBUS.

Plebis Romanæ adversus
1. *C. Marium Cos. VI.*
2. *Q. Metellum Censorem.*
3. *A. Numium candidatum.*
4. *A. Sempronium Asellionem Pr.*

Militum Romanorum adversus
1. *Gratidium legatum.*
2. *Q. Pompeium Consulem.*
3. *C. Carbonem legatum.*

Sed

SEd ut violentæ seditionis tam togatæ, quam etiam armatæ facta referantur.

1. [1] L. Equitium, qui se Ti. Gracchi filium simulabat, Tribunatumque adversus leges cum L. Saturnino petebat, à C. Mario sextum Consulatum gerente in publicam custodiam ductum, populus claustris carceris convulsis, raptum humeris suis per summam animorum alacritatem portavit. An.M. 3954. Ol. 170. 1. Vrb. C. 653. Ant.Ch.99.

2. Idemque [2] Q. Metellum Censorem, quod ab eo tanquam Gracchi filio, censum recipere nolebat; lapidibus prosternere conatus est, affirmantem tres tantummodo filios Graccho fuisse. E quibus unum in Sardinia stipendia merentem, alterum infantem Præneste, tertium post patris mortem natum Romæ decessisse: neque oportere clarissimæ familiæ ignotas sordes inseri: Cum interim improvida concitatæ multitudinis temeritas, pro imprudentia & audacia adversus Consulatum & Censuram, tetendit, principesque suos omni petulantiæ genere vexavit. An.M. 3955. Ol. 169. 4. Vrb C. 652. Ant.Ch.100.

3. Vesana hæc tantummodo: illa etiam cruenta seditio. Populus enim [3] A. Numium competitorem Saturnini, novem jam creatis Tribunis, unoque loco duobus candidatis restante, vi prius in ædes privatas compulit. Extractum deinde interemit, ut cæde integerrimi civis, facultas adipiscendæ potestatis teterrimo civi daretur. An.M. 3954. Ol 170. 1. Vrb. C. 653. Ant.Ch. 99.

4. Creditorum quoque consternatio adversum Sempronii Asellionis Prætoris urbani caput intolerabili modo exarsit. Quem, quia causam debitorum susceperat, concitati à L. Cassio Trib. plebis pro æde Concordiæ sacrificium facientem, ab ipsis altaribus fugere extra forum coactum, inque tabernaculo latitantem, prætextatum discerpserunt. An.M. 3965. Ol. 172. 4. Vrb C. 664. Ant.Ch.88.

MILITUM ROMANORUM.

1. Detestanda fori Romani conditio: sed si castra respicias, æque magna orietur indignatio. Cum [4] C. Mario lege Sulpicia, Provincia Asia, ut adversus Mithridatem bellum gereret, privato decreta esset: missum ab eo Gratidium legatum ad L. Sullam Consulem accipiendarum legionum causa milites trucidarunt: Procul dubio indignati quod à summo imperio, ad eum qui nullo in honore versaretur, transire cogerentur. Sed quis ferat militem scita plebis exitio legati corrigentem? An.M. 3966. Ol. 173. 1. Vrb.C. 665. Ant.Ch.87.

NOTÆ.

1. *L. Equitium.*] Firmanum, qui primo Tribunatus die cæsus est, ex Appian. De illo supra.

2. *Q. Metellum.*] Numidicum.

3. *A. Numius.*] Mirum quot nominibus ille appelletur: à Livio & Valerio *A. Numius*; à Floro *Annius*; in manuscriptis codicibus *Annonius*; ab Appian. Plut. & Orosio *A. Nomius*: erat enim gens Nomia tum nobilis. De factione Saturnini & Glauciæ egimus l.3. c.2. n.18.

4. *C. Mario lege Sulpicia.*] De Sulpicii lege, seditione, morte lege l.1. c.5. num.5.

An.M. 3966. Ol. 173. 1. Vrb.C. 665. Ant.Ch. 87.

2. Pro Consule istud tam violenter exercitus, illud adversus Consulem. Q. enim Pompeium Sullæ Collegam, Senatus jussu ad exercitum [1] Cn. Pompeii, quem aliquandiu invita civitate obtinebat, contendere ausum: ambitiosi ducis illecebris corrupti milites, sacrificare incipientem adorti, in modum hostiæ mactaverunt: tantumque scelus Curia castris cedere se confessa, inultum habuit.

An.M. 3972. Ol. 174. 3. Vrb. C. 671. Ant.Ch. 81.

3. Ille quoque exercitus nefarie violentus, qui [2] C. Carbonem fratrem Carbonis ter Consulis, propter bella civilia dissolutam disciplinam militarem præfractius & rigidius astringere conatum, privavit vita: satiusque duxit maximo scelere coinquinari, quam pravos ac tetros mores mutare.

Notæ.

1. *Cn. Pompeii.*] Strabonis, qui tum Proconsul Italiam cum exercitu obtinebat: quæ Provincia Q. Pompeio Rufo Consulum alteri decreta est. Tunc primum Consulis sanguine militum manus imbutæ sunt.

2. *C. Carbonem.*] Auctorum, quos quidem legerim, nullus meminit illius Carbonis.

Cap. VIII.

DE TEMERITATE.

Romanorum.

1. *P. Africani majoris.*
2. *C. Cæsaris Cos. II.*
3. *Exercitus Rom.*

Externorum.

1. *Annibalis Pœni.*
2. *Atheniensis populi.*

Temeritatis etiam & subiti & vehementes sunt impulsus: quorum ictibus hominum mentes concussæ, nec sua pericula despicere, nec aliena facta justa æstimatione prosequi valent.

An.M. 3848. Ol. 143. 3. Vrb.C. 547. Ant.Ch. 205.

1. Quam enim temere se Africanus superior ex Hispania duabus quinqueremibus [1] ad Syphacem trajecit, in unius Numidiæ infidis præcordiis suam pariter & patriæ salutem depositurus! Itaque exiguo momento maximæ rei casus fluctuavit, [2] utrum captivus, an victor Scipio Syphacis fieret.

Notæ.

1. *Ad Syphacem trajecit.*] Postquam victis in Hispania Pœnis, bellum in Africa gerendum decrevit Scipio, è re Romana facturum se putavit, si Syphacem Numidiæ Regem suas ad partes alliceret: magnum adiit periculum, non à Syphace tantum, sed etiam ab Asdrubale Gisconis, qui cum septem triremibus paulo ante in portum invectus, jam se ad opprimendos Romanos parabat; cum vento obsecundante portum regium Scipio ingressus est. Reliqua supra diximus.

2. *Vtrum captivus, &c.*] Postea enim Syphacem vicit Scipio; quem si Syphax retinuisset, nec ab illo victus esset, neq in triumphum ductus.

2. Jam C. Cæſaris anceps conatus etiamſi cœleſtium cura protectus
eſt, attamen vix ſine animi horrore referri poteſt. Siquidem [1] impa- An.M.4006.
tiens legionum tardioris à [2] Bruduſio Apolloniam trajectus; per ſimu- Ol. 183. 1.
lationem adverſæ valetudinis convivio egreſſus, majeſtate ſua ſervili Vrb.C. 705.
veſte occultata, naviculam conſcendit, & è flumine maris Adriatici Ant.Ch.47.
ſæva tempeſtate fauces petiit. Protinuſque in altum dirigi juſſo navigio, multum ac diu contrariis jactatus fluctibus, [3] tandem neceſſitati ceſſit.

3. Age, illa quam execrabilis militum temeritas! Fecit enim ut An.M.3965.
[4] A. Albinus, nobilitate, moribus, honorum omnium conſummatio- Ol. 172. 4.
ne civis eximius, propter falſas & inanes ſuſpiciones, in caſtris ab Vrb.C. 664.
exercitu lapidibus obrueretur: Quodque acceſſionem indignationis Ant.Ch. 88.
non recipit, oranti atque obſecranti duci à militibus cauſæ dicendæ poteſtas negata eſt.

NOTÆ.

1. *Impatiens legionum.*] Cum Bibulus hoſtili claſſe mare teneret, & Antonius quamvis literis ſæpe evocatus, non ſolveret Brunduſio.

2. *Brunduſio.*] Vrbs eſt Calabriæ, ad mare Adriaticum. Via Appia eo uſque perducta, & portu nobilis. *Brindes.* De Apollonia antea.

3. *Tandem neceſſitati ceſſit.*] Cum vim procellæ gubernator metueret, Cæſar apprehenſa illius dextera, *Perge*, inquit, *audacter perge; nec extimeſcas quicquam, Cæſarem vehis, ac Cæſaris fortunam navigationis comitem.*

4. *A. Albinus.*] Ex gente Poſthumia, vir Prætorius, & Syllæ in bello ſociali legatus, ex Plut. claſſi Præfectus, & à militibus ob proditionis crimen interfectus dicitur à Livio in Epit. 75. hoc flagitium non vindicavit Sylla, cum diceret promptiores habiturum ſe milites, dum ſcelus admiſſum eluerent.

EXTERNA.

1. Itaque minus miror, apud trucem & ſævum Annibalis animum
defenſionis locum innoxio gubernatori non fuiſſe; quem à Petilia claſſe An.M. 3851.
[1] Africam repetens [2] freto appulſus, dum [3] tam parvo ſpatio Italiam, Ol. 144. 2.
Siciliamque inter ſe diviſas non credit, velut inſidioſum curſus recto- Vrb.C. 550.
rem interemit: Poſteaque diligentius inſpecta veritate, tunc abſolvit, Ant.Ch.201.
cum ejus innocentiæ nihil ultra ſepulcri honorem dari potuit. Igitur anguſti atque æſtuoſi maris alto è tumulo ſpeculatrix ſtatua, tam [4] memoriæ Pelori, quam Punicæ temeritatis, ultra citraque navigan-

NOTÆ.

1. *Africam repetens.*] Revocatus à civibus, ut Scipioni reſiſteret.

2. *Freto appulſus.*] Siculo, quia ibi ob anguſtias ſemper fervet mare.

3. *Tam parvo ſpatio.*] Conjunctam olim cum Italia Siciliam teſtantur Salluſtius, Strabo, Virgilius, &c.

Hæc loca vi quondam vaſta convulſa ruina
Diſſiluiſſe ferunt: cum protinus utraque tellus
Vna foret, &c.

4. *Memoriæ Pelori.*] Sunt qui ab illo gubernatore promontorio Siciliæ Peloro

tium oculis expositum indicium est.

An.M.3648, Ol. 93. 3. Vrb.C. 347. Ant.Ch.405.

2. Jam Atheniensium civitas ad vesaniam usque temeraria, quæ [1] decem universos Imperatores suos, & quidem à pulcherrima victoria venientes, capitali judicio exceptos necavit; Quod militum corpora, sævitia maris interpellante, sepulturæ mandare non potuissent: necessitatem puniens, cum honorare virtutem debuisset.

NOTÆ.

nomen factum velint: sed hæc appellatio Annibale antiquior. Constat ex Servio hunc gubernatorem ibi sepultum esse.

1. *Decem universos Imperatores.*] Consule l.5. c.3.

CAP. IX.

DE ERRORE.

1. *Plebis Romanæ.*
2. *C. Caßii Longini Procos.*
3. *Satellitum Lartis Tolumnii Regis.*

TEmeritati proximus est error: quemadmodum ad lædendum par; ita cui facilius quis ignoverit: quia non sua sponte, sed vanis concitatis imaginibus, culpæ se implicat. Qui quam late in pectoribus hominum vagetur, si complecti coner; vitio, de quo loquor, sim obnoxius. Paucos igitur ejus lapsus referemus.

An.M.4010. Ol. 184. 1. Vrb C. 709. Ant.Ch.43.

1. [1] C. Helvius Cinna Tribunus plebis ex funere C. Cæsaris domum suam petens, populi manibus discerptus est [2] pro Cornelio Cinna, in quem sævire se existimabat: Iratus ei, quod cum affinis esset Cæsaris, adversus eum nefarie raptum, impiam pro Rostris [3] orationem habuisset: Eoque errore propulsus est, ut caput Helvii, perinde atque Cornelii, circa rogum Cæsaris, fixum jaculo ferret; officii sui, alieni erroris piaculum miserabile.

2. Nam C. Cassium error à semetipso pœnas exigere coëgit. Inter

NOTÆ.

1. *C. Helvius Cinna:*] Qui carmen *Smyrnam* inscriptum novem annis composuit; cujus meminerunt & Catullus, & Martialis l 10.

Indice te major Cinna Marone fuit.

In somnis visus est sibi videre C. Cæsarem, qui se ad cœnam invitaret, abnuentemque invitum abduceret: ubi audiit cremari corpus Cæsaris, quamvis & somnio territus, & febre laboraret, in forum tamen honoris causa se contulit, ubi à populo discerptus est. Ita Plut.

2. *Pro Cornelio Cinna.*] Cinnæ quater Consulis filio, cujus soror Cornelia Cæsari nupserat: ipse à Sylla proscriptus, à Cæsare restitutus est.

3. *Orationem habuisset.*] Prætor à Cæsare factus insignia Prætoria in Rostris deposuit, illius interfectores extulit laudibus, eosque vocandos è Capitolio, præmiisque donandos censuit.

illum enim pugnæ [1] quatuor exercituum apud Philippos [2] varium, ipsisque ducibus ignotum eventum, missus ab eo Titinius Centurio nocturno tempore, ut specularetur quonam in statu res M. Bruti essent: dum crebros excessus viæ petit, quia tenebrarum obsuritas, hostesne, an commilitones occurrerent, dignoscere non sinebat, tardius ad Cassium rediit. Quem is exceptum ab hostibus, omniaque in eorum potestatem recidisse existimans, finire vitam properavit: cum & castra hostium invicem capta, & Bruti copiæ magna ex parte incolumes essent. Titinii vero non obliteranda silentio virtus, qui oculis paulisper hæsit, inopinato jacentis ducis spectaculo attonitus; deinde profusus in lacrymas, Etsi imprudens, inquit, Imperator causa tibi mortis fui: tamen ne id ipsum impunitum sit, accipe me fati tui comitem. Superque exanime corpus ejus jugulo suo gladium capulo tenus demisit: ac permisto utriusque sanguine, duplex victima jacuit; Pietatis hæc, Erroris illa.

3. Cæterum falsa opinatio, nescio an præcipuam injuriam Lartis Tolumnii Vejentium Regis penatibus intulerit. Nam cum in tesserarum prospero jactu per jocum collusori dixisset, Occide: & forte [3] Romanorum legati intervenissent: satellites ejus errore vocis impulsi, interficiendo legatos, [a] lusum ad imperium transtulerunt.

An.M. 3617. Ol. 85. 4. Vrb. C. 316. Ant.Ch.436.

INTERPRETATIO.

[a] *Verbum per jocum dictum pro imperio sumpserunt.*

NOTÆ.

1. *Quatuor exercituum.*] Ex una parte Bruti & Cassii; ex altera, Antonii & Octavii Cæsaris.

2. *Varium, ipsisque.*] Quia castra Cassii Antonius, Octavii Brutus diripuit. Varias de morte Cassii sententias retulimus l.1. c.5. n.8.

3. *Romanorum legati.*] Fidena Romanorum colonia ad Tolumnium defecerat: legati quatuor Roma missi, qui defectionis causam quærerent; sed Tolumnii jussu interfecti sunt. Ita Livius, qui illud de tesseris, ut commentum, rejicit.

CAP. X.

DE ULTIONE.

ROMANORUM.	EXTERNORUM.
1. *Papiriæ tribus Tusculanorum in Poliam.*	1. *Thamyris & Beronices Reginarum.*
2. *Populi Uticensis in C. Fabium Hadrianum.*	2. *Iuvenum quorundam Græcorum.*

ULtionis autem quemadmodum acres, ita justi aculei sunt: qui lacessiti concitantur, acceptum dolorem pensare cupientes. Quos latius complecti non attinet.

1. M. Flavius Tribunus plebis ad populum de Tusculanis retulit, quod eorum consilio [1] Veliternos Privernatesque rebellaturos diceret: Qui cum conjugibus ac liberis squalore obsiti, cum supplices Romam venissent; accidit ut reliquis tribubus salutarem sententiam secutis, sola Polia judicaret, oportere publice eos verberatos securi percuti; imbellem multitudinem sub corona venire. Quam ob causam Papiria tribus, in qua plurimum Tusculani in civitatem recepti potuerunt, neminem postea candidatum Poliæ tribus fecit Magistratum: ne ad eam ullus honos suis suffragiis perveniret, quæ illis vitam ac libertatem, quantum in ipsa fuit, ademerat.

2. Illam vero ultionem & Senatus, & consensus omnium approbavit. Cum [2] Hadrianus cives Romanos, qui Uticæ consistebant, sordido imperio vexasset, idcircoque ab his vivus esset exustus; nec quæstio ulla in urbe hac de re habita, nec querela versata est.

NOTÆ.

1. *Veliternos, Privernatesque.*] Volscorum civitates. Illa *Veletri*, hæc *Piperno* dicitur.

2. *Hadrianus.*] *Fulvius Adrianus* ab Orosio dicitur, qui cum Imperium collecta servorum manu affectaret, à civibus Romanis congestis sarmentis cum tota familia exustus est.

EXTERNA.

An. M. 3523. Ol. 62. 2. Vrb. C. 222. Ant. Ch. 530.

1. Claræ ultionis utraque Regina, & Thamyris, quæ caput Cyri abscissum in utrem humano sanguine repletum dimitti jussit, [1] exprobrans illi insatiabilem cruoris sitim, [2] simulque pœnas occisi ab eo filii sui exigens: & [3] Beronice, quæ Laodices insidiis interceptum sibi filium graviter ferens, armata currum conscendit, persecutaque satellitem

NOTÆ.

1. *Exprobrans illi.*] *Satia te*, inquit, *sanguine quem sitisti.*

2. *Simulque pœnas occisi, &c.*] Araxe superato Cyrus, ut hostes simulata fuga falleret, castra & vino & epulis referta deserit; Spargabisus Thamyris filius se cum suis vino ingurgitat: tum media nocte superveniens Cyrus, eum cum exercitu cædit. Hæc quidem Iustinus; at Herodotus vult captum Spargabisum, sibique, ubi ebrietate solutus est, mortem consciviſſe. Brevis tamen & fallax fructus victoriæ: Cyrus enim in locum iniquum progreditur, ubi insidiis hostium circumventus cum omnibus copiis conciditur.

3. *Beronice, quæ Laodices, &c.*] Ab Oliverio hac in parte, ut in aliis multis, dissentio: id enim Beronice, quæ Mithridatis Ponti Regis soror erat, tribuit; ego non item: valde enim falsus sum, nisi de Beronice & Laodice, quæ & sorores, & Ptolemæi Philadelphi filiæ, & Antiochi dei uxores fuerunt, intelligi debeat. Laodicen jam diu uxorem duxerat Antiochus, cum post diuturna cum Philadelpho bella, Beronicen accepit; primumque Laodicen

regium crudelis operis ministrum, nomine Cæneum, quem hasta nequicquam petierat, saxo ictum prostravit; ac super ejus corpus actis equis, inter infesta contrariæ partis agmina ad domum, in qua interfecti pueri corpus occultari arbitrabatur, perrexit. An.M.3965. Ol. 172. 4. Vrb.C. 664. Ant.Ch.88.

2. [1] Iasonem Thessalum Persarum Regi bellum inferre parantem, an satis justa ultio absumpserit, ambiguæ æstimationis est. Taxillo enim gymnasiarchæ à quibusdam juvenibus pulsatum se conquesto, permisit; ut aut tricenas ab his drachmas exigeret, aut denas plagas singulis imponeret. Quo posteriore vindicta uso: qui vapulaverant, Iasonem interfecerunt, animi, non corporis dolore pœnæ modum æstimantes. [a] Cæterum parvo irritamento ingenui pudoris maximæ rei expectatio subruta est. Quoniam opinione Græciæ tantum in spe Iasonis, quantum in effectu Alexandri reponebatur. An.M.3685. Ol. 102. 4. Vrb.C. 384. Ant.Ch.368.

INTERPRETATIO.

a Cæterum victoria de Persis expectatio subversa est ob irritatos hoc supplicio ingenuos adolescentes, quoniam omnis Græcia tantum Iasonem facturum sperabat, quantum postea effecit Alexander.

NOTÆ.

cum filiis Seleuco & Antiocho aula expulit; sed paulo post amore victus eam reduxit: quæ verita viri mobilis animum, eum sustulit veneno; & Seleucus Beronices filium, ipsamque Beronicen ab Antiochiæ Præfecto occidi jussit.

1. *Iasonem Thessalum.*] Virum belli peritissimum, qui subacta Thessalia ad tantam potentiam venit, ut octo equitum millia, & viginti peditum gravis armaturæ in armis haberet; suorum insidiis periit.

CAP. XI.

DE IMPROBE DICTIS ET SCELERATE FACTIS.

ROMANORUM.

1. *Tullia Ser. F. L. Superbi Regis.*
2. *C. Fimbriæ Tribuni plebis.*
3. *L. Catilinæ.*
4. *Magii Chilonis.*
5. *C. Toranii C. F.*
6. *Villii Annalis.*
7. *Uxoris Vettii Salaßi.*

EXTERNORUM.

1. *Duorum fratrum Hispanorum.*
2. *Mithridatis Regis.*
3. *Sariastris Tigranis Regis F.*
4. *L. Ælii Sejani.*

NUnc quatenus vitæ humanæ, tum bona, tum etiam mala substitutis exemplorum imaginibus persequimur; dicta improbe & facta scelerate referantur.

1. Unde autem potius, quam [1] à Tullia ordiar? quia tempore vetuſtiſſimum, conſcientia nefarium, voce improbum, ac monſtri ſimile exemplum eſt. Quæ cum carpento veheretur, & is qui jumenta agebat,
An.M. 3520. ſuccuſſis frenis conſtitiſſet; repentinæ moræ cauſam requiſiit. Et ut
Ol. 61. 3. comperit corpus patris Ser. Tullii occiſi ibi jacere; [2] ſupra idem vehi-
Vrb. C. 219. culum duci juſſit, quo celerius in complexum interfectoris ejus Tar-
Ant.Ch.533. quinii veniret. Qua tam impia, tamque probroſa feſtinatione, non ſolum ſe æterna infamia; ſed ipſum etiam vicum cognomine ſceleris commaculavit.

2. Non tam atrox eſt [3] C. Fimbriæ factum & dictum: ſed ſi per ſe æſtimetur, utrumque audaciſſimum. Is egerat, ut Scævola in funere C. Marii jugularetur: quem poſtquam ex vulnere recreatum comperit, accuſare ad populum inſtituit. Interrogatus deinde quid de eo ſecus dicturus eſſet, cui pro ſanctitate morum ſatis digna laudatio reddi non poſſet: reſpondit, ſe objecturum illi, quod parcius corpore telum recepiſſet. O licentiam furoris ægræ gemitu Reipublicæ proſequendam!

An.M.3991. 3. L. vero Catilina, in Senatu M. Cicerone incendium ab ipſo
Ol 179. 2. excitatum dicente, [4] Sentio, inquit: & quidem illud ſi qua non potue-
Vrb.C. 690. ro, ruina extinguam. Quem quid aliud exiſtimemus, quam conſcientiæ
Ant.Ch.62. ſtimulis, actum à ſe inchoati parricidii peregiſſe!

4. Conſternatum etiam Magii Chilonis amentia pectus: qui [5] M. Marcello datum à Cæſare ſpiritum, ſua manu eripuit. Vetus etiam Pompeianæ militiæ comes, indignatus aliquem amicorum ab eo ſibi præferri. Urbem enim à [6] Mitylenis, quo ſe contulerat, repetentem, in

NOTÆ.

1. *A Tullia ordiar.*] Quæ juncto per ſummum ſcelus cum Tarquinio Superbo matrimonio; cum & ipſa maritum & ipſe uxorem ſuſtuliſſet, ad necem patri inferendam illum incitavit.

2. *Supra idem vehiculum.*] Cum auriga horrore commotus hæreret, illum arrepto pedum ſcabello petit, inclamans: *Non age, ſce eſte, vel per mortuum.* Hæc pluribus Livius & Dionyſius.

3. *C. Fimbriæ.*] Ex gente Flavia, qui occiſo aliquanto poſt Valerio Flacco Conſule, cujus legatus erat, Mithridatem Pergamo expulit; ſed deſertus à ſuis, Syllæ metu mortem ſibi conſcivit.

4. *Sentio, inquit, &c.*] Quaſi ſui purgandi cauſa in Senatum venit: ubi aſſedit, demiſſo vultu, voce ſupplici poſtulare à Patribus cœpit, ne exiſtimarent ſibi patricio viro perdita Repub. opus eſſe, cum eam ſervaret M. Tullius inquilinus civis urbis Romæ: ad hæc obſtrepere omnes. hoſtem & parricidam vocare: tum ille furibundus, inquit: *Quandoquidem ego circumventus ab inimicis præceps agor; incendium meum veſtra ruina reſtinguam:* deinde ex Curia domum ſe proripuit. Ita Salluſt.

5. *M. Marcello.*] Qui cum Sulpicio ſub initium belli civilis Conſul erat. Illius reditum ſæpe fratri Cæſar negaverat; ſed totius Senatus precibus victus, illi & ſalutem & reditum conceſſit: cum multi, tum ipſe Cicero eleganti oratione gratias egit Cæſari.

6. *Mitylenis.*] Mitylene urbs olim maxima in Leſbo, cujus nomine tota inſula *Mitylene* vulgo dicitur; nunc *Metelin.*

Athenienſium

Athenienſium portu [1] pugione confodit, [a] protinuſque ad irritamenta veſaniæ ſuæ trucidanda tetendit; amicitiæ hoſtis, divini beneficii interceptor, publicæ religionis, quod ad ſalutem clariſſimi civis recuperandam attinuit, acerba labes.

5. Hanc crudelitatem, cui nihil adjici poſſe videtur, C. Toranius atrocitate parricidii ſuperavit. Namque Triumvirûm partes ſecutus, proſcripti patris ſui prætorii & ornati viri latebras, ætatem, notaſque corporis, quibus agnoſci poſſet, Centurionibus edidit, qui eum perſecuti ſunt. Senex de filii magis vita & incrementis, quam de reliquo ſpiritu ſuo ſollicitus; an incolumis eſſet, & an Imperatoribus ſatisfaceret, interrogare eos cœpit. E quibus unus: Ab illo, inquit, quem tantopere diligis, demonſtratus, noſtro miniſterio, filii indicio occideris: protinuſque pectus ejus gladio trajecit. Collapſus itaque eſt infelix auctore cædis, quam ipſa cæde miſerior. An.M. 4012. Ol. 184. 3. Vrb.C. 711. Ant.Ch. 41.

6. Cujus fati acerbitatem L. Villius Annalis ſortitus; Qui cum in Campum [2] ad quæſtoria comitia filii deſcendens, proſcriptum ſe cognoſſet, ad clientem ſuum confugit: ſed ne fide ejus tutus eſſe poſſet, ſcelere nefarii juvenis effectum eſt. Siquidem per ipſa veſtigia patris militibus ductis, occidendum eum in conſpectu ſuo objecit: bis parricida, conſilio prius, iterum ſpectaculo. An.M. 4012. Ol. 184. 3. Vrb.C. 711. Ant.Ch. 41.

7. Ne Vettius quidem Salaſſus proſcriptus parum amari exitus; [3] quem latentem uxor interficiendum, quid dicam, tradidit, an ipſa jugulavit? [b] Quanto enim levius eſt ſcelus, cui tantummodo manus abeſt? An.M. 4012. Ol. 184. 3. Vrb.C. 711. Ant.Ch. 41.

INTERPRETATIO.

a *Protinuſque ſeipſum veſania agitatum trucidavit.*

b *Non multo enim levius eſt crimen, quod conſilio committis, licet non manu.*

NOTÆ.

1. *Pugione confodit.*] Illius mortem deſcribit Sulpicius ad Ciceronem ſcribens, l. 4. epiſt. quam concludit his verbis: *Ita vir clariſſimus ab homine teterrimo acerbiſſima morte eſt affectus; & cui inimici propter dignitatem pepercerant; inventus eſt amicus qui ei mortem afferret.*

2. *Ad quæſtoria comitia.*] Vt filius Quæſtor crearetur, ſuaque præſentia quoad poſſet, ſuffragaretur.

3. *Quem latentem uxor.*] Cum ad poſticas uxoris ædes profugiſſet, ab ea non eſt admiſſus: quare, ne in perſequentium manus incideret ſe ſuo gladio confodit, ut auctor eſt Appianus.

EXTERNA.

1. Illud autem facinus, quia externum, tranquilliore affectu narrabitur. Scipione Africano patris & patrui memoriam gladiatorio mu-

An.M. 3848. Ol. 143. 3. Vrb.C. 547. Ant.Ch. 205.

nere [1] Carthagine Nova celebrante, [2] duo regii filii nuper patre mortuo, in arenam processerunt: pollicitique sunt ibi se de regno præliaturos, quo spectaculum illud illustrius pugna sua facerent. Eos cum Scipio monuisset, ut verbis, quam ferro dijudicare mallent, uter regnare deberet: ac jam major natu consilio ejus obtemperaret; minor corporis viribus fretus, in amentia perstitit. Initoque certamine, pertinacior impietas fortunæ judicio morte multata est.

2. [3] Mithridates autem multo sceleratius, qui non cum fratre de paterno regno, sed cum ipso patre bellum de dominatione gessit: in quo qui aut homines ullos adjutores invenerit, aut Deos invocare ausus sit, præ admiratione hæreo.

An.M. 3988. Ol. 78. 3. Vrb.C. 687. Ant.Ch. 65.

3. Quanquam quid hoc, quasi insitatum illis gentibus miremur? cum [4] Sariaster adversus patrem suum Tigranem Armeniæ Regem, ita cum amicis consenserit; [5] ut omnes dextris manibus sanguinem mitterent, atque eum invicem sorberent. Vix ferrent illi pro salute parentis tam cruenta conspiratione fœdus facientem.

4. Sed quid ego ista consector, aut quid iis immoror: cum unius parricidii cogitatione cuncta scelera superata cernam? Omni igitur impetu mentis, omnibus indignationis viribus, ad id lacerandum pio magis quam valido affectu rapior. [a] Quis enim amicitiæ fide extincta genus humanum cruentis in tenebris sepelire conatum, profundo debitæ execrationis satis efficacibus verbis adegerit? [6] Tu videlicet efferatæ barbariæ immanitate truculentior habenas Romani Imperii, quas

Interpretatio.

a *Quis verbis satis potentibus execrari pro merito possit* Sejanum, *qui oblitus amicitiæ* cum Tiberio *contractæ*, *conatus est genus humanum in cruentis tenebris sepelire.*

Notæ.

1. *Carthagine Nova.*] Ab Asdrubale Pœnorum duce in Hispania Bætica ad littus maris condita.

2. *Duo Regis filii.*] Non fratres, sed patrueles, ex Plutarcho, Corbis & Orsua.

3. *Mithridates.*] Non Ponticus populi Romani hostis; qui, teste Iustino, moriente patre puer erat: sed forte Mithridates Rex Parthorum.

4. *Sariaster.*] Vocatur à Plutarcho *Tigranes minor.*

5. *Vt omnes dextris.*] Hujus conjurationis non meminit Plutarchus: à patre quidem ad Pompeium defecit; at aliquanto post patri, qui præsens etiam aderat, primas à Pompeio deferri, sibi secundas cum ferret ægrius, ad cœnam invitatus venire noluit, hæc tantum præfatus: *Se facile carere Pompeio, qui sibi tales honores haberet.* Quare conjectus in vincula Pompeii triumphum cum liberis cohonestavit.

6. *Tu videlicet efferatæ.*] L. Ælium Sejanum alloquitur, qui à Tiberio ad summos honores evectus, vel ob nimiam potentiam invisus Imperatori; vel quod res novas moliretur: literis è Caprea missis apud Senatum accusatus est; Consulisque jussu raptus in carcerem, cum omni familia occiditur: corpora triduo ludibrio habita, deinde in Tiberim projecta: illius amici passim trucidati, nomen è fastis erasum, statuæ dejectæ, memoria decreto Senatus abolita.

[1] princeps parensque noster salutari dextera continet, capere potuisti? Aut te compote furoris, in suo statu mundus mansisset? Urbem à Gallis captam, [2] & trecentorum inclytæ gentis virorum stragem fœdam, [3] Alliensem diem, & oppressos [4] in Hispania Scipiones, [5] Thrasymenum lacum, & [6] Cannas, [7] bellorumque civilium domestico sanguine madentem Æmathiam amentibus propositis furoris tui repræsentare & vincere voluisti. Sed vigilarunt oculi Deorum, sidera simul vigorem suum obtinuerunt: Aræ, pulvinaria, templa præsenti numine vallata sunt. Nihilque quod pro capite Augusti, ac patria excubare debuit, torpere sibi permisit. Et imprimis auctor, ac [8] tutela nostræ incolumitatis, ne excellentissima merita sua totius orbis ruina collaberentur, divino consilio providit. Itaque stat pax, valent leges, sincerus privati ac publici officii tenor servatur. Qui autem hæc violatis amicitiæ fœderibus tentavit subvertere, omni cum stirpe sua populi Romani [9] pedibus obtritus, etiam apud inferos, si tamen illuc receptus est, quæ meretur supplicia pendit.

An. M. 4084.
Ol. 202. 3.
Vrb. C. 783.
Post Ch. 31.

NOTÆ.

1. *Princeps.*] Tiberius, in cujus laudem hæc scribit.

2. *Trecentorum inclytæ gentis.*] Fabiæ, qui ad Cremeram ceciderunt.

3. *Alliensem diem.*] Quo Romani à Gallis ad Alliam fusi sunt.

4. *In Hispania Scipiones.*] Publium & Cneium, de quibus supra.

5. *Thrasymenum.*] Vbi C. Flaminius ab Annibale cæsus est.

6. *Cannas.*] Vbi victus Terentius Varro, occisus Æmilius Paulus.

7. *Bellorum civilium.*] Quorum primum inter Pompeium & Cæsarem; alterum inter Triumviros Brutum & Cassium: victus ad Pharsalum Pompeius, victi ad Philippos Brutus & Cassius.

8. *Tutela nostræ incolumitatis.*] Non Iovem appellat, sed Tiberium.

9. *Pedibus obtritus.*] Illius enim cadaver unco tractum, & in Gemonias scalas abjectum; liberi ex Senatusconsulto necati, ut ait Dio.

CAP. XII.

DE MORTIBUS NON VULGARIBUS.

ROMANORUM.

1. *Tulli Hostilii Regis.*
2. *Duarum matrum.*
3. *MV. Iuventii Thalnæ Cos.*
4. *Q. Lutatii Catuli.*
5. *L. Cornelii Merulæ.*
6. *Herennii Siculi.*
7. *Licinii Macri.*
8. *Cornelii Galli, & T. Haterii.*

EXTERNORUM.

1. *Comæ Cleonis fugitivorum ducis fratris.*
2. *Æschyli Pëotæ.*
3. *Homeri.*
4. *Euripidis.*
5. *Sophoclis.*
6. *Philemonis.*
7. *Pindari.*
8. *Anacreontis.*
9. *Milonis Crotoniatæ.*
10. *Polydamantis Scotusai.*

HUmanæ autem vitæ conditionem præcipue primus & ultimus dies continet: quia plurimum intereſt quibus auſpiciis inchoetur, & quo fine claudatur: Ideoque eum demum felicem fuiſſe judicamus, cui & accipere lucem proſpere, & reddere placide contigit. Medii tempore curſus, prout fortuna gubernaculum rexit, modo aſpero, modo tranquillo motu peragitur; ſpe ſemper minor, dum & cupide votis extenditur, & fere ſine ratione conſumitur. Nam etſi eo bene uti velis, etiam parvum ampliſſimum efficies, numerum annorum multitudine operum ſuperando. [a] Alioqui quid attinet mora gaudere, ſi magis vitam exigis, quam approbas? Sed ne longius evager, libet eorum mentionem facere, qui non vulgari genere mortis abſumpti ſunt.

An.M.3414. Ol. 35. 1. Vrb. C. 113. Ant.Ch. 639.

1. Tullus Hoſtilius Rex [1] fulmine ictus, cum tota domo conflagravit. Singularem fati ſortem, qua accidit, ut columen urbis, in ipſa urbe raptum, ne ſupremo quidem funeris honore à civibus decorari poſſet, cœleſti flamma in eam conditionem redactum; ut eoſdem penates, & regiam, & rogum, & ſepulcrum haberet.

An.M.3837. Ol. 140. 4. Vrb. C. 536. Ant.Ch.216.

2. Vix veriſimile eſt in eripiendo ſpiritu idem gaudium potuiſſe, quod fulmen: & tamen potuit. Nuntiata enim clade, quæ ad lacum Thraſymenum inciderat: altera mater ſoſpiti filio ad ipſam portam facta obviam in complexu ejus expiravit. Altera cum falſo mortis filii nuntio domi mœſta ſederet; ad primum conſpectum redeuntis [2] exanimata eſt. Genus caſus inuſitatum: quas dolor non extinxerat, lætitia conſumpſit.

An.M. 3891. Ol. 154. 2. Vrb.C. 590. Ant.Ch.162.

3. Sed minus miror, quod mulieres. MV. [3] Juventius Thalna, Collega Ti. Gracchi Cos. iterum, cum in Corſica, quam nuper ſubegerat, ſacrificaret; receptis literis decretas ei à Senatu ſupplicationes nuntiantibus; intento illas animo legens, caligine orta, ante foculum collapſus mortuus humi jacuit. Quem quid aliud quam nimio gaudio

INTERPRETATIO.

a *Alioqui quid habet utilitatis diuturnitate vitæ inertis gaudere, ſi vitam tibi conceſſam in turpi otio tranſigere magis cupis, quam bonis operibus probatam reddere.*

NOTÆ.

1. *Fulmine ictus.*] Duplex de morte Hoſtilii ſententia: alii enim ob neglectam quorumdam ſacrorum curam cum tota familia conflagraſſe volunt; alii ignem ædibus regiis ſubjectum, ſparſumque de fulmine rumorem ab Anco Marcio, cum ſe Pompilii ex filia nepotem regno privari indignaretur.

2. *Exanimata eſt.*] Hoc loco idem valet, quod *mortua*, quamvis exanimus, ut placet Servio, idem ſit, quod mortuus: exanimatus vero idem quod territus: ſic enim Virg.

Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.

Exanimata ſequens impingeret agmina muris.

3. *Iuventius Thalna.*] Male à nonnullis vocatur *Helva*.

enectum putemus? [a] En cui Numantia, aut Carthago excidenda traderetur!

4. Majoris aliquanto spiritus dux Q. Catulus, Cimbrici triumphi C. Mario particeps à Senatu datus, sed exitus violentioris: Namque ab hoc eodem Mario postea propter civiles dissensiones mori jussus; [1] recenti calce illito, multoque igni percalfacto cubiculo se inclusum peremit: Cujus tam dira necessitas maximus Marianæ gloriæ rubor exstitit. An.M. 3967. Ol. 173 2. Vrb.C. 666. Ant.Ch. 86.

5. Qua tempestate Reip. L. quoque [2] Cornelius Merula Consularis, & flamen Dialis, ne ludibrio insolentissimis victoribus esset, in Jovis sacrario venis incisis contumeliosæ mortis denuntiationem effugit: sacerdotisque sui sanguine vetustissimi foci maduerunt. An.M. 3967. Ol. 173. 2. Vrb.C. 666. Ant.Ch. 86.

6. Acer etiam & animosus vitæ exitus Herennii Siculi, quo C. Gracchus & aruspice & amico usus fuerat. Nam cum eo nomine in carcerem duceretur, in ejus postem illiso capite in ipso ignominiæ aditu concidit, ac spiritum posuit: [b] uno gradu à publico supplicio, manuque carnificis citerior. An.M. 3933. Ol. 164. 4. Vrb. C. 632. Ant.Ch. 120.

7. Consimili impetu mortis C. [3] Licinius Macer vir Prætorius Calvi pater repetundarum reus, [c] dum [4] sententiæ diriberentur, [5] in Mænianum conscendit: Siquidem cum [6] M. Ciceronem, qui id judicium cogebat, prætextam ponentem vidisset, misit ad eum, qui diceret, se non damnatum, sed reum periisse: nec sua bona hastæ posse subjici. Ac An.M. 3987. Ol. 178. 2. Vrb.C. 686. Ant.Ch. 66.

INTERPRETATIO.

a En virum dignum, cui Numantia, aut Carthago traderetur evertenda, cum tam levi gaudio extinctus sit.

b Sicque illius mors uno tantum momento præcessit publicum supplicium, quod manu Consulis mox passurus erat.

c Dum sententiæ secernerentur.

NOTÆ.

1. *Recenti calce.*] Cum multi peterent à Mario, ut viro clarissimo & gloriæ militaris socio parceret; *moriendum esse* respondit: tum Catulus, vel odore calcis, ut ait Plutarchus, vel ignis haustu, ut scribit Florus, vel hausto veneno, ut placet Augustino, se ludibrio hostium exemit.

2. *Cornelius Merula.*] Qui pulso Cinna, Collega Octavio datus est.

3. *C. Licinius Macer.*] De quo ita Cicero in Bruto. *Fuit patronus propemodum diligentissimus; hujus si mors, si vita, si vultus omnem commendationem non everteret, majus nomen in patronis fuisset: non erat abundans, non inops tamen; non valde nitens, non horrida tamen oratio, &c.*

4. *Dum sententiæ diriberentur.*] Ita Pighius; alii *darentur*, vel *ordinarentur*, vel *derivarentur*; melius legeris cum Pighio *diriberentur*: diribere enim est distribuere & secernere; quo verbo sæpe usus est Tullius: unde diribitores dicebantur in judiciis, qui ternas singulis judicibus tabulas distribuebant; unam absolutionis, damnationis alteram, tertiam ampliationis.

5. *In Mænianum.*] Locum judicii; Mænius enim Catoni & Flacco Consulibus ædes suas vendidit, ut ibi judicia exercerentur: & ab ædibus Mænii Mænianus locus dictus est.

6. *M. Ciceronem.*] Qui tum Prætor erat.

protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore & faucibus coarctatis, incluso spiritu pœnam morte præcurrit. Qua cognita re Cicero de eo nihil pronuntiavit. Igitur [1] illustris ingenii Orator & ab inopia rei familiaris, & à crimine domesticæ damnationis inusitato paterni fati genere vindicatus est.

8. Fortis hujus mors, illorum perridicula. Cornelius enim Gallus Prætorius, & T. Haterius Eques Romanus inter usum Veneris absumpti sunt. Quanquam quorsum attinet eorum cavillari fata, quos non libido sua, sed fragilitatis humanæ ratio abstulit! Fine namque vitæ nostræ variis & occultis causis exposito, [a] interdum quædam immerentia supremi fati titulum occupant: cum magis in tempus mortis incidant, quam ipsam mortem accersant.

INTERPRETATIO.

a Interdum quædam, quæ nobis nihil nocuerunt, dicuntur causa mortis nostræ fuisse.

NOTÆ.

1. *Illustris ingenii Orator.*] C. Licinius Macer Calvus, cujus oratio nimia religione attenuata, doctis & attente audientibus erat illustris: à multitudine autem, & à foro, cui nata eloquentia est, devorabatur. Ita Cicero in Bruto.

EXTERNA.

An.M.3922. Ol.162. 1. Vrb.C.621. Ant.Ch.151. 1. Sunt & externæ mortes dignæ annotatu: qualis imprimis Comæ, quem ferunt maximi latronum ducis [1] Cleonis fratrem fuisse. Is enim ad Rupilium Consulem post Ennam, quam prædones tenuerant, in potestatem nostram redactam, perductus, cum de viribus & conatibus fugitivorum interrogaretur; sumpto tempore ad se colligendum, caput operuit; innixusque genibus compresso spiritu, inter ipsas custodum manus, inque conspectu summi imperii, exoptata securitate quievit. Torqueant se miseri, quibus extingui, quam superesse utilius est, trepido & anxio consilio, quanam ratione vita exeant, quærentes: Ferrum acuant, venena temperent, laqueos apprehendant, vastas altitudines circumspiciant, tanquam magno apparatu, aut exquisita molitione opus sit: ut corporis atque animi in firmo vinculo cohærens societas dirimatur. Nihil horum Coma, sed intra pectus inclusa anima, finem sui reperit. [a] Enimvero minimo studio retinendum bonum, cujus caduca possessio tam levi afflatu violentiæ concussa dilabi potuit.

INTERPRETATIO.

a Enimvero vita non maximo studio conservanda, cum illius caduca possessio tam levi violentia perire potuerit.

NOTÆ.

1. *Cleonis.*] Qui septuaginta servorum millia in Sicilia collegerat. De bello servorum & Rupilio vide l. 2. c. 7. n. 9.

2. [1] Æſchyli vero Poëtæ exceſſus, quemadmodum non voluntarius, An.M. 3590.
ſic propter novitatem caſus referendus eſt. In Sicilia mœnibus urbis, Ol.79. 1.
in qua morabatur, egreſſus [2] aprico in loco reſedit: Super quem aquila Vrb.C. 289.
teſtudinem ferens, eluſa ſplendore capitis, (erat enim capillis vacuum) Ant.Ch.463.
perinde atque lapidi eam illiſit, ut fractæ carne veſceretur: [a] Eoque ictu [3] origo & principium fortioris tragœdiæ extinctum eſt.

3. Non vulgaris etiam Homeri mortis cauſa fertur: qui [4] in inſula, An.M. 3143.
quia [5] quæſtionem à piſcatoribus propoſitam ſolvere non potuiſſet, do- Ant.Ch.910.
lore abſumptus creditur.

4. [b] Sed atrocius aliquanto Euripides finitus eſt. [6] Ab Archelai enim An.M. 3648.
Regis cœna in Macedonia domum hoſpitalem repetens, [7] canum mor- Ol. 93. 3.
ſibus laniatus obiit. Crudelitas fati tanto ingenio non debita. Vrb.C. 347. Ant. Ch. 405.

5. Sicut illi exceſſus illuſtrium Poëtarum & moribus & operibus in-
digniſſimi. Sophocles ultimæ jam ſenectutis, cum in certamine tra- An.M. 3648.
gœdiam dixiſſet, ancipiti ſententiarum eventu diu ſolicitus; aliquando Ol. 93. 3.
tamen una ſententia victor, cauſam mortis gaudium habuit. Vrb.C. 347. Ant.Ch.405.

6. Philemonem autem vis riſus immoderati abſtulit: Paratas ei ficus, atque in conſpectu poſitas aſello conſumente, puerum ut illum abigeret, inclamavit: Qui cum jam comeſtis omnibus ſuperveniſſet, Quoniam, inquit, tam tardus fuiſti, da nunc merum aſello. Ac protinus urbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum proſecutus; [c] ſenile guttur ſalebris ſpiritus prægravavit.

INTERPRETATIO.

a Eoque ictu Æſchylus, qui primus tragœdias exhibuit, occiſus eſt.

b Sed morte aliquanto crudeliori Euripides periit.

c Interclusit guttur ſenile vehementiori & crebriori ſpiritus anhelitu.

NOTÆ.

1. *Æſchyli vero Poëta.*] Cyrenæi, qui Athenis poëtico certamine vicies & octies, ex Suida, decies & ter, ex aliis vicerat: at ſenex à Sophocle etiam tum juvene victus in Siciliam ſeceſſit.

2. *Aprico in loco.*] Cum illi prædictum eſſet ipſum ruina periturum, procul ab urbibus tectiſque habitabat.

3. *Origo & principium.*] Hic enim primus tragœdiarum ſcriptor fuit, quod Horatius in Poëtica.

—Perſonæ, pallæque repertor honeſtæ
Æſchylus, & modicis inſtruxit pulpita tignis.
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.

4. *In inſula.*] Ex Samo petens Athenas ad Ion appulit, ubi ex morbo deceſſit. Ita Herodotus, Strabo, Plut. & Pauſanias.

5. *Quæſtionem.*] Nonnulli à piſcatoribus hoc ipſi ænigma propoſitum volunt.

In ſylva vado venatum cum cane quinis;
Quod capio, perdo: quod fugit, hoc habeo.

Sed ex mœrore, quod ſolvere non potuerit, diem obiiſſe, mera eſt fabula.

6. *Ab Archelai.*] Qui Euripidis conſilio in omnibus utebatur, eumque regio ſumptu ſepeliri juſſit.

7. *Canum morſibus.*] Immiſſi dicuntur ab æmulis Poëtis Arridæo Macedone, & Cratena Theſſalo.

An.M.3590. Ol. 79. 1. Vrb. C. 289. Ant. Ch. 463. 7. [1] At Pindarus, cum in gymnasio super gremium pueri quo unice delectabatur, capite posito quieti se dedisset; non prius decessisse cognitus est, quam [2] gymnasiarcha claudere jam eum locum volente, nequicquam excitaretur. Cui quidem crediderim eadem benignitate Deorum, & tantum Poëticæ facundiæ, & tam placidum vitæ finem attributum.

8. Sicut [3] Anacreonti quoque, quamvis statum humanæ vitæ modum supergresso, quem uvæ passæ succo tenues & exiles virium reliquias foventem, unius grani pertinacior in aridis faucibus humor absumpsit.

An.M.3540. Ol. 66. 3. Vrb. C. 239. Ant.Ch. 513. 9. Jungam illos, quos & propositum, & exitus pares fecit. Milo Crotoniates, cum iter faciens quercum in agro [4] cuneis adactis fissam vidisset; fretus viribus, accessit ad eam, insertisque manibus divellere conatus est: quas arbos excussis cuneis in suam naturam revocata compressit, eumque cum [5] tot gymnicis palmis lacerandum feris præbuit.

10. Item [6] Polydamas athleta tempestate speluncam subire coactus, nimio & subito incursu aquæ labefactata ea, ac ruente; cæteris comitibus fuga periculum egressis, solus restitit, tanquam humeris suis totius ruinæ molem sustentaturus. Sed pondere omni corpore humano potentiore pressus; imbris causa petitam latebram, dementis fati sepulcrum habuit. Possunt hi præbere documentum, nimio robore membrorum, vigorem mentis hebescere: quasi abnuente natura utriusque boni largitionem. Ne supra mortalem sit felicitatem, eundem & valentissimum esse & sapientissimum.

NOTÆ.

1. *Pindarus.*] Lyricus Poëta Æschyli æqualis, cujus domum dirui vetuit Alexander, dum Thebas evertit.

2. *Gymnasiarcha.*] Gymnasii princeps, cujus erat peractis ludis spectatores deducere foras, locumque claudere.

3. *Anacreonti.*] Poëtæ Lyrico, ex Teio Ionica civitate: in honore fuit apud Polycratem Samiorum tyrannum.

4. *Cuneis adactis.*] Idem quidem refert Pausanias: cuneorum non meminit Gellius; arborem patulis ramis fuisse scribit.

5. *Tot gymnicis.*] Palmas Olympias sex, Pythicas totidem adeptus est, ex Pausania & Suida: malum tenenti digitis, nemo poterat extorquere; dum in disco constitisset, nemo vestigio dimovere. In Olympico certamine dicitur bovem per stadium portasse, deinde pugno interfecisse, eumque uno die devorasse.

6. *Polydamas.*] Leonem inermis amplexus superasse fertur; currumque agitatum, quoties apprehendit dextera, retinuisse.

CAP. XIII.

DE CUPIDITATE VITÆ.

ROMANORUM.

1. *M'. Aquilii Legati Consularis.*

2. *Cn. Carbonis Cos. III.*

3. *D. Iunii Bruti Procos.*

EXTERNORUM

EXTERNORUM.

1. *Xerxis Persarum Regis.*
2. *Massanissæ Numidiæ Regis.*
3. *Alexandri Pheræorum Regis.*
4. *Dionysii Siciliæ tyranni.*

VErum quia excessus è vita & fortuitos & viriles, quosdam etiam temerarios oratione attigimus: subjiciamus nunc æstimationi enerves & effœminatos. Ut ipsa comparatione pateat, quanto non solum fortior; sed etiam sapientior mortis interdum, quam vitæ sit cupiditas.

1. [1] MV. Aquilius, cum sibi gloriose posset extingui, Mithridati maluit turpiter servire. Quem ne aliquis merito dixerit Pontico supplicio, quam Romano Imperio digniorem? [a] quoniam commisit, ut privatum opprobrium publicus rubor existeret. An.M. 3965. Ol. 172. 4. Vrb. C. 664. Ant. Ch. 88.

2. [2] Cn. quoque Carbo magnæ verecundiæ est Latinis annalibus, qui tertio in Consulatu suo jussu Pompeii in Sicilia ad supplicium ductus, petiit à militibus demisse & flebiliter, ut sibi alvum levare, priusquam expiraret, liceret: quo miserrimæ lucis usu diutius frueretur. Eoque moram traxit, donec caput ejus sordide in loco sedentis abscinderetur. [b] Ipsa verba tale flagitium narrantis secum luctantur, nec silentio amica, quia occultari non merentur, nec relatione familiaria, quia dictu fastidienda sunt. An M. 3972. Ol. 174. 3. Vrb. C. 671. Ant. Ch. 81.

3. Quid? Brutus exiguum & infelix momentum vitæ quanto dedecore emit! Nam à Furio, quem ad eum occidendum Antonius miserat, comprehensus, non solum cervicem gladio subtraxit; verum etiam constantius eam præbere admonitus, ipsis his verbis juravit. [3] Ita ut vivam, dabo. O fati cunctationem ærumnosam! O jurandi stolidam fidem! Sed hos tu furores immoderata retinendi spiritus dulcedo subjicis, sanæ rationis modum expugnando, quæ vitam diligere, mortem non timere præcepit. An.M. 4011. Ol. 184. 2. Vrb. C. 710. Ant. Ch. 42.

INTERPRETATIO.

a *Quoniam commisit, ut privatum*, quod passus est, *opprobrium*, *dedecus esset totius Reipublicæ*, cujus legatus erat.

b *Ipsa verba tantam ignaviam narrantis secum pugnare videntur: nec enim amica sunt silentio, quia non merentur occultari; nec etiam referenda sunt, quia pudet talia dicere.*

NOTÆ.

1. *M. Aquilius.*] M. Aquilius, L. Cassius & Q. Oppius in Asiam missi, ut pulsos à Mithridate Nicomedem & Ariobarzanem in regna sua reducerent: at eorum hortatu in Mithridatis ditionem cum Nicomedes irrupisset, inde bellum ingens conflatum est; collectis utrimque copiis, prælioque commisso victi Romani: Cassius Apameam fugit; Oppius à Laodicensibus proditus, captus in fuga Aquilius: in asino per Asiam circumvectus, donec aurum liquatum in os ejus infusum est. Hæc multis Appianus.

2. *Carbo.*] Ter Consul. Vide Lib. 5. c. 3. & l. 6. c. 2. De morte Bruti lib. 6. c. 2.

3. *Ita ut vivam dabo.*] Ita legit Pighius; Colerus vero, *ita vivam dabo.*

EXTERNA.

1. Eadem Xerxem Regem pro totius Asiæ [1] armata juventute, quod
intra centum annos esset obitura, profundere lacrymas coëgisti. Qui mi-
An.M. 3573 hi specie alienam, revera suam conditionem deplorasse videtur: opum
Ol. 74. 4. magnitudine, quam altiore animi sensu felicior. Quis enim mediocriter
Vrb. C. 272. Ant. Ch. 480. prudens mortalem se natum fleverit?

2. Referam nunc eos, quibus aliquos suspectos habentibus, exquisi-
An.M. 3898 tior sui custodia quæsita est. Nec à miserrimo, sed ab eo, qui inter pau-
Ol 156. 1. cos felicissimus fuisse creditur, incipiam. Massanissa Rex, parum fidei in
Vrb. C 597. pectoribus hominum reponens, salutem suam custodia canum vallavit.
Ant. Ch. 155. Quo tam late patens imperium? quo tantum liberorum numerum? quo
denique tam arcta benevolentia constrictam Romanam amicitiam; si
ad hæc tuenda nihil canino latratu, ac morsu valentius duxit?

An. M. 3692. 3. Hoc Rege infelicior [2] Alexander, cujus præcordia hinc amor,
Ol 104. 3. hinc metus torserunt: Nam cum infinito ardore conjugis Thebes tenere-
Vrb. C. 391. tur, ad eandem ex epulis in cubiculum veniens; barbarum compun-
Ant. Ch. 361. ctum notis Threiciis, stricto gladio jubebat anteire: Nec prius se ibi-
dem lecto committebat, quam à stipatoribus diligenter esset scrutatus.
Supplicium irato Deorum numine compositum, neque libidini, neque
timori posse imperare. Cujus timori eadem & causa & finis fuit. Ale-
xandrum enim Thebe pellicatus ira mota interemit.

4. Age, Dionysius Syracusanorum tyrannus hujusce tormenti quam
longa fabula? qui [3] duodequadraginta annorum dominationem in hunc
modum peregit. Summotis amicis in eorum locum ferocissimarum gen-
An M. 3666 tium homines, & à familiis locupletum electos prævalidos servos, qui-
Ol. 93. 2. bus latera sua committeret, substitit, tonsorumque metu tondere filias
Vrb C. 365. suas docuit. Quarum, postquam adultæ ætati appropinquabant, mani-
Ant. Ch. 387. bus ferrum non ausus committere: instituit, ut candentium [4] juglan-
dium putaminibus barbam sibi & capillum adurerent. Nec securiorem
maritum egit quam patrem. Duarum enim eodem tempore, Aristo-
maches Syracusanæ, & Locrensis Cloridis matrimoniis illigatus, neu-
trius unquam, nisi excussæ complexum petiit. Atque etiam cubicularem
lectum, perinde quasi castra, lata fossa cinxit, in quem se ligneo ponte

NOTÆ.

1 *Armata juventute.*] Vbi venit Abydum Xerxes, conspicatus Hellespontum obductum navibus, omniaque littora armato objecta milite; primum beatum se dixit, tum lacrymatus est. Artabano tam subiti doloris causam quærenti; *Reputantem me*, inquit, *quam brevis est humana vita, subiit horum miseratio, quorum nemo ad centesimum annum supererit.*

2. *Alexander.*] Pheræus à Pheræa civitate, ubi imperabat: unde in Thessalos omnes summam potestatem sibi vindicavit.

3. *Duodequadraginta.*] Hic locus tantum non ad verbum ex Cicerone l. 5. Tusc. desumptus est.

4. *Iuglandium.*] Sive à juvando & glande, ut videtur Nonio; sive, ut vult Gravius Bassus, à jove & glande, quasi Iovis glans juglans dicatur: illius certe putamina, eo quod pinguia sint, & facile incenduntur, & tenuem calorem, latamque flammam emittunt.

recipiebat: cum forem cubiculi extrinsecus à custodibus opertam, interiorem claustro ipse diligenter obserasset.

CAP. XIV.

DE SIMILITUDINE FORMÆ.

ROMANORUM.

1. *Cn. Pompeij Magni cum Vibio & Publicio.*
2. *Cn. Pompeij Strabonis cum Menogene coquo.*
3. *P. Scipionis Nasicæ cum Serapione victimario.*
4. *P. Lentuli & Metelli Coss. cum Spinthere & Pamphilo histrionibus.*
5. *M. Meßalæ & C. Curionis cum Menogene & Burbulco scenicis.*

EXTERNORUM.

1. *Antiochi Regis Syriæ cum Artemone quodam.*
2. *Hybreæ Oratoris cum servo Cymæorum publico.*
3. *Siculi piscatoris cum Prætore Romano.*

DE similitudine autem oris & totius corporis, altiore doctrina præditi subtilius disputant: eorumque alii in ea sunt opinione, ut existiment illam origini & contextui sanguinis respondere. Nec parvum argumentum ex cæteris animalibus trahunt, quæ fere gignentibus simili nascuntur. Alii negant certam esse naturæ legem, sed species mortalium, prout fortuita sors conceptionis obtulit, attribui. Atque ideo plerunque ex speciosis deformes, & ex robustis invalidos partus edi. Verum quoniam ista quæstio in ambiguo versatur, [a] pauca inter alienos conspectæ similitudinis exempla referemus.

1. Magno Pompeio Vibius [1] ingenuæ stirpis, & Publicius libertinus An.M. 3996.
ita similes fuerunt; ut permutato statu, & Pompeius in illis, & illi in Ol 18. 3.
Pompeio salutari possent. Certe quocunque aut Vibius, aut Publicius Vrb. C. 695.
accesserant, ora hominum in se obvertebant, unoquoque speciem amplissimi Ant.Ch 57.
civis in personis mediocribus annotante. Quod quidem fortuitum ludibrium, quasi hæreditarium ad eum penetravit. An.M. 3965.

2. Nam [2] pater quoque ejus eo usque Menogenis coci sui similis esse Ol. 172. 4. Vrb C. 664.
visus est; ut vir & ferox animo & præpotens armis sordidum ejus nomen Ant.Ch. 88.
repellere à se non valuerit.

3. Eximiæ vero nobilitatis adolescens [3] Cornelius Scipio, cum pluri- An.M. 3916. Ol. 160. 3. Vrb.C. 6 5. Ant.Ch. 1,7.

INTERPRETATIO.

a *Referemus pauca exẽpla perfectæ similitud.nis inter homines diversi sanguinis & generis.*

NOTÆ.

1. *Ingenuæ stirpis.*] Ex humili loco natus, testibus Plinio & Solino.

2. *Pater quoque ejus.*] Pompeius Strabo: unde coquus ille Monogenes Strabo vulgo dicebatur.

NOTÆ.

3. *Cornelius Scipio.*] Nasica, cui Serapionis nomen, non à plebe, sed à Curiatio Tribuno plebis inditum est, uti diximus.

mis & clarissimis familiæ suæ cognominibus abundaret; [a] in servilem Serapionis appellationem vulgi sermone impactus est, quod hujusce nominis victimario quam similis erat: Nec illi aut morum probitas, aut respectus tot imaginum, quo minus hac contumelia aspergeretur, opitulata est.

An M.3597. Ol. 180. 4. VrbC. 696. Ant.Ch. 56.

4. Generosissimum Consulatus collegium [1] Lentuli & Metelli fuit: qui ambo in scena propter similitudinem histrionum propemodum spectati sunt Sed alter ex quodam secundarum cognomen Spintheris traxit: alter, nisi [2] Nepotis à moribus accepisset, Pamphili tertiarum, cui simillimus esse ferebatur, habuisset.

An.V.C 691. An.V.C.677.

5. At [3] M. Messala Consularis & Censorius Menogenis: [4] Curioque omnibus honoribus abundans, Burbuleii: ille propter oris aspectum, hic propter parem corporis motum, uterq; scenici nomen coactus est recipere.

INTERPRETATIO.

a *Populi sermone ille servi Serapionis nomen habuit.*

NOTÆ.

1. *Lentuli & Metelli*] P. Lentulus Spinther, & Q. Metellus Nepos, quibus Consulibus cicero restitutus est: ille Ciliciam, hic Hispaniam citeriorem à Consulatu obtinuit.

2. *Nepotis à moribus.*] Suspicatur Colerus legendum esse *à majoribus.* Quæ scriptura, ut mihi quidem videtur, vera est & germana: illius enim pater fuit Q. Metellus Nepos, Balearici filius, cui Nepotis nomen adhæsit, quod Q. Metelli Macedonici nepos esset, ut tradit Asconus.

3. *Messala.*] M. Valerius Messala cognomento *Niger*, qui cum M. Calphurnio Pisone Consul fuit anno 693.

4. *Curio.*] M. Scribonius Curio, illius pater, qui Tribunus plebis ad Cæsarem fugit, & periit in Africa.

EXTERNA.

1. Abunde sint hæc de domesticis, quoniam & personis sunt excellentia, & non obscura notitia celebrantur. Regi Antiocho unus ex æqualibus, & [1] ipse regiæ stirpis, nomine Artemon, perquam similis fuisse traditur. Quem [2] Laodice uxor Antiochi, interfecto viro, dissimulandi sceleris gratia, in lectulo perinde quasi ipsum Regem ægrum collocavit. Admissumque universum populum, & sermone ejus & vultu consimili fefellit: credideruntque homines ab Antiocho moriente Laodicen & natos ejus sibi commendari.

An.M.3807. Ol. 133. 2. Vrb.C. 506. Ant.Ch.246.

2. [3] Hybream autem Mylasenum copiosæ atque concitatæ facundiæ Oratorem, [a] [4] Gymnicorum servo strigmenta gymnasii colligenti, tam similem, ut germanum fratrem totius Asiæ oculi assignarent: Ita lineamentis oris & omnium membrorum compares erant.

INTERPRETATIO.

a *Gymnicorum servo sordes* ex Athletarum corporibus extersas *colligenti.*

NOTÆ.

1. *Et ipse regiæ stirpis.*] Artamon ignobili loco natus dicitur à Solino.

2. *Laodice uxor Antiochi.*] Dei, qui duas sorores Laodicen & Beronicen Philadelphi filias duxit, ut diximus supra, hoc libro cap. x. quem locum consule.

3. *Hybream autem Mylasenum.*] Mylasa urbs est Cariæ Plinio, &c.

4. *Gymnicorum.*] Pighius in hoc verbum mendum irrepsisse putat, & *Cymaeorum* legendum censet; ego *Gymnicorum* repono: quid enim opus est immutare verbum, cum clara est sententia.

3. Ille vero, quem in Sicilia Prætoris admodum similem fuisse constat, petulantis fuit animi. Proconsule enim dicente, mirari se quapropter sui tam similis esset, cum pater suus in eam Provinciam nunquam accessisset: At meus, inquit, Romam frequenter accessit. Joco namque lacessitam matris suæ pudicitiam, invicem suspicione in matrem ejus rejecta, audacius quam virgis & securibus subjecto conveniebat, ultus est.

CAP. XV.

DE HIS QUI PER MENDACIUM SE IN ALIENAS FAMILIAS INSERUERUNT.

ROMANI.

1. *L. Equitius Firmanus.*
2. *Erophilus medicus equarius.*
3. *Octaviæ sororis Aug. falsus filius.*
4. *Q. Sertorii falsus filius.*
5. *Trebellius Calca.*
6. *C. Asinius Dio falsus.*

EXTERNI.

1. *Rubria Mediolanensis falsa.*
2. *Ariarathes Cappadociæ rex falsus.*

SEd tolerabilis hæc, & uni tantummodo anceps temeritas. Quod sequitur impudentiæ genus, nec ferendum ullo modo: periculique tum privatim, tum etiam publice late patentis.

1. Nam ne [1] Equitium Firmo Piceno monstrum veniens, relatum jam in hujusce libri superiore parte, prætfeream; ejus in amplectendo T. Graccho patre, evidens mendacium turbulento vulgi errore, amplissima Tribunatus potestate vallatum est.

2. [2] Herophilus equarius medicus, C. Marium septies Consulem avum sibi vendicando ita se extulit, ut coloniæ veteranorum complures, & municipia splendida, collegiaque fere omnia patronum adoptarent. Quin etiam cum C. Cæsar Cn. Pompeio adolescente in Hispania oppresso, populum in hortis suis admisisset, [a] proximo intercolumnio pene pari studio frequentiæ salutatus est. Quod nisi divinæ Cæsaris vires huic erubescendæ procellæ obstitissent, simile vulnus Respub. excepisset, atque in Equitio acceperat. Cæterum decreto ejus extra Italiam relegatus, postquam ille cœlo receptus est, in urbem rediit, & consilium interficiendi Senatus capere sustinuit. Quo nomine jussu Patrum necatus in carcere, seras prompti animi ad omne moliendum scelus pœnas pependit.

An.M. 3955. Ol. 170. 2. Vrb.C. 654. Ant.Ch. 98.

An.M. 4009. Ol. 183. 4. Vrb. C. 708. Ant.Ch. 44.

3. Nec divi quidem Augusti etiamnum terras regentis excellentissimum numen intentatum ab hoc injuriæ genere extitit: cum quidam charissimæ sororis ejus [3] Octaviæ utero se genitum fingere auderet: propter-

An.M. 4070. Ol. 199. 1. Vrb. C. 769. Ant. Ch. 17.

INTERPRETATIO.

[a] *In proximo spatio inter duas columnas patenti fere pari populi frequentia salutatus est.*

NOTÆ.

1. *Equitium.*] Lege quæ diximus lib. 3 cap 2. num. 18.

2. *Herophilus.*] Qui Herophili illius præter Valerium meminerit, legi neminem. Cneius Pompeius Magni filius ad Mundam victus est.

3. *Octavia.*] Quæ M. Antonio nupserat; sed ab eo postea repudiata.

que summam imbecillitatem corporis, ab eo, cui datus erat, perinde atque ipsius filium retentum, subjecto in locum suum proprio filio diceret: Videlicet, ut eodem tempore sanctissimi penates, & veri sanguinis memoria spoliarentur, & falsi sordida contagione inquinarentur. [a] Sed dum plenis impudentiæ velis ad summum audaciæ gradum fertur, imperio Augusti remo publicæ triremis affixus est.

An.M. 3984. Ol. 177. 3. 4. Repertus est etiam, qui se diceret esse Q. Sertorii filium; quem ut agnosceret uxor ejus nulla vi compelli potuit.

Vrb.C. 683. Ant.Ch. 69. 5. Quid [1] Trebellius Calca, quam asseveranter se [2] Clodium tulit! & quidem dum de bonis ejus contendit, [b] in centumvirale judicium adeo favorabilis descendit, ut vix justis & æquis sententiis consternatio populi ullum relinqueret locum. In illa tamen quæstione neque calumniæ petitoris, neque violentiæ plebis judicantium religio cessit.

An.M. 3974. Ol. 175. 1. Vrb. C. 673. Ant.Ch. 75. 6. Multo fortius ille, qui Cornelio Sulla rerum potiente, in domum Cn. Asinii Dionis irrupit, filiumque ejus patriis penatibus expulit; vociferando non illum, sed se Dione esse procreatum. [c] Verum postquam à Sullana violentia Cæsariana æquitas reluxit, gubernacula Romani Imperii justiore Principe obtinente, in publica custodia spiritum posuit.

INTERPRETATIO.

[a] Sed dum omni animi impetu fertur ad summum audaciæ gradum, jussu Augusti ad triremes publicas damnatus est.

[b] Cum tanto favore ad judicium centumvirorum venit, ut commotio populi illi studentis vix ullum æquis sententiis locum relinqueret.

[c] Verum ubi apparuit æquitas C. Cæsaris, postquam L. Sylla tantam crudelitatem exercuit.

NOTÆ

1. *Trebellius Calca.*] Frequens est apud Ciceronem in Philippicis Trebellii mentio: hujus an alterius, nescio.

2. *Clodium.*] Illum ipsum, ni fallor, qui à Milone occisus est.

EXTERNA.

An.M. 4034. Ol. 190. 1. Vrb C. 733. Ant.Ch. 19. 1. Eodem Præside Reipub. in consimili mendacio muliebris temeritas Mediolani repressa est. Siquidem cum se pro Rubria quædam perinde ac falso credita esset incendio periisse, nihil ad se pertinentibus bonis insereret, [a] nec ei aut tractus ejus splendidi testes, aut cohortis Augusti favor deesset: propter inexpugnabilem Cæsaris constantiam irrita nefarii propositi abiit.

An.M. 4036. Ol. 190. 3. Vrb C. 735. Ant.Ch. 17. 2. Idem barbarum quendam, ad eximiam similitudinem Cappadociæ regnum affectantem, tanquam Ariarathes esset, quem à M. Antonio interemptum luce clarius erat: [b] quanquam pene totius Orientis civitatum & gentium credula suffragatione fultum caput, imperio dementer imminens, justo impendere supplicio coëgit.

INTERPRETATIO.

[a] Nec ei deessent, aut testes nobiles illius regionis, nec favor apud Augusti aulicos, propter inexpugnabilem Augusti constantiam, hæreditatem, quam nefarie petebat, non obtinuit.

[b] Caput inhians dementer imperio coëgit justo amittere supplicio, licet defensum ab omnibus gentibus & civitatibus Orientis, quæ credebant illum esse Ariarathem.

LECTORI.

NEC Liber iste decimus de nominibus Romanorum; nec illius, quam hic subiicimus, epitome eorum sunt auctorum, quorum vulgo putantur: cum enim liber Valerii Maximi, epitome vero C. Titii Probi esse credatur, id secus est. Librum qui Valerii esse volunt, nituntur argumento, quod sciam, unico. Hac in epitome, ubi quaeritur, an praenomen Ancus à Sabinis deductum sit, an à Graecis, Valerii nomen usurpatur; inde librum à Valerio Maximo scriptum concludunt. In quo duplex est error: unus, quod hoc in loco agi de libri auctore putent: alter, quod Valerium illum Maximum esse opinentur: si enim ex eo, quod in epitome citetur Valerius, consequens est, hunc librum illius esse: quo jure illum Valerio tribuunt, eodem ego tribuam Varroni; atque eo etiam potiori, quod Valerii semel, Varronis saepius mentio fiat. Praeterea, quod in aliis etiam contigisse scimus, errorem hic objecit hominibus nominum similitudo: Valerius enim, quo de hic agitur, non Maximus fuit, sed Antias perantiquus Historiae Romanae Scriptor, à T. Livio saepe laudatus; & ita legendum esse nos docet Pighius ex fide duorum codicum & pervetustae & castigatae manus. Haec opinio ex errore profecta fraudi fuit librariis, à quibus praefationes aliae ab aliis diversae huic epitome pro arbitrio praefixae sunt: quare cum multis nominibus, uti ante diximus, sunt explodendae; tum eo maxime, quod & absint à multis optimae notae codicibus; & in aliis, ut in Campensi subjiciuntur duae breves epitomae, una de appellationibus potestatum, de Romanae Historiae vocabulis altera: quarum utramque quis forte, quod nemo somniavit hactenus, ad Valerium pariter ac istam de nominibus, pertinere dixerit. Quid plura, hunc librum non esse Valerii, vel ex eo patet, quod & ab illius argumento alienus sit, & ipsius nec Valerius, nec alii omnes, apud quos memorabilium mentio est, usquam meminerint.

Ut in libri decimi, ita in ipsius epitomes auctore librariorum vitio erratum est: errori locum dedit C. Titii Probi nomen sub finem appositum: in extrema enim epitome ita scriptum erat in nonnullis codicibus: Et ideo institutum esse, ut novae nuptae ante januam mariti interrogatae, quaenam vocarentur, Caiam esse se dicerent C. Titii finit epitoma de nominibus historiarum & exemplorum Romanorum. Librarii voces, quae jungendae simul erant, temere disjunxerunt, hoc modo, Caiam se esse dicerent. C. Titii finit epitoma. Facile in eo labi potuisse librarios nemo, ut opinor, non videt: cum tamen legendum esset Caiam se esse diceret C. Titii. Finit epitoma. Quae scriptura, quin vera sit & sincera, non dubitabit is, qui Romanis in more positum fuisse noverit, ut sponsa ad sponsum deducta, nec se, nec illum proprio nomine, sed fausto & auspicato appellaret: Ubi tu Caius, ego Caia: quasi diceret, ut monet Plutarchus, Ubi tu dominus & paterfamilias, ego domina & materfamilias, ubi tu gaudebis & ego gaudebo. Saepe etiam C.

Titii Probi *se* Caiam *esse dicebat, quod illud etiam nomen boni esset ominis; ut enim* Caius *à gaudio, ita* Titius *à tutando deducitur. Inde fluxit error, & ex errore vanæ illæ præfationes, in quibus modo* C. Titius Probus, *modo* Julius Paris, *modo alius nescio quis abbreviator dicitur: iis, quin nulla sit adhibenda fides nemini, ut puto, dubium est; atque eo maxime quod* C. Titii *nomen, ut annotat Pighius, nullus manuscriptus liber tractat præter Campensem; idque semel in extremo, ubi clare significat* Caiam *hic dici* C. Titii Probi, *non vero epitomen: absunt enim hæc verba:* Finit epitoma de nominibus historiarum & exemplorum Romanorum.

Cujus igitur erit hic liber? Antiqui sane Scriptoris; at cujus, nec nomen, nec ætatem eloqui promptum est. Vossius esse Julii Paridis *auguratur; Pighius incerti auctoris, qui, ut est conjectura, decem libros de Lingua Latina scripserat, quorum epitomen* Julius Paris *contexuit. Ut ut est, certi enim quod dicam, nihil habeo: hæc epitome Valerio à librariis eo adjecta est, quod nominum Romanorum rationem, quæ multis ignota tum erat, breviter explicet. Cur nullas huic libello, ut aliis libris, notas addiderim, duplex causa fuit; una, quod non sit Valerii; altera quod præmissa sit à nobis de Romanorum nominibus disputatio, quæ huic epitome commentarii loco esse possit. Sed de his hactenus.*

IN EPITOMEN SUAM
C. TITI PROBI
PRÆFATIO.

Decimus hujus operis liber, qui & ultimus est, vel ex negligentia, aut malevolentia librariorum deperiit. Abbreviator titulos ejus habebat integre fortassis: tamen de uno tantum, hoc est, de prænomine, epitoma repræsentabat.

Et hæc C. Titius ille. Verum aliæ reperiuntur præfationes in aliis manuscriptis codicibus, sine nomine auctoris; ut in I. Sambuci hæc, cum libri decimi titulis ejusdem farinæ.

INCIPIT
LIBER DECIMUS.
DE NOMINIBUS, PRÆNOMINIBUSQUE COGNOMINIBUS, AGNOMINIBUS.

DECIMUS atque ultimus hujus operis liber seu studiosorum inertia, seu scriptorum segnitia, seu alio quovis casu ætati nostræ perditus est. Verum Julius Paris abbreviator Valerii, post mortem novem libros explicitos, hunc decimum sub infra scripto compendio

enim in Consulum fastis, perplexum usum prænominum & cognominum; fuisse dictum, Posthumum Coriminum Auruncum, & Posthumum Æburium Elvam, & Vopiscum Julium, & Opitrem Virginium Tricostum, & Paulum Fabium Maximum. Quin etiam quædam cognomina in nomen versa suut, ut Cæpio: namque hoc in Bruto nominis locum obtinuit.

Gentilitia nomina Varro putat fuisse innumera, & prænomina circa triginta. Pueris, non priusquam togam virilem sumerent; puellis, non antequam nuberent, prænomina imponi moris fuisse, Q. Scævola auctor est. Quæ olim prænomina fuerunt, nunc cognomina sunt: ut Posthumus, Agrippa, Proculus, Cæsar.

Opiter, qui patre mortuo, avo vivo gignebatur. Vopiscus, qui in utero matris geminus conceptus, altero abortu ejecto, incolumis editus erat. Hostus, prænomen fuit in eo, qui peregre apud Hospitem natus erat; idque habuit Lucretius Tricipitinus Collega L. Sergii. Volero in prænomen abiit, & volentibus nasci liberis parentibus indebatur; quo usus est Publilius Philo. Lar Lartis prænomen est sumptum à Laribus, Tuscum autem creditum est prænomen esse: fuitque Consul Lar Herminius cum T. Virginio Tricosto. Status, à stabilitate; Faustus, à favore prænomina sumpta erant. Et Tullus prænominatus est ominis gratia, quasi tollendus, o litera in u conversa. Sertor, qui per sationem natus erat, appellatus est. Ancum prænomen Varro à Sabinis translatum putat: Valerius Antias scribit, quod cubitum vitiosum habuerit, qui Græce vocatur ἀγκών. Lucii cœperunt appellari, qui ipso initio lucis orti erant; aut, ut quidam arbitrantur, à Lucomonibus Etruscis. Manii, qui mane editi erant; vel ominis causa, quasi boni. Manum enim antiqui bonum dicebant. Gnæus, ob insigne nævi appellatus est; quod unum prænomen varia scriptura notatur. Alii enim Næum, alii Gnæum, alii Cnæum scribunt. Qui G. litera in hoc prænomine utuntur, antiquitatem sequi videntur, quæ multum ea litera usa est. Olim enim dicebant frugmentum, nunc frumentum profertur: & gnatura, modo natura. Igitur etiam, qui in corporibus nævus gigni solet, gnævus appellabatur. Qui C. ponunt, corruptione syllabæ delectari videntur: qui Næus, lenitatem velle judicantur. Gaij dicti à gaudio parentum: Auli, qui Diis alentibus nascuntur: Marci, Martio mense geniti: Publii, qui prius pupilli facti erant, quam prænomina haberent; alii ominis causa ex pube. Tiberii vocitari cœperunt, qui ad Tiberim nascebantur. Titus, è Sabino nomine Titurio fluxit: Appius, ab Atto ejusdem regionis prænomine. Kæsones appellati sunt, qui è mortuis matribus execti erant. Servius, qui mortua matre in utero servatus est. Spurij, patre incerto geniti, quasi σπόρᾳ. Numerij sola patricia gens usa est Fabia prænomine; idcirco quod, trecentis sex apud Cremeram

flumen cæsis, qui unus ex ea stirpe extiterat, ducta in matrimonium uxore filia Numerij Otacilii Maleventani, sub eo pacto, ut quem primum filium sustulisset, ei materni avi prænomen imponeret, obtemperavit.

Antiquarum mulierum in usu frequenti prænomina fuerunt, Rutilia, Cæsella, Rodocella, Murcula; Burra à colore dicta. Ista prænomina à viris tracta sunt, Caia, Lucia, Publia, Numeria. Cæterum Caia, usu super omnia celebrata est. Fertur enim, Caiam Cæciliam, Tarquinii Prisci Regis uxorem optimam lanificam fuisse: & ideo institutum esse, ut novæ nuptæ ante januam mariti interrogatæ, quænam vocarentur, Caiam esse se dicerent C. Titii.

Reliqua desunt.

VALERIU
MAXIMU


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm